UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Discvrsvs Prædicabiles

## Paoletti, Agostino

## Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.LXXVII

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55698

Visual Library



Th. 3288.

H V
24

H. 219

[illegible]PLETTI
[illegible]
X V 26

H

[illegible]UETTI
[illegible]

X [illegible] 26

I

co

A

Cu

*Op*

# DISCVRSVS PRÆDICABILES,
SIVE
## VIRIDARIUM SACRARUM CONCIONUM
# IN DOMINICAS ET FESTA
## A DOMINICA ADVENTVS VSQVE AD
Dominicam Quinquageſimæ occurrentia:

CONSITUM EX SACRÆ SCRIPTURÆ, SANCTORVM
Patrum, & Doctorum, tam Veterum, quam Recentiorum, nec non
Prophanorum Authorum Plantis exquiſitiſſimis, ad virtutum
mores inſerendos aptiſſimis.

*OPERA ET STVDIO ADM. R. P. M.*


# AUGUSTINI PAOLETTI
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS EXIMII,
Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Provinciæ Senenſis Prioris
Provincialis, Viri communis boni promovendi ſtudioſiſſimi.


Cum quinque indicibus, I. Auctorum, II. Argumentorum Moralium, III. Concionum
totius Anni, IV. Locorum S. Scripturæ, V. Rerum & Verborum copioſiſſimo.

*Opus omnibus animarum Paſtoribus, Divini Verbi Præconibus, & vitæ ſpiritualis & Aſceticæ Studioſis utile & apprime neceſſarium, & ſummis votis diu deſideratum, nunc in IV. partes diviſum in hac III. editione.*


Collegii Soctis Jesu Paderbornæ

A 6 99






*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*
Apud HERMANNUM DEMEN, ſub ſigno Monocerotis, Anno M. DC. LXXVII.
*Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.*

# SACRARUM CONCIONUM ARCHITECTIS ET FIDELIBUS.

# VERBI DEI PRÆDICATORIBUS BIBLIOPOLA SALUTEM.

ADMODUM Reverendus Pater Magiſter AUGUSTINUS PAOLETTI SS. Theologiæ Doctor, Eximium Cathedræ decus & Eccleſiarum hujus temporis facile Princeps, Ordinis ſui, ſive Eremi Auguſtinianæ delitium, ejuſdemque in Provincia Senenſi quondam digniſſimus Prior Provincialis, diverſorum Principum Theologus, quo quantum Montalcinenſes in Thuſcia cive, S. Auguſtinus ſpirituali filio, Scholaſtici Doctoris Collega, & primariæ Italiæ urbes Eccleſiaſte queant gloriari, notius eſt quam ut pluribus hic à me ſit opus commemorari; hic inquam, doctiſſimis ſuis in lingua Italica habitis ſcriptiſque Concionibus univerſas totius Anni quantus quantus eſt Dominicas, Sanctorum tum maximè, tum minus ſolemnium Feſtivitates per totius Anni decurſum occurrentes, ſacra Verni ſive Quadrageſimalis jejunii tam Dominicas, quàm Ferias ſingulas, & Adventus Dominici tempora peregregiè illuſtravit; in quibus, ut à pluribus doctiſſimis viris, qui eas attento oculo pervolutarunt, frequenter audivi, ea notatur dicendi vis atque ubertas, ea divinioris doctrinæ & reconditorum conceptuum abundantia, ea quoque humanarum divinarumque ſcientiarum varietas, ea obſcuriorum Sacræ Scripturæ locorum in omni propè ſenſus genere explicatorum copia, ea denique in omnigena materia Concionum diverſitas, ut ille unus inſtar ſit omnium, nec ſit in ipſo quod quis deſiderare queat. Quem proinde inexhauſtum rerum omnium promptuarium, omnigenæ doctrinæ ſcrinium, humanæq; ſcientiæ Promum condum, denique ſacrorum theſaurorum gazophylacium non injuria appellari poſſe exiſtimant. Ex quo tanti viri elogio permotus ſum, ut iniquum eſſe duxerim tantos ab erudito ejus calamo promanantes doctrinæ ſpiritualis theſauros ſolius Italiæ anguſtiis coarctari, utpote quibus facile univerſa Europa poſſet locupletari; ac proinde tametſi nonnulli in Belgio Catholico Viri docti idem mecum ſentientes, ut divitias PAOLETTI univerſaliores efficerent, univerſaliori eas lingua, hoc eſt, ſermone Latino venditare cœperint, edito nimirum in Idiomate Latino primo Concionum ſuarum volumine quod Adventuale dicitur, & ad Quadrageſimam uſque ſe extendit, quia tamen ab Annis facile quatuor in cætera magni hujus Prædicatoris Volumina nihil attentatum fuit, ideo ad Concionatorum divinæ gloriæ & ſaluti animarum zelandæ intendentium utiliſſimum ſtudium promovendum, multorum rogatu reliqua etiam ejuſdem Authoris volumina, id eſt, Do-

minicale incipiens à Dominica in Albis, uſque ad Dominicam I. Adventus; Sanctuarium ſive Conciones de Sanctis; ac denique Quadrageſimale in univerſas totius Quadrageſimæ Dominicas & Ferias in Latinam linguam, utpote ſcunctarum nationum Prædicatoribus minime incognitam, imo veluti vernaculam transferri curavi.

Porrò Voluminibus hiſce hunc præfixi communem titulum: VIRIDARIUM SACRARUM CONCIONUM, eò quod ſingulæ Conciones velut rura quædam ſint nunc aureis, nunc hyacinthinis diverſorum ſenſuum floribus depicta, in quibus nunc myſteriorum roſas, nunc moralitatum purpuraſcentes violas, aut candida Anagogiæ lilia deprehendetis; neque in hoc horto ſeu Viridario omnigeni ſolum flores naſcuntur, ſed & arbores pomiferæ, aliiſque omnis generis fructibus onuſtæ floreſcunt, & jucundum ingredienti exhibent ſpectaculum, ut proinde de hoc libro uſurpare mihi liceat illud Ezechielis cap. 48. v. 17. *Et ſuper torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus, per ſingulos menſes afferet primitiva, quia aquæ ejus de ſanctuario* (quo nomine Volumen quo Conciones de Sanctis deſcribuntur peculialiter intelligendum venit) *egredientur, & erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam*; ſinguli etenim ſermones arbores ſunt de tramite ſapientiæ uberrimæ nitentes, pomiſque conceptuum aureis pubeſcentes. De hoc horto ſive Viridario S. Hieronymus in cap. 14. Zach. ait: *Hortus, in quem ſponſus deſcendit ad ſponſam ſanctarum Lectio ſcripturarum eſt: de quibus lilia & violas, & roſas, & varia decerpit aromata, ut impleat Phialas animarum credentium, & Domino ex eis liba diffundat.* In hoc igitur topiarium cum fratruele veſtro ad Phialas aromatum deſcendite, ut *paſcamini in hortis & colligatis lilia.* Cant. 6. Imitemini in hoc horto aviculam ſolertem Picum cognomine Martium, cujus potiſſimum ingenium terebrare roſtri cuſpide duriores arborum cruſtas, eviſcerare arborem, roſtriq; fiſtula nucleo infixa humorem arboris ſugere, & extrahere alimenti ſuccum, in ramiſque conſtruere nidum; de qua ave Plin. ſcribit l. 10. c. 8. Vos igitur Sermonibus hiſce veluti totidem lignis pomiferis acutum & ſubtile ingenii veſtri roſtrum infigite, eoq; veluti fiſtula omnem ex iis ſuccum eviſcerate, in alimentum animarum veſtrarum, omniumque illorum quos vobis Verbo Dei paſcendos, ſaginandos, vegetandos commiſit ſupremus animarum Dominus noſter JESUS Chriſtus. Qui vos ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ decus & incrementum feliciter in hac vita, ac deinceps in immortalibus Charitum hortis in ſempiternum vivere faciat. Vos interea hoc meum vobis gratificandi ſtudium ſimul & opellam Interpretis æqui bonique ut conſulatis obſecro, ac ſi quid palato veſtro ſubtiliori minus placuerit, pro veſtra benignitate ac candore æqui rerum arbitri & æſtimatores ignoſcatis.

*Ezech. c. 48. v. 17*

*S. Hier. in c. 14. Zach*

INDEX

# INDEX AUTHORUM.


A.

ABulenſis Toſtatus.
Adamus de S. Victore.
Adda Babylonicus.
S. Adelelmus Epiſcopus.
Adamantius Origines.
Addala Saracenus.
Adrianus Finus.
S. Ælredus.

Æ.

Ægidius Columna Cardinalis.
Ægidius Viterbus Cardinalis.
Ægidius de Conimbria.
S. Auguſtinus Doctor Eccleſiæ.
Auguſtinus Bicla.
Auguſtinus *Maſcardi*.
Auguſtinus Triumphus.
Auguſtinus Nugnez.
Aug. Moreſchini Auguſtinian.
Auguſt. Moreſchini Dominican.
Albertus *Magnus*.
Albertus Patavinus.
Albertus de Corignola.
Alcuinus Albinus.
Alcimus Avitus Archi Epiſcopus Viennenſis.
Alexander ab Alexandro.
Alexander de Ales.
Alphonſus *Mendoza*.
Alphonſus Paleottus Cardin.
Alphonſus de Oroſco.
Alexander Taſſ.
Alitgarius Epiſcopus Cameracenſis.
Alitgarius Abbas.
Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis.
S. Ambroſius Doctor Eccleſiæ.
Ambroſius Corrolanus.
Ambroſius Calepinus.
Ambroſius Spera.
Ambroſius Epiſcop. Lemocenſis.
Ammonius.
S. Anaſtaſius Sinaita.
Andreas Pinta Ramirez.
Andreas Alciatus.
Andreas Gelſominus.
Andronicus Conſtantinopolitanus.
Angelus Rocca.
Angelus Vantius.
Angelus Manriquez.
Angelomus Monachus Lefovienſis.
S. Antelmus.
S. Antiochus.
Anonimus.
Antigonus Cariſtlico.
S. Antonius Abbas.
Antonius Richardus.
Antonius Guilielmus.
Antonius Agellius.
S. Antonius de Padua.
S. Anſelmus.
S. Antiochus Monachus Paleſt.
Apulejus.
Arnoldus Carnotenſis.
Areta Epiſcopus Cæſarienſis.
Ariſtophanes.
Aſcanius Martinengo.
S. Aſterius, Epiſc. Amaſcenſis.
S. Athanaſius.
Aulus Gellius.
Aurelius Prudentius.
Aurelius Victorinus.

B.

BAulearius Epiſcopus.
Balthaſar de Vias.
Bartholomæus de Piſis.
Bartholomæus Barco.
Bartholomæus Caſſianus.
S. Baſilius Seleucienſis.
Baſilius Ponce.
S. Baſilius.
Benedictus Fernandius.
Benedictus Pererius.
Benedictus Mendina.
Benedictus Fidelis.
Beda.
S. Bernardus.
Bernardinus Buſti.
Blaſius Viega.
Biondus.
S Birgitta.
S. Bruno.
S. Bruno Epiſcopus Herbipol.

C.

S. CAlixtus Papa *II*.
Caſparus à Malo.
Catullus.
Cæleſtinus Bruno.
Celius Rodiginus.
Cæſar Ripa.
Cæſar Baronius.
Cherinon Abbas.
Chriſtophorus de Avendagno.
Chryſippus Sacerdos.
Chriſtophorus Burgenſis.
Chriſtianus Drutmarus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Cyrillus Jeroſolymitanus.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
S. Columbanus.
Cornelius Tacitus.
Cornelius Janſenius.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Graffius.
Creoatus.
Cronica Cluniacenſis.

D.

DAcrianus Abbas.
Daniel Souterius.
B. David Auguſtanus.
Demoſthenes.
Didacus Alverus.
Didacus Pontferradienſis.
Didacus Stella.
Didacus de Celada.
Diogenes Pitagoricus.
S. Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Carthuſianus.
S. Dorotheus Archimandrita Abbas.
Draconitus.

E.

EChibertus Abbas.
S. Ephrem Sirus.
Egeſippus.
Elianus.
Emmanuel Imperator.
Epicarmus.
S Epiphanius.
Ericus.
S. Hermetes diſcipulus S. Pauli.
Ernandus Caratenſis
Etherius Epiſcopus Uſamenſis.
S. Eucherius.
Euripides.
S. Eulogius Martyr Archi-Epiſcopus Toletanus.
Euſebius Emiſſenus.

F.

FAuſtus Andrelinus.
Federicus de Senis.
Felix de Prato.
Fileta.
Fortunatus Schacchius.
Franconius Abbas Affligenienſ.
Franciſcus Vevardentius.
Franciſcus Titelmannus.
Franciſcus Toletus Cardinalis.
Franciſcus Labata.
Franciſcus à Chriſto.
Franciſcus Mendoza.
Franciſcus Ribera.
Franciſcus Loredanus.
Fulbertus, Epiſc. Carnutenſis.

G.

GAlenus.
S. Gaudentius.
Gerardus Zutfanienſis.

Genebrardus Abbas.
Gislerus.
Gordanus de Saxonia.
Georgius Cedrenus:
Georgius Piſſida Diaconus Conſtantinopolitanus.
Glicas.
Gloſſa Ordinaria.
Godefridus:
S.Gregorius Papa.
S.Gregorius Nazianzenus,
Gregorius Niſſenus.
Gregorius de Rimini,
Gregorius Nugnus.
Gualfridus Abbas.
Guarricus Abbas.
Guido Caſſonius:
Guiſconius Abbas.
Guilielmus Durandus.
Guilielmus Pariſienſis.
Guilielmus Pepinus.
Guilielmus Amerus.
Guilielmus Amatus.

H.

HAymon EpiſcopusHalberſtatenſis.
S.Hermes diſcipul. S. Pauli.
Herodotus Halicarnaſſæus.
S.Hieronymus Doctor Eccleſiæ.
S. Hilarius.
Hieronymus Seripando Card.
Hieronymus Arconatus.
Hieronymus Oſorius.
Hieronymus Oleaſter.
S.Hildegardis Abbatiſſa.
S.Hildegardus Epiſcopus.
Hippolitus Martyr.
Hippocrates.
Hiſtoria Lombardica.
Homerus.
Hugo Victorinus.
Hugo Cardinalis.

I.

JAcobus Veldius.
Jacobus Philippus.
Jacobus de Valentia.
Jacobus de Voragine.
Jacobus Zevecotius,
Joachimus Abbas.
Joſephus Hebræus.
S.Joannes Chryſoſtomus.
Joannes Serisberienſis.
Joannes Jacobus Riccius.
Joannes de la Haye.
Joannes Viterbienſis.
Joannes Suarez Epiſcopus.
Joannes Caſſianus.
Joannes Lorinus.
Joannes Eckius.
Joannes de Vio Cajetano.
Joannes Lanspergius.
Joannes Baptiſta Marinus.
Joannes Fabri.
Joannes Duns Scotus.
Joannes de S.Geminiano.
Joannes Climachus.
Joannes Oſorius.
Joannes Pinna Madridenſis.
Joannes Bapt. Gorus.
Joannes Drudonius.
Joannes Raviſius.
Joannes Lopes Epiſc. Crotonenſis.
Joannes Maria Verato.
Joannes Ferus.
Joannes Antonius Abulenſis.
Joannes Epiſc. Montopolitan.
Joannes de Solorzano.
Joannes Viguerius.
Joannes Bapt. Novatus.
Joannes Galandorpius.
Joannes Cartagena.
Joannes Hoffmeiſterus.
S. Joannes Damaſcenus.
Joannes Puteanus.
Juvencus Sacerdos Hiſpanus.
Job Monachus.
Juvenalis.
Juſtinus Martyr.
Idelbertus Epiſc. Turonenſis.
S.Ignatius Loyola.
Ignatius Dyckerus.
Incognitus.
Innocentius Cibo.
Innocentius Papa III.
Iſaac Sacerdos.
B.Iſaac Abbas.
S. Iſidorus.
S.Ivo Carnotenſis.

L.

LAertius.
Leonardus Aurelius.
S. Leo Papa.
Libanius.
Licurgus.
B.Linus.
S.Linus Papa.
Livius.
Ludovicus Guicciardinus.
B.Laurentius Juſtinianus.
Laurentius de Aponte.
Laurentius Zamovia.
Lucanus.
Lucas Burgenſis.
Ludovicus Lippomannus.
Ludovicus Leonenſis.
Ludovicus Novarrinus.
Ludolphus Carthuſianus.

M.

MAffæus Vegius.
Marcellus Pellingerius.
Marcellus Ferdinandi.
Marcus Varro.
Marcus Vigerius Cardinalis.
Martialis.
Marius Bettinus.
Martyrologium Romanum.
Martinus del Rio.
M. T. Cicero.
S.Maximus.
Matthæus Tympius.
Meander.
Mercurius Triſmegiſtus.
S Metodius Epiſc. Patarenſis.
Michael de Palatio.
Michael de Ayguanus.
Michael Empolitanus,
Michael Mediolanenſis.
Mileſius.
Moyſes Barceva.
S.Monica.

N.

NAtalis Comes.
Nemeſius.
Neſterotius Abbas.
Nicena Coniates.
Nicephorus Calixtus.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Reuſnerus.
S.Nilus.
Nonus Panopolitanus.

O.

S. ODilo Abbas.
S.Odilo Abbas Cluniacenſis.
Olympidorus Monachus.
Onuphrius Oſtecutus Archiepiſcopus Florentinus.
S.Oreſieſius.
Oratio Petrobelli.
Ovidius.

P.

S. PAcianus Epiſcopus.
Pacomius Abbas.
Panuphius Abbas.
Paulus de Palatio.
Paulus Areſius.
Paulus Burgenſis.
Paulus Seilogus.
Paraphraſis Chaldæa.
S.Paſchaſius.
Pelbartus.
Pericles.
Pica Mirandolanus.
Pythagoras.

S.Petrus Chryſologus.
S.Petrus Cellenſis.
S.Petrus Damiani Cardinalis.
Petrus Ribadeneira.
Petrus Canomerius.
Petrus Bleſenſis.
Petrus Michaelis.
Petrus Valderama.
Petrus Berchorius. .
Petrus Crinitus.
Petrus de Natalibus.
Petrus Herodotus.
Petrus Ramerus.
Petrus Lumbardus.
Petrus de Aragonia.
Petrus Galatinus.
Petrus de Vega.
Petrus Valerianus.
Petrus Gregorii.
Pinufius| Abbas.
Platina.
Plato.
Placidus Nigidius.
Plotinus.
Plutarchus.
Polibius.
Primaſius.
Proba Falconia.
Procopius Gazæus.
Propertius.
S.Proſper.
Publius Mimus.
Publins Siro.

Q.

QUintilianus.
Quintus Curtius.

R.

RAbbanus Maurus.
Rabbi Simeon.
S.Remigius.
Richardus de S.Laurentio.
Rupertus Abbas.
Rupertus Epiſc. Aquinenſis.

S.

SAlaſar.
Salmeron.
Salvianus.
Sanctus Pagninus.
Scaliger.
Scipio Bargalius.
Sedulius.
Sebaſtianus Barradas.
Seneca.
Seraphinus Cumerarius.
Servius.
Septuaginta Interpretes.
Sicophanta.
Simon Junior.
Simon Caſſianus.
Simon Cirallus.
Sophocles.
Sozomenes.
Stobæus.
Strabo Fulgenſis.
Suetonius Tranquillus.
Suido.

T.

THadæus Perufinus.
Thalaſſus Abbas.
Teanus.
Theophylactus.
Theodorus Abbas.
Theodulphus Epiſcopus.
Tertullianus.
Theon Abbas.
Thimothæus Epiſcopus Hieroſolymitanus.
Titius Strozzius.
Titus Petronius Arbiter.
Titus Livius.
Tobias Magyrus.
S.Thomas de Aquino Doctor Angelicus.
B.Thomas de Villanova Archi-Epiſcopus.
Thomas de Argentina.
Thomas de Kempis.
Thomas do Trugillo.
Thomas Beauxamis.
Thomas Spinoxola.
Tarquatus Taſſis.
Trajanes Boccalinus.
Turcius Ruſus Aſterius.

V.

VAlafridus Strabo.
S.Valerianus Epiſcopus. Clemenienſis.
Valerius Maximus.
Vincentius Gilibertus.
S.Vincentius Ferrerius.
S.Victor Antiochenus.
Vincentius Lirinenſis
Virgilius Maro.
Urbanus IV.
S.Umbertus

Z.

ZAcharias Epiſcopus Chryſopolitanus.
Zenephon.
S.Zenon Epiſcopus.


FINIS INDICIS AUTHORUM.

Reliquos vero Indices reperies conſequenter in fine poſt Materiam & ita in Dominicali.

# SUMMA
# PRIVILEGII CÆSAREI.

*LEopoldus, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmaciæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c Rex: Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ Carniolæ & Wittembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis; quod cum nobis noſter, ac Sacri Romani Imperii fidelis dilectus, Joannes Georgius Hertz Bibliopola Viennenſis humillime expoſuerit, quem in modum opera quædam Patris Auguſtini Paoletti de Mont. Alcino Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, Doctis omnibus viris præſertim Eccleſiaſticis magnopere deſiderata ac uſui futura, utpote & primo quidem Quadrageſimale ejuſdem de magno Patriarcha S. Auguſtino cum copioſiſſimis iconibus, ſecundo Diſcurſus Prædicabiles, tertio Diſcurſus item Prædicabiles Dominicis & feſtis diebus de prima Adventus uſque ad Quadrageſimam, quarto Sanctuarium, ac quinto denique Annuale & Mariale ejuſdem ex Italica in latinam linguam ſumptu ſuo traduci curare, ac typis excudenda dare conſtituerit, vereri autem debeat, ( ne quod fieri aſſolet ) Typographi alii quæſtus cauſa eadem opera fraudulenter ac magno ſuo diſpendio imitentur, prælo committant, diſtrahant atque venundent, noſque proinde ſupplex oraverit, ut indemnitati ipſius conſulere ac ſuper dictis operibus privilegio noſtro Cæſareo ipſum præmunire clementer dignaremur, nos ſubmiſſæ pariter & æquæ ipſius petitioni clementer annuendum cenſuimus, idcirco ex certa ſcientia, animo bene deliberato, pro Authoritate noſtra Cæſarea, omnibus & ſingulis Bibliopolis, Typographis, aliiſque quibuſcunque librariam negotiationem exercentibus, ſerio interdicimus ac vetamus, ne quis ſupra nominata opera ita ex Italica in Latinam linguam translata, intra decennium proximum à die quo noſtræ hæ litteræ datæ ſunt computandum, intra Sacri Romani Imperii, aut quorumcumque regnorum ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines ſimili aut quovis alio typo, forma aut modo, imitari, recudere, aut recudenda dare, aut etiam alibi excuſa apportare, venundare aut diſtrahere, ſine ipſius Joannis Georgii Hertz hæredumve ejuſdem conſenſu, palam vel occultè auſit, ſi quis autem ſecus faciendo, interdictum hoc noſtrum neglexerit aut violaverit, is non ſolum ejuſmodi libris aut exemplaribus dicto Joanni Georgio Hertz ejuſve hæredibus auxilio magiſtratus locorum ubi reperientur, vindicandis privari, ſed etiam pro quavis ſupradictorum operum ita recuſorum aut aliunde apportatorum ſpecie decem Marcharum auri mulctam ærario ſeu fiſco noſtro Cæſareo, atque injuriam paſſo ſeu paſſis ex æquo pendendam dare damnas eſto, dummodo præfata tamen opera, bonis moribus, fidei orthodoxæ, Cæſareæ noſtræ Authoritati, ſacriſve Imperii Conſtitutionibus, nihil contrarium adverſumque in ſe contineant, & quaterna nimirum ſingulorum exemplaria ad Cancellariam noſtram Imperialem Aulicam tranſmittantur, mandamus itaque univerſis ac ſingulis, noſtris & Sacri Imperii Regnorum ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, cujuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis aut ordinis extiterint, præſertim vero iis, qui in magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuorum Superiorum loco aut nomine jus dicunt, juſtitiamve adminiſtrant, ne quenquam hoc Privilegium noſtrum Cæſareum, impune violare, ſpernere aut tranſgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta eos puniri & quibuſcunque modis coerceri curent, ni & ipſimet graviſſimam noſtram indignationem in ſe laceſſere velint, harum Teſtimonio litterarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur in civitate noſtra Vienna die quarta menſis Martii, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo primo, Regnorum noſtrorum Romani Tertio, Hungariæ ſexto, Bohemiæ verò quarto.*

LEOPOLDUS.

(L.S.)

*Ut Wildericus Baro de Walderdorff.*

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Proprium.

J. WALDERODE.

*Prædictus D. Joannes Georgius Hertz civis & Biblopola Viennenſis ceſſit jus ſuum ſupradicti Privilegii Joanni Buſæo Civi & Bibliopolæ Colonienſi.*

INDEX

## M. FRATER HIPPOLYTUS MONTIUS FINALENSIS
totius Ord. Erem. S. Auguſtini Prior Generalis licet indignus.

*Venerabili in Chriſto Patri Sac. Theolog. Baccalaureo Fratri Auguſtino de monte Ilcino eiuſdem Ordinis ac Voti ſalutem in Domino.*

VT opus inſcriptum Diſcurſus Prædicabiles per annum, à te elucubratum, & à Patribus per nos deputatis cognitum, & approbatum Typis dare poſſis, harum vi literarum, noſtrique muneris poteſtate, quantum ad nos attinet, & ſervatis ſervandis facultatem impartimur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Dat. Romæ die 22. Julii 1644.

*Frater Hyppolytus Montius Generalis S. Auguſtini.*

---

# APPROBATIO.

## R. P. MAGISTRI NICOLAI PELOSI CAMPILIENSIS,
Ord. Erem. S. Auguſtini Regentis ſtudiorum S. Stephani Venetiis.

PRæſentes Diſcurſus Prædicabiles, compoſiti à Patre Auguſtino de Monte Ilcino, & ab ipſo in Eccleſia noſtra S. Stephani magna cum laude & conſolatione auditorum prædicati, ex mandato, & ordinatione P. Reverendiſſimi Magiſtri Hyppolyti Montii Ordinis noſtri Generalis, à me ſunt accuratè lecti, & reviſi. Quare dignos illos judico, ut qui à Viro ſatis noto & famoſo, atque in tam celebri civitate Italiæ, tanto cum applauſu ſunt prædicati, lucem videant, & typis publicè mandentur tam propter ſanctam & Catholicam, quam continent doctrinam, quàm etiam propter inſignem pietatem & eruditionem quâ abundant; adeò, ut per eorum frequentem lectionem, pius lector ad majorem indies devotionem, & virtutum perfectionem pervenire facilè poſſit. Venetiis in noſtro Monaſterio S. Stephani 30. Auguſti. 1644.

*In quorum fidem, &c.*

Magiſt. Nicolaus Peloſius Campilienſis Regens ſtudiorum Venetiis.

## FACULTAS R. A. P. PROVINCIALIS.

EGo infra ſcriptus Provincialis Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de monte Carmeli per Belgium, permitto ut R. A. Patris Magiſtri *Auguſtini Paoletti* Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini Diſcurſus prædicabiles per R. P. *Gratianum à Sancto Elia*, Ordinis noſtri Religioſum & Suppriorem Conventus Antverpienſis, ex Italico in Latinum tranſlati imprimantur, & accedat conſenſus eorum ad quos ſpectat. In quorum fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, conſuetoque officii ſigillo munitas dedi Bruxellis in noſtro Conventu Sancti *Simonis Stock*, die 17. menſis Martii 1659.

F. MICHAEL à SANCTO AUGUSTINO
Provincialis Carm. qui ſuprà.

## APPROBATIO.

*INfraſcriptus hos* R. P. Auguſtini Paoletti *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Diſcurſus Prædicabiles in Dominicas & Feſta occurrentia ab Adventu uſque ad Quadrageſimam accurato labore, ac ſtudio concinnatos, omninò dignos cenſeo, qui in lucem edantur, & ſtudioſorum potiſſimum Theologorum, ac Concionatorum manibus aſſiduè terantur. Datum Antverpiæ* 30. *Martii* 1659.

C. VOQCHTS ARCHIDIACONUS
S.T. Licent. & lib. Cenſor.

## CENSURA ORDINARII.

*DIſcurſus Prædicabiles ſive viridarium Sacrarum Concionum opera Admodum R. P. M.* Auguſtini Paoletti *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini S. Theologiæ Doctoris ad virtutes plantandas conſitum, nunc etiam ex Italico idiomate in Latinum tranſlatum, cum fidei orthodoxæ & bonis moribus nihil contrarium contineat, boni publici cauſa concedo ut typis Colonienſibus committatur. Coloniæ* 21. *Junii* 1663.

FERDINANDUS STROBELIUS S.T. Doctor
Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus, Cenſor Librorum ordinarius.

INDEX

# INDEX
## DISCURSUUM PRÆDICABILIUM, QUI HOC TOMO ADVENTUALI CONTINENTUR.


DOMINICA PRIMA Adventus.

*Divini Judicii rigor & terror expenditur.* fol.1.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ Apoſtoli.

*Dominus Andream vocat & exaltat, utpote qui ſolitus infirma mundi eligere, ut confundat fortia.* fol.11.

DOMINICA SECUNDA Adventus.

*Veritas odio eſt apud omnes; & iam commune mendacium.* fol.21.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

*Immaculata Dei Matris Conceptio proponitur.* 29

DOMINICA TERTIA Adventus.

*Effrœnata habendi cupiditas hominibus innata oſtenditur.* 37

IN FESTO SANCTI THOMÆ Apoſtoli.

*Miſerrima Peccatoris conditio eſt, & maxima Salvatoris noſtri benignitas, cùm vulnera oſtendit.* 47

DOMINICA QUARTA Adventus.

*Mira virtus pœnitentiæ eſt; atque hæc non differenda.* 58

IN FESTO NATIVITATIS Domini.

*Amor Dei erga homines ſingularis ex Verbi Incarnatione monſtratur, unde gaudium magnum.* 81

IN FESTO SANCTI STEPHANI Proto-Martyris.

*Lapides illi dulces, dum apparuit JESUS: neque jam grave tormentum, ubi apertum eſt cœlum.* 92

IN FESTO SANCTI JOANNIS Apoſtoli & Evangeliſtæ.

*Hic eſt Diſcipulus ille, qui Privilegio amoris præcipui cæteris altiùs à Domino meruit honorari.* 104

IN FESTO SANCTORUM Innocentum.

*Sub amara Martyrii cortice cœleſtis gloria invenitur, & inſatiabilis apparet Herodis Regis impiiſſimi ambitio.* 116

DOMINICA INFRA OCTAVAM Nativitatis Domini.

*Filiorum erga parentes debitum proponitur; & horum quanta eſſe debeat in illis honeſtè educandis cura.* 128

IN FESTO CIRCUMCISIONIS Domini.

*Chriſtus deſiderium patiendi pro genere humano oſtendit, ad circumciſionem ſpiritualem invitat, & nomine JESU ſe omnium Salvatorem demonſtrat.* 146

IN FESTO EPIPHANIÆ.

*Opera bona indefeſſo ſtudio peragenda; nec deflectendum eſt faciléad humana ſubſidia, quamdiu cœleſtia adeſſe videmus.* 152

DOMINICA INFRA OCTAVAM Epiphaniæ.

*Exemplo Chriſti declinandum à vana gloria. Contrà faciunt homines, virtutes, etſi falſas, oſtentant; & vitia apertiſſima palliant.* 163

DOMINICA SECUNDA POST Epiphaniam.

*Matrimonii labor & dolor perpenditur, atque ſalutaria monita conjugibus adferuntur.* 173

DOMINICA TERTIA POST Epiphaniam.

*Tanta Dei in homines beneficentia eſt, ut prodigalitas videatur, ſi aliqua ſine defectu haberi poſſit.* 183

DOMINICA QUARTA POST Epiphaniam.

*Malorum conſortium vitandum eſt; quia non rarò propter malum unum patiuntur multi boni.* 194

DOMINICA QUINTA POST Epiphaniam.

*Nihil in mundo ex omni parte beatum, nihil ſtabile, ſed omnia viciſſitudini continuæ obnoxia.* 205

DOMINICA SEXTA POST Epiphaniam.

*Cavendum etiam à minimis, puta venialibus, ne paulatim ad magna & mortalia prolabamur.* 215

IN FESTO PURIFICATIONIS Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

*Sanctiſſima Virgo MARIA perfectam obedientiam docet, opera ſupererogationis Deo eſſe grata, & quid Divinæ Majeſtati offerendum.* 223

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

*Sine labore non pervenitur ad quietem æternam. Otium vitiorum omnium origo.* 232

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

*Verbum Dei efficax eſt, & fructum multum adfert, ſi modò debitè & reverenter audiatur.* 141

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

*Quid facto opus, ut Deum habeamus ad placitum. Talis erga nos Deus, quales nos ipſi exhibemus.* 251

R. A. P.

R. A. P.

# AUGUSTINI PAOLETTI ORDINIS EREMITARVM S. AUGUSTINI DISCURSUS PRÆDICABILES IN DOMINICAS ET FESTA OCCURRENTIA *Ab Adventu uſque ad Quadrageſimam.*

## DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

### ARGUMENTUM.

Judicii magni dies proponitur, tremendus & horribilis ex triplici conſideratione. 1. Quia ſtrictiſſima à peccatoribus reddenda ratio. 2. Conſcientiæ remorſus erit intolerabilis. 3. Et hoc ſuppliciorum omniumm longè graviſſimum, à Chriſto Salvatore ad æternas flammas condemnari.

### THEMA.

*Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium.* S. Luc. cap. 21.

IONAS accepto præcepto Domini, ut accelераret in civitatem Niniven, tergiverſatus eſt, & jam Divinæ voluntati factus rebellis, aufugit in Tharſis. Sed quid? vix à littore ſoluta eſt navis, vix vela extenſa ventis, conturbatur aer: & ecce ſubitò fulgur è cælo terribile, tonitru horrendum, quid niſi formidandæ tempeſtatis certò ſecuturæ præambula? Cæli ſerena facies & ridens mutatur, atris nubibus obducitur, conſpirant venti, & concitatis fluctibus iratum mare: Armantur omnia in fugitivum, in miſerum Jonam. Mari ſic agitato ceu furiis, ventorum impetu vela confringuntur, quaſſatur navis, jamjam in profundum abyſſi projicienda. Nautæ deſperantes, abjectis animis plus mortui præ timore quàm vivi, adhuc tamen vivi expectant ſingulis momentis ad ſepulchrum ſub undas præcipitari. Solus Jonas, orantibus, reliquis, & in cælum vociferantibus, *dormiebat ſopore gravi.* Quaſi periculi foret expers, & de ſalute ſecurus: *Ion. 1.*
& admoto ſtimulo opus ad excitandum, atque clamore valido. *Quid tu ſopore deprimeris?* Submerſionis periculum imminet omnibus, & tu, quaſi non in eâdem ſis nobiſcum perditione, placidè obdormis, nil curans?

O quàm horrenda tempeſtas! quàm inſolita, quàm terribilis vertici noſtro procella ſuboritur hoc matutino tempore, cùm adhuc in naviculâ corporis, ſupra mare vitæ præſentis fluctuat ani-

ma noſtra ! Fremunt venti Divinæ iracundiæ, ſtrepunt undæ ſupremæ juſtitiæ, Sol obſcuratur, ad terrorem peccatoris, Luna obtenebratur ad horrorem hominis perverſi, cadunt Stellæ de cælo, ut de cælo vultus veſtri, & de ſtellis oculorum veſtrorum defluant ſtillæ lachrymarum.

*Matth. 24*

*Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de cælo.* Et tu ô N. Civitas perverſa, ſtertis adhuc immerſa ſæculi voluptatibus, quæ ſenſus illaqueant, & ad vitia pertrahunt? *In ſomno quippe ſumus, dum in carnis voluptate torpemus* (verbis utor S. Calixti Papæ) *& in peccandi conſuetudine manemus, ſicut enim corpus per ſomnum aggravatur, ita per carnis voluptatem, & peccandi conſuetudinem animus deprimitur.*

*S. Calixtus Papa II. ſer. 1. de S. Iacobo.*

Expergiſcimini ſomnolentæ animæ, &, ut monet B. Archiepiſcopus Th. à Villâ novâ *excutite ſomnum, pellite ſoporem. Hæc auditis in Evangelio & dormitis? Hora eſt corrigendi vitam, emendandi mores, expellendi vitia: ne nos incautos inveniat tantum malum.*

*B. Thom. à Villâ novâ conc. 1. de judicio.*

Intereà vobis gravem vitiorum lethargum excutientibus, hoc diſcurſu ob oculos ponam judicii magni diem, quem tremendum & horribilem reddent hæc tria. 1. Strictiſſimum examen à peccatoribus ſuſtinendum, quando *videbunt Filium hominis venientem in nube.* 2. Conſcientiæ remorſus intolerabilis, *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione.* 3. Sententia damnationis æternæ à Christo Salvatore pronuntiata: *Erit enim preſſura magna, & ira populo huic (id eſt vindicta Divina) in ore gladii,* inquit Cajetanus. Argumentum profectò, non ad mulcendum aures, ſed ad pungendum corda. Et cùm de judicio ſit ſermo, judicium hìc veſtrum applicate, & in ſilentio attendite.

*Luc. 21.*

*Cajet. in c. 21. Luc.*

## PARS PRIMA.

ERunt *ſigna in Sole, Luna & Stellis.* Hæreo ſtupens, quando miſeri, & infelicis peccatoris indignas actiones conſidero, & ſic anxiâ mente diſcurro: hoccine poſſibile eſt, & fieri credam, quòd inſtar equi indomiti currat præceps per vias aſperas, quæ tandem ad interitum ducunt, & perditionem? Itanè ſuæ ſalutis incurius, in mundi vanitatibus dies conſumit, & inſtar beſtiæ abominabilis continuò jacet in ſordibus carnis, animam fœtidâ ſcelerum colluvie deformando? Unde accidit, quòd cœleſtibus beneficiis abutendo, cæco rapitur impetu, per fas & nefas diſcurrit, ſenſualitatibus ſuis vivit, Deum offendendo: nec videtur pro libitu umquam ſatis aggravare miſeram poſſe animam duriſſimâ peccatorum ſarcinâ? O Deus! utinam aliquando recogitet corde, *Quantus tremor eſt futurus, quando Iudex eſt venturus, cuncta ſtrictè diſcuſſurus.* Ad cujus citabitur Tribunal, redditurus rationem, non de gravibus ſolùm delictis, ſed & de leviſſimis defectibus; quandoquidem *capillus de capite veſtro non peribit.* Aliter, non dubito, cogitaret, aliter faceret. Audite S. Oreſium, *Oportet nos ſtare ante Tribunal Christi, & de ſingulis, non ſolùm operibus, ſed & cogitationibus judicari.* Si id quotidie, ô Christiane, perpenderes, crediderim, vitam ſeriò emendares, peccata defleres, & ita animam ab æterna damnatione præſervares. Crede, non mihi, ſed B. Archiepiſcopo Thomæ de Villa nova; O! *ſi hanc rationem ſæpiùs tecum faceres, & teipſum tibi ſæpè præſentares, & hiſtoriam vitæ tuæ plenè recenſeres; quot fructus in hac conſideratione eliceres? utique humiliares te, tuos defectus agnoſceres, deplorares, corrigeres, vulnera animæ tuæ ſanares, damnationem evaderes: ſed tu velut beſtia, degis vitam ſine conſideratione.*

*Luc. 21.*

*S. Oreſius Inſt. monach. in Biblioth. vet. PP. Tom. 4.*

*B. Thom. à Villa N. in Concion Dom. 3. Adv.*

Regem fuiſſe, refert Ambroſius Coriolanus, qui adeò melancholicus, & ſemper triſtis, ut in ſolemnitate etiam regali, quando per totum Regnum feſtiva diffundebātur gaudia, & aula tota in recreationem erat effuſa, ſolus ipſe mente abſtractus aſſiduò gemeret, alta emittens cordis ſuſpiria, & oris lamenta. Nihil, quod ad exhilarationem vultus ejus ſufficeret, aut ad provocandum vel ſemel riſum. Occaſione hinc habitâ, frater exſciſcitatur, quænam eſſet tantæ cauſa triſtitiæ. Reſpondit Rex: Hæc eſt, & unica, mi frater, quod in mentem incidat, ſemper adſtare me in præſentia ſeveri Judicis, ut peccatorum meorum, & cogitationum omnium illi exponam rationem. Et hæc ſola cogitatio ita cor meum lancinat, ut anxius ſemper hæream & deſolatus. *Quid miraris, ſi mœſtus, & triſtis coram Deo tali, coram tanta celſitudine, coram omniū rerum opifice, ſemper maneo, quem innumeris peccatis infinities offendi, cujus examen ſtrictiſſimum, cujus judicium infallibile, cujus tormenta æterna, cujus mors abſque morte, cujus aſpectu univerſæ contremiſcunt poteſtates?*

*Ambroſ. Coriol. in Reg. S. P. Auguſtini Text. 36.*

Pro certo crediderim, ô N. civitas, ſi hæ meæ voces, *Surgite mortui, venite ad judicium,* abditiſſima ſepulchra mortuorum, quorum ibi corpora in pulverem jam redacta, penetrare valeant, aut ad profundum abyſſi infernalis pertingere, ſpeluncæ illæ horridæ concuterentur, & quot-

quot

quot inibi, aut quæcumque latentes animæ, terrerentur, ac timore colliderentur, quemadmodum Scriptura ſacra manifeſtè teſtatur. Vitam trahebat Saul à deſperatis, ob mortem conſiliarii ſui Samuelis, cui omnem regni ſtatum crediderat. Bellum Philiſtæis indixerat, magnoque tenebatur deſiderio, ut ſciret exitum felicem ſibi? an infelicem. Triſtis itaque in aulâ obambulans, altum ſæpè ſuſpirabat, in has voces erumpens: O Propheta millies à me deſiderate! quàm etiam ſecutus, tuis me confidens conſiliis, atque iis quoties è labyrintho hujuſmodi dubiorum eductus! Tu ſolus mihi adjutor in graviſſimis regni mei negotiis, teque diligente difficultates omnes victor ſemper evaſi. Quando morti occubuiſti, fatebor verè, regno meo occidiſſe ſolem illum, qui radiis Prophetiæ ſuæ ſolitus diſſipare tenebras mentis meæ. Quærere quidem, ac verò alterum Samuelem repecite ſimilem, numquam dabitur. Aulicorum aliqui ſuggeſſeruur de Pythoniſsâ, quæ arte magicâ ad motum virgæ, Samuelem reducem ſiſteret; Propoſitum non diſplicuit, ſubitò illam acceſſit incognitus, & deſiderata expoſuit: at illa proniſſima in omnibus obſequi, ait: *Quem ſuſcitabo tibi?* Cui reſpondit ille: *Suſcita mihi Samuelem.* Et plenâ jam nocte, cùm in quiete eſſent omnia, receſſit illa in locum obſcurum valdè & ſecretum, ibique ſe magico operi dedit infernalis illa Proſerpina. Hic diſſolvere comas corvo nigriores, humeros atro cooperire velo, ſiniſtrum pedem nudare, & brachium dextrum, tunc virgam magicam extendere, modò mille greſſus, mille facere circulos, & horriſonis incantationibus miniſtros tartareos advocare. Ecce tandem illâ horrendum in modum clamante, *Samuel, Samuel.* Tremebant vicina omnia: & ibi ex improviſo comparuerunt (non vi incantationum, ſed operante & volente ſic Deo, ad confuſionem Regis) duo venerandi ſenes; tantaque illiâ inerat majeſtas, ut numina cœleſtia viderentur: unde mulier illa dixit: *Deos video aſcendentes de terrâ.* At verò, ſi ſolùm Samuelem vocarit, quomodo cum eo ſuſcitatus eſt comes, adeò ut meritò dixerit illa, in plurali *Deos*, & non *Deum* in ſingulari? Et quis ille alius, qui comparuit? Fert multorum Rabinorum opinio, vocem illam Pythoniſſæ ad limbum uſque pertigiſſe; adeoque ſanctum Propheram credidiſſe, quòd judicii univerſalis dies jam adveniſſet, & eâ voce citaretur ipſe, deberetque comparere primus ante Dei Tribunal, ut de omnibus geſtis in vitâ, redderet rationem. Ideò tremebundus ille, & ſtupens, Moyſem precatus eſt, ut comitaretur, & de eo teſtaretur, quàm exactè Dei legem à ſe promulgatam obſervaſſet. Itaque *Deos video aſcendentes*, id eſt, *Samuelem & Moyſen*. Loci hujus confirmationem habemus ex Adriano Fin. his verbis: *Samuel non ſurrexit ſolus, ſed Moyſes cum eo: dicunt enim Hebræi Interpretes, quod Samuel ſurrexit tunc, non virtute magica, ſed Divina: nam Samuel timuit, ne ad divinum judicium vocaretur, ex quo Moyſen vocavit, ut ſecum veniret.* Quaſi dixiſſet: Timeo & contremiſco, (ô Moyſes!) præ metu; & pudore morior? adeſdum, precor & comitare: *Vt ſi in ipſo ſibi opponeretur, quod legem Dei non ſervaſſet, Moyſes eam ipſum ſervaſſe teſtaretur.* Neque eſt equidem aliquis veſtrûm, qui neſciat, quam fuerit Samuel vir ſanctus, & Deo familiaris amicus. Quid ergò erit de nobis, qui in multis offendimus, & omninò perverſi ſumus.

Reg. 28.

*Adrian. Fin. in Flag. Iuda lib. 3. c. 2.*

*Item Horat. Petrob. in ſpec. verit. tract. 1. c. 4*

Argumentum fortius erit, cùm id probavero ab Apoſtolis Chriſti, qui Samuele Sanctiores erant, & ſine comparatione: quales erant Petrus, Jacobus & Joannes, cum in monte Thabor gaudentes illi gloria perfruerentur, ex inexpectato conterriti ſunt, & conſternati, *timuerunt valde, & ceciderunt in faciem ſuam.* Terror erat adeò vehemens, ut in terram corruentes, niſi Chriſtus ſuccurriſſet, dicendo, *Surgite & nolite timere*, præ timore expiraſſent. Sed in ſplendoribus cælicis conſtituti, quid metuebant? Quid tam amarum & violentum, quod tantam eorum turbaret dulcedinem? An fortaſſis viderunt ſpectrum inſolitum, aut mortem approximantem, an Infernum patentem? Unde ergo ad gaudia & gloriam acceſſit pavor & tremor? Reſpondet S. Baſilius Seleuc. ſecutus D. Hieron. Ideò timuerunt, quia apparuit illis nubes, de qua locutus eſt S. Evangeliſta Matthæus citato capite: *Ecce nubes lucida obumbravit eos*: Et illam ipſam exiſtimabant apparere non ad alium finem, quàm ut modò thronus fieret Chriſti, vivorum & mortuorum Judicis, ut ipſemet alibi in Evangelio teſtatur: *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* Et jam reddendam eſſe rationem de geſtis in vitâ, certo certius apprehendebant. Atque hinc tantus timor, ut propè mortui & exanimes in terram corruerint. *Iudicem futurum Orbis ſe tunc repræſentabat*, ſcribit Baſilius. Nec aliter S. Hieronymus: *Qualis futurus eſt tempore judicii, talis apparuit.*

*Matth. 17.*

*S. Baſil. Seleuc.*

*D. Hieron. in Cat. D. Thom. & in 3. Sent. q. 45. a. 2.*

*D. Hieron. ſupra.*

Poſtquam Salvator noſter mulierem illam, quæ in adulterio comprehenſa & accuſata ab Hebræis, clementer abſolvit; in pace dimiſit, ſed ſeriò monitam his verbis: *Vade, & jam noli amplius peccare.* Divus Fulgentius ſalutare hoc monitum ponderat, & Chriſtum inducit, quaſi ſic loquentem: O mulier! quid feciſti? Peccaſti? Fragilitati tuæ compatior, utpote humanæ: nihil eſt quod formides in mea præſentia: Judex quidem ego ſui, ſed pius ſemper & miſericors, non ſeverus, non rigidus. Officio functus ſum Advocati, te abſolvendo: non Judicis, condemnando. Hoc tamen impoſterum altâ ſemper mente retine: id moneo tu cave. *Noli amplius peccare.* Cùm enim Judicii magni dies advenerit, & ante Tribunal meum compellêris, ut exactiſſimam vitæ tuæ reddas rationem, quantùm à luce differunt tenebræ, tantùm ego tunc mutatus ab illo, quem modo expertæ es: ſi in culpam reincidas, ſtrictiſſimam exigam de omnibus & ſingulis præteritis rationem; & pœna illa, quam tibi miſericorditer nunc remitto, duplo ſeverius à me ſine miſericordia extorquebitur. *Fugerunt à te calumniatores,* (verba ſunt D. Fulgentii) *fugiat & peccatum. Fugiſti Judæos accuſantes, time Angelos ad meum judicium te trahentes. Mulier non ſic ſedebo in judicii Throno, quomodo nunc inclinatus ad terram ſedeo. Alius ille terror erit: non erunt accuſatores Judæi; ipſi ſe accuſant, qui ſic ad judicium veniunt, ubi ignis non extinguetur, & vermis non morietur.*

*Ioan. 8.*

*S. Fulg. ſerm. 9. de muliere adult.*

Et verè (Auditores) nihil fuerit in mundo terribilius unquam, nil tremendum magis. Quòd ſi ulteriori informatione eſt opus, bonus Latro dabit, & ſub finem vitæ in ſe expertus, teſtabitur. Pendebat in cruce languens ille & moriens; jam frigus mortis occupârat artus, vultum & labia pallor, lingua deficiebat, undique ex facie & reliquo corporis erumpebat (ut in moribundis ſolet) ultimus ſudor. Quid facit agonizans latro? Quid petit, antequam exhalet animam? An à Filio Dei auxilium, aut in tormentis ſolatium? Nihil horum: nec enim poſtulat ab anguſtiis eripi, aut à morte liberari, ſed hoc unicum auxiè cupit, neque minùs reverenter, quàm ſolicitè ſupplicat: *Memento mei, Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Quid ſibi vult hæc ſupplicatio? Quam petit gratiam? Paradiſum non poſtulat: temerè enim pro demeritis præmium prætenderet.

*Luc. 23.*

Advertite hîc mecum, pro faciliori intelligentia, Regnum cæli eſſe Regnum Patris æterni; adeoque dixit Salvator: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, uſq; in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei.* Deinde ſi de Paradiſo loqui intendiſſet bonus Latro, potiùs dixiſſet: *Dum aſcenderis,* aut, *dum perveneris.* Sed dicendo, *Cum veneris in Regnum tuum,* inferre quaſi ſic voluit: Domine, cùm de cælo ad Regnum tuum, quod in terra eſt, veneris, ut in Tribunali tuo ſedeas in die judicii; *memento mei,* dum coram te adſtabo tremens, judicandus de actionibus. Non mihi tam gravis hæc crux eſt, quàm judicii illius recordatio. Magis me examinis iſtius memoria cruciat, quam horum tormentorum acerbitas: malimque mori millies, quam vel ſemel comparere ante tuum Tribunal, ut pro gravitate delictorum meorum, judicium ſuſtineam. *Non timuit de præſenti ſupplicio* (inquit S. Auguſtinus) *ſed de futuro judicio.* Intentum hoc confirmat Euſebius Gallican. *Non dixit; Si Deus es, de præſenti ſupplicio eripe me; ſed magis. Quia Deus es, de futuro judicio eripe me, quàm citò eum replevit Spiritûs ſancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, intolerabile probat eſſe, quod metuit, prædicat ſæculis judicem, Regemque ſæculorum.*

*Matth. 26.*

*S. Aug. ſerm. 119. de temp.*

*Euſeb. Gallic. hom. de Laurent.*

S. Paulinus loquens de peccatoribus ait, quòd in medio flammarum infernalium habebunt gloriam. *Aut impietate duri, aut laſciviâ molles, quorum divitiæ peccatum, itinera lubricum, finis interitus, gloria in inferno.* Sed quomodo? Damnati habebunt gloriam in Inferno? an non iſte eſt atrociſſimorum tormentorum locus? ceſſabit ergo tortura Dæmonum? aut ignis in æternum non ardebit? Ambigere hîc nefas, quia in damnatorum abyſſo æterna confuſio, æterna tormenta, æterni ardores: procul inde omnis gloria, procul omne ſolatium. Quomodo ergo dictum, *Quorum gloria in inferno?* Intelligendum hoc eſt *comparativè non abſolutè.* Voluit ergo dicere S. Paulinus, quòd Inferni pœnæ, tametſi *ſecundùm ſe* ſint acerbiſſimæ; *comparativè* tamen, & reſpectu horroris, & confuſionis ante Dei Tribunal, ceu flores erunt, voluptas & gloria. *Reprobis tantâ ſuffundentur ignominiâ in judicii loco, tam acerbis tormentis à Judicis vultu, ut ipſi ultrò eant ad Inferni ſupplicium æternum, ipſum Infernum quaſi gloriam reputantes, ut acerbitatem divini vultûs declinent.*

*S. Paulin. Epiſt. 4. Fratri Sever. in Bibl. vet. PP. Tom. 5. p. 1.*

*Celada in Judith c. 16. §. 19.*

Obſervatu dignum eſt, quod de ſeparatione reproborum notat Evangeliſta. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum.* Ibunt: ſpontè igitur ibunt? Credideram ego, illos in Infernum à Deo cogendos, à dæmonibus pellendos ad æterna ſupplicia.

*Matt. 25.*

*plica.* Quis mortis ſententiâ damnatus, ultrò & lubens eat ad locum ſupplicii? ad conſolationem ſponte currimus; ad vincula, ad pœnas trahendi. Quomodo ergò dicitur, quòd *ibunt in ſupplicium æternum?* Mirum ſanè non eſt; quia tantus erit pavor & terror à facie Divini Judicis, ut minùs exiſtiment tormentum, & eligant potiùs ſpontè ire in Infernum, quàm irati Judicis diutius ſuſtinere præſentiam. *Ibunt,* (proſequitur idem Celada loco citato ſuprà) *non rapientur, non vi trahentur; ſed quaſi ſpontè ibunt pedibus ſuis. Quis reus ultrò it ad ſupplicium, & non violenter raptatur? Voluntas trahit ad delicias, imus ſpontè ad conſolationes: ſupplicia homines abigunt, & terrent, & ad fugam compellunt.* Et reſpondet: *Puto minacem judicis vultum, minitantem iras, fulgurantem ignes, fulminantem incendia, ipſis feralibus flammis acriora.*

Scribit Aurelius Victor, quòd Cæſar Auguſtus oculis ſeu fulgure terreret intuentes. Undè quidam alloquens, ac toto corpore tremens, oculos in terram demiſit, & Imperatori minanti, ac rationem quærenti, reſpondit: *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum.* Si terret ita viſus hominis clementis; quid faciet vultus Dei iraſcentis, & Judicis non miſerentis?

*Aurel. Victor lib. de vita & morte Imper.*

Exibat à cœna Judas, initium daturus perfidiæ ac Dominum ſuum traditurus. Pergebat itaque verſus Synagogam Hebræorum, & inter eundū credo, ſpiritus omnes recolligebat, cogitationesq; ſingulas ad internecionem Salvatoris excitabat. Et cùm ad Hebræos jam perveniſſet, cordis ſecreta peſſima pandit, paratum ſe illis exhibens, ad tradendum illorum manibus magiſtrum ſuum Chriſtum. Conventione factâ, & acceptis denariis abiit ad hortum Gethſemani, iniquiſſimum intentum executurus, comparet cum turba militum, & illis obviam Chriſtus petens: *Quem quæritis?* reſponderunt: *IESVM Nazarenum.* Mirum eſt NN. vix hoc locutus, *Ego ſum*: ecce conſternati ſubitò *ceciderunt retrorſum*: Verba Dei non erant fulmina, nec millies leviſſima arborum folia. Quis audivit unquam, quòd agnus ſimplici balatu lupum voracem terreat, aut ferociſſimum leonem? A ſimplice columba nunquam viſus fugere accipiter. Dicit hìc Dionyſius Carthuſ. Chriſtum eis illìc repræſentatum ut Judicem, ſicut in extremo erit judicio: *Chriſtus vultum ſuum oſtendit Iudæis in terrore, & majeſtate, egredientibus ex oculis ejus igneis radiis, atque Divino quodam fulgore in eis mirabiliter irradiante, & apparatu ſui vultus exterruit, & proſtravit.*

*Ioan. 18.*

*Dionyſ. Carthuſ. Tract. 48. in Lucam.*

Mea eſt hæc imaginatio (ò N. civitas!) quòd ubi Chriſtus hæc protulit verba, *Ego ſum*, formatus ſit, & inſonuerit in auribus militum, & in cordibus hic ſenſus: *Iudicaturus vivos & mortuos.* Quid mirum ergò, ſi *ceciderunt retrorſum*? Adſtabant improvisò in præſentia Judicis, cui de facto ſacrilego, quod patrabant, cogerentur aliquando ſtrictiſſimam ponere rationem. Unde S. Auguſtinus ait: *Vbi cohors armata, ubi Sacerdotes & miniſtri? Namque una vox dicentis, Ego ſum, ſine ullo telo, tantam turbam percuſſit, repulit, ſtravit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus potuit, qui moriturus hoc potuit?* Quàm piè ad rem noſtram differit B. Thomas à Villa nova. *Tantæ enim majeſtatis Tribunali aſſiſtere quis auderet? Apparere coram eo quis ſuſtineret? Columnæ cœli contremiſcunt ad nutum ejus: reſpicit terram, & facit eam tremere; montes & rupes, ſicut cera liqueſcunt à facie ejus; & poterit ſtare coram eo, debilis & putrida caro.*

*S. Aug. in c. 1. S. Ioan.*

*B. Thom. à Villa Nova con. 1.*

Mirum hoc habetur in libro Judicum, quòd tranſeunte Domino per terram Seir, & per regiogionem Edom, tremuerit terra, & ſudarint cœli. Rationem apponit Rupertus Abbas: *Cœli ac nubes diſtillaverunt aquis ad præſentiam Domini. Cœli quodam pavore ſudorem emittentes, aquis diſtillaſſe dicuntur. Terra mota eſt, cœli ac nubes diſtillaverunt aquis.* Verba ſunt Spiritus ſancti, falſum ſubeſſe non poteſt.

*Iudic. 8. Rupert. Abbas.*

Quid, ſi ſaxa duriſſima concuti dixero, tametſi inſenſibilia ſint, neq; Divino ſubjecta judicio, aut æternis pœnis? Atteſtatur Ludolphus Carthuſian. cùm ait. *Petra adinvicem collidentur*: Et erunt corda veſtra duriora petris adamantinis? *O cor nequam! ſi ad hæc audita non expaveſcis, nec ad pœnitentiam provocaris, durius es lapide, durius adamante.*

*Ludolph. Carthuſ. part. 2. c. 42.*

Cùm attentè meditor, quod de S. Hilarione refertur in vita, attonitus hæreo, & toto corpore contremiſco. Audite vos & confundimini; formidate miſeri, & infelices peccatores. Erat jam fidelis Dei ſervus ſenio gravis, cùm obrutus, neſcio an ab ætate deficiente, an à febri lethifera, ſenſit deliquium animi & virium. Heu mihi! (ſuſpirans ajebat) de vita mea actum eſt modò, mors invadit, exhauſtus & victus occumbo. De corporis hujus ergaſtulo languens eripietur anima; ad te Creatorem meum reverſura ſe præparat. Agedum anima, ſaccum hunc vermium deſere: nec ita ſtatim mors ex obſcuro hoc te carcere eduxerit, quin Dominus cœli portam aperiet, ut te extollas de dolore ad gaudium, de labore ad requi-

em, de bello ad triumphum, de certamine ad coronam, de ſervitute mundi hujus ad paradiſi dominium, & de morte hac brevi ad vitam immortalem? Proh dolor! Quid? Timor aliquis retinet, aut terror te retardat? Quid trepidas? Quid trepidas? De cœlo ſecuta es; de præmio æternæ gloriæ obtinendo non eſt quod reformides. Pro veſtitu elegiſti cilicium, pro cibo jejunium, pro potu lachrymas, pro obſonio abſtinentiam, pro requie vigilias, pro reſtauratione virium diſciplinam: Servíſti Domino ſeptuaginta annis continuis, & mortem times? Et mori perhorreſcis? *Egredere anima mea quid times? Egredere: quid dubitas? Septuginta propè annis ſerviſti Chriſto, & mortem times?* Hæc & alia dicens, ac ſi terrenis omnibus, & corpori iſti ultimùm valedicens, expiravit, & quaſi placidè obdormivit.

*In vita.*

Dic, ô benedicta Anima, unde tanta erat ſeparationis à corpore difficultas? Forſitan, quia de ſalute premebat ſolicitudo? ſed quomodo? An non fideliter Deo obſequendo, hoc tibi præmium meruiſti? Cauſam percipite, ô peccatores, & ſi non vos tangat, aut moveat, certè vel cor non habetis, vel illud adamante durius à ſeparatione, comparendum ei erat ante Dei Tribunal, ad reddendam ſe ſingulis operibus rationem, & inde omnis anxietas & trepidatio? Quid igitur fiet de vobis, ô peccatores obſtinati & perverſi, qui vitam veſtram Dœmoni, mundo, & carni ſemper indulſiſtis?

Si Sanctus ille, abſtinentiâ omninò extenuatus, in ſolitudine inveteratus formidavit, quomodo non timebitis vos in peccatis inveterati, qui vitam diabolicam tranſegiſtis, qui de emendatiori vitâ inſtituendâ non cogitaſtis, adeò in malo fuiſtis obdurati & excæcati, ut videri poſſit character Chriſtiani hominis in vobis extinctus, qui totam vitam ſervituti diaboli impendiſtis?

Quam poteritis dare excuſationem de mala veſtra vita & operibus peſſimis, ne vos eò momento redarguat iniquitas veſtra, confundat pudor, & convincat remordens conſcientia? Intellexiſtis aliquando de eo, qui *obmutuit*, cùm neſciret id excuſare, quomodo ingreſſus eſſet ad núptias ſine ornatu veſtis nuptialis? *Propter timorem accuſationis*, (ait Ludolphus Carthuſ.) *propter erubeſcentiam iniquitatis, propter ignorantiam excuſationis, præ confuſione non habens quid reſponderet; ſed propriâ arguente conſcientiâ convincitur, & mutus efficitur. Per hoc quòd ille obmutuit, monſtratur, quòd in ultimo illo examine, omne genus excuſationis ceſſabit. Obmutuit.* Audite quid in hunc locum S. Evangeliſtæ dicat Paulus de Palatio. *Verùm ſi ad tempus judicii extremi, & mortuis cujuſque verba hæc referantur, jam tempus non eſt pœnitendi, ſed obmuteſcendi: quid enim dicet, cui tot monſtrantur Dei beneficia, tot ab eo impenſa auxilia, tot inſtituta remedia, toties Deus contemptus, toties violata Sacramenta?*

*Matt. 22.*

*Ludolph. Carthuſ. p. 2. c. 43.*

*Paul de Pal. in Matt 22.*

Sperat forſan peccator Deum movere planctu ad miſericordiam? Fruſtra. Non proderunt ibi lachrymæ, niſi ad augendum dolorem. Non dabitur precibus locus, ut in integro reſtet Dei Juſtitia. Magna erit illic indignatio, quia non poterit reſpondere pro delictis. Ah! quàm in vanum miſcebit conſilia impius, aut volet contra Dominum proteſtari; Armabitur adverſus peccatorem omnis creatura. Verbis loquor Ludolphi Carthuſiani. *Iudicio imminente, cœlum tonitruis & fulguribus repellet impium, aer depellet per turbinem: mare per tempeſtatem, terra eum excutiet per communionem, & in toto mundo locum non inveniens ſepelietur in flamma ignis in Inferno.* Ego hic confundor & ſtupens hæreo; neque pro primo hoc puncto aliud addo, quàm hoc tibi, Peccator, minatorium. Væ tibi! væ, ſi non mihi credis modò, hoc retine à me dictũ, tunc experieris (ſed ſerò nimis) quando *videbitis filiũ homninis venientẽ in nube, cũ poteſtate magna & majeſtate.*

*Ludolph. Carthuſ. p 2. c. 42.*

*Luc. 21.*

Primo terrori alter ſuperveniet, ſcil. remorſus conſcientiæ, eritque maximum inde peccatori tormentum. Ab hac ſeu ignitâ ſagittâ tranſfodietur continuis plagis, non erit curationis, aut mitigationis remedium.

Seneca, tametſi fidei lumine deſtitutus, conſcientiæ tamen flagellum agnovit. *Facinorum mala flagellantur à conſcientia, cui plurimùm tormentorum eſt.*

*Seneca.*

Non poterant Poëtæ majus excogitare tormentum, quàm quod à conſcientia. Unde habet Juvenalis:

*Pœna autem vehemens, & multò ſævior illis*
*Quas & Cæditi gravis invenit, & Rhadamãtus,*
*Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.*
*Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

*Iuvenal. Satyr. 13.*

Sed à profanis iſta ſunt; à ſacris Scriptoribus audiamus. *Nulla pœna major eſt malâ conſcientiâ: ipſa eſt teſtis, ipſa judex, ipſa tortor, ipſa carcer, ipſa accuſat, ipſa judicat, ipſa condemnat.* D. Bernardo conſentit & D. Anſelmus, ubi ſic ait: *Conſci... impiorum magna pœna eſt.* Ita S. Iſidorus: *Nulla pœna gravior pœnâ conſcientiæ.* Accedit S. Petrus Chryſologus, *Confuſionem futuri judicii pertimeſcit;*

*D. Bern. lib. de conſcient.*

*D. Anſel. lib. 3. de ſummo bono.*

*S. Iſidor. Chryſol. ſerm. 135. de villico iniq.*

*cit; in quo jam non pœnitendi tempus eſt, ſed pœnarum: & ibi reus plus de conſcientia quàm de gehennæ pertimeſcit incendio,* Confirmat S. Auguſtinus. *Nulla pœna graviores ſunt, quàm malæ conſcientiæ, in qua, cùm non habetur Deus, conſolatio non invenitur.*

*D. Ambr. in ſentt. 191.*

Fateatur crudeliſſimus Nero, quodnam, poſt occiſam à ſe matrem Agrippinam, graviſſimum expertus ſit tormentum. Sic de eo teſtantur Annales: *Occiſâ matre Agrippinâ, ſceleris conſcientiam aut ſtatim, aut nunquam poſteà ferre potuit, ſæpè confeſſus, agitari ſe maternâ ſpecie, verberibus furiarum, ac telis ardentibus.*

*Dion. in Neron.*

Ab Imperio Neronis tranſeamus ad Regnum Balthaſaris. Rex iſte, majeſtatis erat adeò tremendæ, ut in exercitu præſens ad fugam impelleret, & pacis etiam tempore toti Regno eſſet formidabilis. Aſpectu ſolo timorem incutiebat & tremorem; ex facili tamen fuit convictus, manus unica, in aere ſola apparens, conturbavit & conſternavit. Quomodo? Manum jam timet, qui ſtatim antè, ſolo viſu integrum exercitum terrebat intrepidus? Cùm nondum intelligeret portẽtum; nec erat quod inde ſtatim ruinam veretetur. Crederim ego, ſic eum turbari & terreri à remordente conſcientia: perpendebat enormitatẽ ſuorum ſcelerũ ideoque, *facies Regis commutata eſt, & cogitationes conturbabant eum* Daniel. c. 5. Jacobus Veldius Burgenſ. hunc locum exponit, additq; rationem. *Nec mirum profectò, quòd hic blaſphemicus tantoperè concutiatur Scripturæ Divinæ aſpectu, quam, ex proprio cõſcientiæ teſtimonio, conjiciebat, comminationem aliquam Divinam in ſe continere: nam omnia timet, etiam tutiſſima, mens ſibi conſcia.* Manum itaq; pectori apponebat, & ſubitò conſcientiæ ſentiebat remorſum.

*Dan. 5. Iac. Vel-*

Quid Judam eò miſeriarum adegit, ut in ſemetipſum ſæviret, tam crudeliter vitam ſibi adimendo? Nequis putet, fuiſſe gravitatem delicti, major enim erat Dei gratia, & prona miſericordia. Agitabatur ergò ſtimulis remordentis conſcientiæ: & quia hos diutiùs tolerare non poterat, eum vita finire credebat, per mortem tam violentam. Sic quaſi in ſe cogitabat: Alterutram, ex duabus his pœnis vitare non potero: ad hæc extrema compellor, aut inquietè ſemper vivere, & gehennam intùs conferre, aut laqueo vitam perdere. *Ex duobus malis eligendum eſt minùs.* Si maneo in vita, millies morte transfigar momentis ſingulis: ſi moriar, tantis malis mors me eripiet. Quid nî ergò potiùs moriar? *Suſpenſus crepuit medius & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus*

*L. Quoties, cum ibi alleg. ff. de reg. jur. Act. 5.*

Subſiſtit hîc attonitus D. Ambroſius, & triſte hoc ſpectaculum intuitus, tandem ita de Juda concludit: *Non poterat ferre conſcientiæ dolorem, ideò, adoptato ſibi laqueo, vitam finivit.*

*S. Ambroſius.*

Conſcientiæ Symbolum eſt gallus, qui Petro Chriſtum negante cantavit. *Tunc cœpit deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem. Et continuò gallus cantavit.* Hinc innuit Spiritus ſanctus, quòd, vixdum commiſſum eſt peccatum, & conſcientia incipit mordere & redarguere. *Vix cœpit Petrus blaſphemare, quin ſtatim gallus cantavit; Petrus verò ubi gallum audivit, lachrymari, gemere & ſuſpirare cœpit. Quid deſignas nobis galle? Forſitan conſcientiam, quæ ſemper, poſt admiſſum facinus, occinit, inclamat, excitat quodãmodo dormientes, & intùs inſtar vermis corrodit.* Hæc Beſſeus.

*Matt. 26.*

*Beſſeus.*

Et verè: *Poſt admiſſum facinus conſcientia occinit, inclamat, excitat* homo, patre a ſe occiſo, cùm adſediſſet in convivio, hirundines aliquot è nido feneſtræ adhærente cantitare cœperunt: indignatus ille, & ab audito cantu factus impatiens, in rabiem verti de menſa ſurgere, hirundines abigere, & nido exturbatas, pede conculcare & occidere. Cauſam rogatus, ad convivas dixit: *Nonne jam diu, falſum adverſum me ferunt teſtimonium, clamantq; proprium me occidiſſe patrem?* Hoc dicto captus eſt, & morti adjudicatus, paricidii pœnas luit.

*Petr.[r] Herod. lib. 4. Plutarchus.*

Chriſtum miſit Pilatus ad Herodem, qui eum videns, dixit: *Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eò* Appoſitè hîc Herodes non loquitur, *Stulta prorſus cogitatio hæc Herodis fuit; quia nec faciem, nec habitum, nec vivendi modum Ioannis referebat Chriſtus, imò nec miracula ipſa, quo ad verba hæc proferenda, provocabant Herodem, id probabant: nam Ioannes ſignum nullum fecit. Vnde igitur deduxit Herodes, patratorem illorum miraculorum eſſe Ioannem?* Rex Theodoricus, capitis injuſtè damnârat Symmachum, & juſſerat decollari. *Paucis poſt diebus cœnanti ſibi, cùm miræ magnitudinis piſcis decoctum caput appoſitum vidiſſet,* illicò expaveſcere, oculos extorquere & avertere Theodoricus, extensâq; manu famulis mandare: Auferte (inquit) caput hoc Symmachi: tollite, inquam, ne diutius videam. Audiſtis? Tollite citò; crux mihi eſt & horror, videre. *Symmachi nuper occiſi caput illi eſt viſum*, ait Procop. At verò ſi caput erat piſcis, quomodo illi viſum eſt caput Symmachi? Fatebatur David: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Genebrardus hîc: *Peccatum meum aſſiduè video, mihi ſemper obverſatur*

*Matt. 14. Labata tom. 3. verb. peccatum prop. 16.*

*Procop. lib. 1. belli Goth.*

*Procop.*

*Pſal. 50. Genebr.*

obo-

*ob oculos. Aperire oculos nequeo, quin illud mihi ſe objiciat, illud perpetuò fero in mea conſcientia.* Theodoricum lancinat conſcientia, & quò torqueat magis, in abſciſſo piſcis capite, Symmachi innocentis caput detruncatum repræſentat. Sed ad Herodem redeamus. Videns itaque ille vultum Chriſti, Joannem cogitavit, ſuggerente cõſcientiâ & terrente. Viſa illi eſt effigies Joannis, quem morte iniquiſſimâ trucidârat, ut recordaretur ſceleris perpetrati, dum conſcientiæ aſſiduò ſentiret remorſum, ſemperq; ſibi repræſentaret Joannem iteratô monentem. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Hæc tibi ego dicebam; tu verò me propterea occidiſti: lues meritas pœnas ô ſceleſte, neque ceſſabit urgere conſcientia. Timebat Herodes & trepidabat, Joannes recogitans. *Quia uſq; adeò vigentem in ſe metum, & perpetuam trepidationem habebat* (ait Chryſoſtomus) *nec quiſquam erat, qui conſcientiæ terrorem ab eo eximere poſſet. Verùm incorruptus ille conſcientiæ judex continuò eum præfocabat, ſingulisq; diebus, perpetratæ cædis pœnas ab eo repetebat.*

*Chryſoſt. hom 28. in 2. ad Corinth.*

Deliberabat Suſanna, utrum è duobus his malis foret gravius, aut ſenibus illis negare conſenſum, ſicq; honorem prodigere & vitam; aut verò, eorum pravis deſideriis conſentiendo, aſſiduum conſcientiæ ſuſtinere remorſum. Ingemuit ergò, & ait: Si carnali illorum concupiſcentiæ non aſſentiar, honorem perdidero & vitam; ſi autem non aſſentiar, tot mortibus me expoſuero, quot cordis ſtimulis & conſcientiæ aculeis. Agedùm, hoc mihi deliberatum & firmatum manet; mori malim, lapidibus obrui, & ex impoſitione falſa, honoris mei jacturam facere, quàm intus in anima tolerare conſcientiæ vermem rodentem. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Ubi D. Ambroſius: *Non timore mortis percita fuit, ſed arguentis cenſuræ poteſtate perculſa.* Dolor ille, & conſcientiæ remorſus quaſvis pœnas illi faciebat leves; ut ſententia fert Hippocratis. *Duobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat.*

*Dan. 13.*

*D. Amb. lib. de fuga ſaculi cap. 9.*

*Hippocr. lib. 2. Aphoriſ. aphor 46.*

Notatu digna ſunt verba, quæ locutus eſt Cain *Omnis qui inveniet me, occidet me.* Sed quis occidiſſet? Non Adam, non Eva: erant enim parentes, tantamque in prolem crudelitatem impediviſſet tam arctus amor. Dilucidat hunc locum Cajetanus & Abulenſis, legendo ſic: *Omnis qui inveniet me, occidet me,* deprecando ſcilicet & optando, locutum fuiſſe Cain exiſtimant, Deumq; rogaſſe, ut acceleratâ morte deſineret conſcientiæ remorſus ex commiſſo fratricidio. Sed noluit Rex cœleſtis hanc gratiam concedere. *Qui occiderit Cain, punietur ſeptuplũ.* Non volo ut moriatur, ſed in vivis maneat; foret enim mori leve nimis, pro culpa tam gravi, ſupplicium. Vivat ergô, & conſcientiæ ſtimulis exerceatur ac torqueatur, eritq; pœna hæc crudelior morte, tametſi *Ultimum terribilium* dicatur à D. Eucherio. Audiamus ſententiam S. Hieronymi. *Noluit Deus compendio mortis finire cruciatus; unde ait: Non ſic, id eſt, non ut exiſtimas, morieris, & mortem pro remedio accipies, ſed vivens uſque ad ſeptimam generationem conſcientiæ tuæ igne torqueberis.* Ideò exiſtimat B. Matialis, magnam fore juſto, in die judicii, conſolationem ab illæſa conſcientia. *Beati autem eritis, Fratres mei, in illo die, ſi conſcientiam veſtram puram coram Deo exhibueritis.*

*Gen. 4.*

*Cajetan. Abulenſ.*

*D. Eucherius Lugd. lib. 1. in Gen. Biblioth. vet. PP. Tom. 5 S. Hieron. ad Damaſ. q 2. D. Martial. epiſt 1. ad Burdegal. c. 6.*

Dixerit fortaſſis aliquis: Mi pater, conſcientiam quidem habeo, ſed tamen patrato delicto, non ſentio remordentem. Scis quare? quia jam in te eſt ad malum habitus. Neque etiam Nili, fluctu rapidiſſimi, ſtrepitus percipiunt accolæ, eò quôd aſſuefacti. Vel reſponſum, ſi mavis, à S. Patre Auguſtino audi. *Licèt peccator quandoque foris hilaris videatur, intus tamen ſagittatur ſtimulo conſcientiæ;* non ſecùs ac ille, qui ut luctum diſſimulet, riſum provocat, ſed dolore cordis intrinſecus premitur. Non modò ſentis, quia, ut dicit Hippocrates. *Quicumque dolent in aliqua parte corporis, & dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat.* Senties autem ad vivum in extremo illo die. Serpentem fortaſſis videris, hyemali tempore in ſpecu, aut rimâ parietis latitantem: ſopitus tunc jacet, & quaſi mortuum diceres: non enim horrorem incutit, aut terrorem pueris, etiam irritantibus non inſultat, & vix eum à loco moveas, quantumcumq; percuſſeris. Sed æſtatem exſpecta & eundem apricantem reviſe; ad Solis radios vigorem colligit, & vitales ſpiritus, erumpit è latebris, repit, ſaltat, mille facit circulos, oculis & ſibilo terret ſolùm videntem, quid ſi irritantem? Dirum in modum irrueret, virulentis ligaret complexibus, inficeret & necaret. In præſenti, quamdiu mundi hujus durat hyems, ſerpens conſcientiæ ſopitus videtur quaſi ſit abſque viribus, nec percipitur; ſed futurum exſpecta, cùm in judicii magni die Sol juſtitiæ vibrabit radios furoris & vindictæ Divinæ; tunc ſerpens ille conſcientiæ terribiliter ſibilare, crudeliter animam invadere, rodere & vorare, eritque tormentum iſtud infernali cruciatu gravius. *Et ibi plus de conſcientia, quàm de gehennæ pertimeſcet incendio.*

*S. Auguſtinus.*

*Hippocrates Aphoriſ.*

S.Chry-

*Chryſol. ſerm. 125.*
*D. Alredus in l. ſa. 13. in Bibl. vet. PP. To. 13.*

S. Chryſol. Accedit D. Alredus: *Etſi modò exultent, cum male fecerint, & lætentur in rebus peſſimis, imminente jam morte, ſicut parturiens dolebunt. Ita profectò anima voluptatibus, vitiiſque corrupta, cum ipſius corruptionis cœperit morienti apparere ſtipendium, triſtitia, doloribusq; conteritur, & ſera pœnitentia reverſa in ſe, incipit ſentire quod ſcriptum eſt: Ambulate in lumine ignis veſtri, & in flamma, quam ſuccendiſtis.*

Et meritò: quia pœnæ ſunt peccatorum ſtipendia. Quiſquis virtute peſſumdatâ, ruptâque prudentiæ lineâ, in ſcelus it præceps, ad ſeveræ vindictæ ſcopulos allidit. Qui ſe culparum inundationibus immerſerit, abſorbebitur in profundum. *relinquentur deſtituti ſpe veniæ, nullum invenientes auxilium miſericordiæ* ſcribit Joann. Driedo.

*Io. Driedo, de Reg & dogm. S. Scrip. lib. 3.*

Proſequitur S. Fulgentius. *Iniqui nunquam carebunt ſupplicio, quorum voluntas in hac vita noluit carere peccato: tales enim magis delectantur peccare, quam vivere; nec ab hoc peccant, ut ſemper vivant; ſed ideo hic ſemper vivere cupiunt, ut numquam deſinant peccare, dum vivunt.*

*D. Fulg. de miſſ. pecc. lib. 2. c. 21.*

Terribilia loquitur S. Aſterius: *Non illic paratæ virgæ & flagra, non obſcurum piſtrinum, non compedes ferreæ, ſed ignis inextinguibilis, tenebræ perpetuæ, ſed ſtridor dentium, ipſius Evangelii teſtimonio deſignatus.* Si modò non credis, tunc verè experietis.

*S. Aſterius hom. de Oecon. inquit.*

Sed qui ad dexteram, erunt electi, qui verò ad ſiniſtram ſtatuentur, reprobi. Quare reprobi? Quid mali fecerunt? & iſti, qui boni? Damnabuntur illi ad æternas flammas, qui eleëmoſynas non dederunt: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi & non dediſtis mihi bibere, &c.* At iſti, cur beati? An quia Virgines, aut Religioſi fuerint, aut abſtinentiæ & mortificationibus dediti? Non; ſed quia opera fecerunt miſericordiæ. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare; ſitivi & dediſtis mihi bibere, &c.* Signum æternæ prædeſtinationis hodie vultis in vobis? Eleemoſynam facite. Ad dexteram erit, æternâ felicitate remunerandus, quiſquis pauperi Chriſtianæ charitatis opera exhibuerit, ut commendo & ſubſiſto.

*Matt. 25.*

## PARS SECUNDA.

GRaviſſimas peccatori deberi pœnas, non eſt qui neget, non qui dubitet. Videndum tamen, in quo conſiſtat illa punitionis gravitas, & unde dolor reproborum acutiſſimus. Nil moror, imò ridendum potiùs, quod de Catonis filia, quæ, intellecto Pompejanorum excidio, id tantùm doluit, ut in ſe ipſam facta crudelis, cùm deeſſet gladius, quo ſe perimeret, ori patulo ardentes injecerit pruinas, ſicque miſerè ſuffocata. Homerus laqueo ſe interemit, quòd non poſſet ænigma ſolvere objectum à Piſcatoribus. Terentius, ob deperditas 108. Comœdias, quas multo ſuo labore, & ſtudio habuerat digeſtas, afflictione nimiâ ſuperatus, in mare ſe demerſerit. Saul ad montes Gelboe, cruentas ſibi manus injecerit, quia profligatus erat ejus exercitus; quod audito nuncio de capta arca corruerit Heli *& fractis cervicibus mortuus.* Nil, inquam, iſta miror; ſed quòd Cæſar tam inhumaniter habitus à ſanguine proximo, quòd propriis filii ſui Bruti occiſus ſit manibus, hoc illi tormentum, quovis dolore, quovis vulnere gravius, hinc triſte Patris lamentum, *Et tu quoq; Brute fili mi!* Suetonius de morte Cæſaris commemorat.

*Iac. Philip. Bergenſ.*
*lib. 7. Martial. lib. 1. Epigr. Areſius Ioan. Ravis, text. in Offic. c. 1.*
*1. Reg. 4.*
*Sueton. Tranq. de morte Cæſar. n. 82.*

Permiſit quidem Deus, ut fugerit impius Aſſyriorum Rex Sennacherib Angeli ultoris gladium, vitamque ſervarit, ſed quod poſtmodùm fugiens in civitatem Niniven, interemptus ſit à propriis filiis Adramelech & Saraſare, à quibus ſperaverat ſubſidium & defenſionem, inde maximus illi cruciatus & dolor. *Hoc fuit, ad inferendum ei majorem pœnam,* (Abulenſis ita teſtatur) eò quòd *occiſus eſt à filiis ſuis, à quibus maxime diligi debuiſſet.* Quòd pientiſſimus Dei Filius, paſtor ille optimus, qui, propter nimiam ſuam charitatem, venit in mundum, ut nos quærat, & oviculas errantes in paradiſi paſcua reducat; quòd ille, inquam, bonitatis infinitæ Servator perturbet nos, & ad infernalium luporum fauces detrudat, quantum hoc NN. putatis fore tormentum! Quod vox illa dulcis, quæ toties olim ad cœlum invitavit; illa, illa ipſa ad æternas flammas modò abigat? ô Deus! *Vbi videbunt homines unigenitum Dei, qui pro nobis indignis & ingratis tot pœnas & injurias paſſus eſt, tum amore, tum timore compungentur ad fletum, plangentes ſemetipſos ſuper ingratitudine ſua, eo quòd auſi fuerint aliquando reſiſtere tantæ Majeſtati, & non cognoverint tempus viſitationis ſuæ.*

*Iſa. 37.*
*Abulenſ.*
*Ioach. Abb. in c. 1. Apoc. tex. 10.*

Quantum ſit hoc tormentum expertus eſt Regis Davidis ingratus filius, cùm debellato exercitu, ad fugam coactus eſt, & extremas miſerias. Mulo itaque inſidens, calcar admovit, & curſu rapidiſſimo accelerans ad quercum impegit, ubi diſſolutis crinibus, ramoque intricatis, adhæſit inter cælum & terram penſilis. Supervenit Joab, & tribus lanceæ ictibus cor Abſalonis transfodit; & ſic miſerè periit. *Tulit ergo Ioab tres lanceas in*

*2. Reg. 18.*

*manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon.* An non poterat alius eſſe tantæ crudelitatis miniſter: Omninò: voluit tamen ita Deus, quò foret acerbior Abſalonis punitio, ut qui toties pro eo patrem iratum placaſſet, ille ipſe contra eum animaretur, & tam crudeliter trucidaret. Undè crediderim, majorem fuiſſe Abſaloni cruciatum ab agente, quàm ab ipſamet actione pœnali. *Hoc eſt admirabilius* (inquit S. Chryſoſtomus) *Qui Patrem ei reconciliavit, is ipſum interfecit.*

D. Chryſoſt.

Miro & inſolito modo procedet Deus in ultione peccatorum. De eo loquitur Job, cùm ait: *Vidi impios flante Deo periiſſe.* Erit fortaſſis flatus ille ut crocodyli vel baſiliſci, interficiens? Teſtatur S. Paulus ita interficiendum Antichriſtum. *Quem interficiet Dominus Ieſus in ſpiritu oris ſui.* Huc Sacri Interpretes, edicite; Quid efficit ſpiritus oris Dei? Effectus ejus eſt, dare vitam, *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Sed & Spiritus eſt conſervare vitam. *Nos conflamus aerem, dum ab extra intus trahimus, & ab intus extra reddimus.* Gloſ. Ordin. Voluit ergo Deus peccatorem interimere flatu illo, quo dat aliis vitam, ut ſic mors ſit acerbior. Perpendite igitur, quantus futurus ſit dolor homini iſti, quem ſua iniquitas fecerit reum, dum æterni ſupplicii ſententiam dicet ille, qui in mundum venit, ut æternâ penſaret gloriâ! dum infernalibus eum objiciet tenebris ille, à quo lucis æternæ ſperabat gloriam!

Job. 4.
2. Theſſ. 2.
Gen. 1.
Gloſſa Ord.

Non tam doluit Tobias excæcatum ſe eſſe, quàm quòd inflictum hoc malum ab hirundine, quæ ſolita ſucco chelidoniæ viſum pullis dare, ex naturali inſtinctu *Quærit herbam chelidoniam, cujus ſucco illinit oculos filiorum, & ſic viſum recipiunt iterato.* Ah! quòd Chriſtus ipſe, qui crucifixus eſt, ut ſplendorem det gloriæ, ad perpetuas damnabit tenebras. Prô, quantus hic cruciatus! Quòd plagæ illæ ſacratiſſimæ, per quas ad cœlum alioquin daretur acceſſus, ceu totidem ora tonabunt, *Ite maledicti in ignem æternum.* Quòd Sanguis ille benedictus, magnum redemptionis noſtræ pretium, pro atramento erit, ad ſcribendam æternæ damnationis ſententiam. Horreo ad ſolam hanc cogitationem, & in mentis exceſſu cum S. Leone exclamo: *Quis igitur iſtam ſortem æternorum cruciatuum non paveſcat? Quis mala, numquam finienda, non timeat?*

Petr. Berchor. lib. 1. reductor. moral. c. 41.
D. Leo ſerm. 4 decollect.

Exprobrabit tunc Judex iratus omnia beneficia nobis impenſa, quibus abuſi ſumus: Audite quomodo loquentem inducit S. Chryſoſtomus: *Ego propter vos homo factus ſum, propter vos alligatus & deluſus, cæſus & crucifixus; ubi eſt tantarum injuriarum mearum fructus? ecce pretium ſanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum veſtrarum, ubi eſt ſervitus veſtra, quam mihi pro pretio Sanguinis mei debetis? Omnem rem viliſſimam terræ amplius dilexiſtis, quam juſtam meam fidem.*

S. Chryſoſt.

Tunc objiciet Salvator (ait S. Ephrem Syrus) in hæc terrena ſe deſcendiſſe, ut paradiſum aperiret, eoque perduceret; at nos, ex mera noſtra malitia, infernum petiiſſe, æternis cruciatibus addixiſſe, *Paradiſum vobis aperui, regnum cœlorum vobis obtuli, Spiritum ſanctum vobis miſi, quid ultra debui facere, & non feci? Humilem voluntatem veſtram ſolummodo quæſivi, non vos coegi. Dicite, mihi peccatores ſecundum carnem paſſibiles, ac mortales, quid paſſi eſtis, propter me Damnatorem veſtrum, qui etiam impaſſibilis pro vobis paſſus ſum?*

D. Ephr. Syrus.

Tunc improperabit redemptor (dicit S. Auguſtinus) quanta pro nobis paſſus: ibi vulnera oſtendet, & dilaniata membra. *Dominus noſter, in die judicii, vulnera demonſtraturus eſt ſua, ut, convincens peccatores dicat: Ecce hominem, quem crucifixiſtis; videte vulnera, quæ inflixiſtis; agnoſcite latus, quod pupugiſtis; per vos apertum eſt, & propter vos, & tamen intrare noluiſtis.* Salutifera hæc vulnera contra nos.

D. Aug. c. 20. in Ioan. & in catena D. Tho. ibid.

Dixerit hîc fortaſſis Legis peritus: *Illud quod favore aliquorum introductum eſt, non debet ad eorum læſionem retorqueri.* Sed quis neſcit, quòd Lex Divina ſupra omnem legem humanam ſit, ſemper erit?

L. Quod favore, C. de Legib.

Mala hæc omnia ut evitemus, amplectamur ſalutare hoc monitum B. Thomæ à Villa nova. *Præoccupemus, Fratres, tantum Iudicem, & præoccupemus faciem ejus in delictorum noſtrorum confeſſione: præoccupemus manus ejus condignâ pœnitentiâ, jejuniis & flagellis, & ſententiam ejus, fletibus leniamus. Ploremus coram Domino, qui fecit nos, ne perdat nos, cordiſque noſtri maculas diluamus, gemamus pro delictis aſſidue: gemamus modicum, ne ſemper gemamus: ploremus modicum, ne in æternum ploremus; non parcamus nobis, ut parcat ipſe nobis.* Peccator, hæc audi & vitam emenda, alioquin ſanctè polliceor, hæc experieris & plura & graviora, quàm dixi. Non credis modo? Credes cùm ſerius; nec erit pœnitendi tempus, nec veniæ locus.

D. Thom. à Villa Nova Conc. 2.

# IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

## ARGUMENTUM.

Glorioſus Apoſtolus Andreas, Domini noſtri in juriſdictione temporali Vicarius, Principatum adauxit Eccleſiæ & Chriſti: Et ſolet Deus ad facta illuſtria & glorioſa, abjectis uti mediis, quæ infirma ſunt mundi, eligens, ut confundat fortia.

## THEMA.

*Ambulans Jeſus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres Simonem & Andream & vocavit eos.* S. Matth. cap. 4.

C[um] duo pauperes, ſed verè felices & beati Piſcatores, Simon & Andreas extenderent retia capiendis piſcibus, ſupervenit Clementiſſimus Dei Filius gravi incedens paſſu: *Ambulans Ieſus juxta mare Galileæ.* Ad præſentiam Solis tam ſereni illicò quieſcere venti, procellæ concidere, ſedari fluctus & pacatum jam mare. Et ſtatim ac vidit ibi duos fratres piſcationi inſudantes, voce elatâ & ſignis, ad ſe venire jubet. *Vidit duos fratres & vocavit eos.* Et quando putabant, capturos ſe piſces, capiuntur ipſi in verbo Dei. *Vidit, non ad facies eorum, ſed ad corda reſpiciens* (notat hic S. Joan. Chryſoſt.) *duos fratres. Ideo, ſuper fraternitatem charitatis, Eccleſiæ compoſuit fundamenta, ut radicibus charitatis exuberans quaſi humor aſcendat in ramos, ut per naturam & gratiam, ipſa charitas firmior habeatur.* Venerab. Beda ſic habet: *Vocavit eos. Quia voluit ſuæ prædicationis habere miniſtros.* S. Thomas hic ita ſentit: *Venite poſt me; non tam pedibus corporis, quam imitatione & affectu.* Subſcribit Hugo Card. *Faciam vos fieri piſcatores hominum: id eſt, faciam vos Doctores, ut reti Verbi Dei comprehendatis homines de mundo hoc falſo & fluctuabundo, tempeſtuoſo, inſtabili, perfido & ſemper periculoſo, & nemini umquam tuto.*

*S. Ioann. Chryſoſt. in Matth. c. 4. Beda hom. de Sanctis Conc. 4. D. Thom. in Matth. c. 4. Hugo Card.*

Summatim, ab imo piſcatorum ſtatu ad Principatum S. Eccleſiæ vocavit: à mari Galileæ ad ſpatioſum mundi oceanum: à reti lacero ad Evangelium æternum; à naviculâ agitatâ ventis & fluctibus ad navim S. M. Eccleſiæ, nullis umquam mundi adverſitatibus ſubmergendam. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* *Matth. 16.* *Vocavit*; ut duo forent duces militiæ Chriſtianæ, duæ columnæ ædificii Eccleſiæ Catholicæ, fundatores Divinæ Religionis, clavigeri regni cœlorum, cives paradiſi, cœleſtium bonorum theſaurarii, ſupremi Sanctiſſimæ Trinitatis Conſilii Secretarii. At ſi verè hoc, quod vetus eſt dictum, *Nec Hercules contra duos* *Adag.* quomodo auſim ego Apoſtolorum Petri & Andreæ, vel leviter laudes perſtringere? S. Eccleſia glorioſo Apoſtolo Andreæ feſtum hoc inſtituit ſingulare, & præſentem diſcurſum, inibi exhibens paucis, quàm mirabilis Salvator in vocatione S. Andreæ & electione.

Hoc tamen, Auditores, monitum velim. Mundus eſt mare: *Hoc mare magnum & ſpatioſum.* *Pſal. 101.* Homines ſunt piſces: *Facies homines velut piſces maris.* *Hab. 1.* Et cùm ego piſcator Apoſtolicus rete Evangelii, & hamum verbi Dei extendero, vos interim recordemini, eſſe Symbolum ſilentii piſces, adeòque piſces ſitis, ſilentio ac attentione faveado; exordior.

### PARS PRIMA.

V*idit duos fratres & vocavit eos.* Voluit Chriſtus ut ponerent hi duo fratres Simon & Andreas prima Eccleſiaſtici ædificii fundamenta, eaque fuſo ſanguine conſolidarent, non ſecus ac factum Romæ à duobus fratribus Romulo & Remo: erectos enim Civitatis almæ muros proprio ſanguine etiam tinxerunt. Lucanus ita canit.

*Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.* *Lucan. lib. 1.*

*D. Greg. hom. 17. In Evang. D. Thom. in Matth. c. 4.*

Elegit duos, ut benè ſcribit D. Gregorius, dictante Spiritu Sancto; *quia charitas minus, quam inter duos, haberi non poteſt.* Subdit Angelicus Doctor in c. 4. Matth. *Binos elegit, quia voluit, ut ſignificaretur per hoc charitas ſpiritualis.*

*D. Greg. ſupra cit.*

Ad erectionem Synagogæ antiquæ duo fratres electi Moyſes & Aaron: adeoque congruum erat, ad ædificium Eccleſiæ novæ ſeligi fratres duos, Simonem & Andream, ut ſciret mundus, quod fidei noſtræ Chriſtianæ ſit fraterna charitas fundamentum; & hoc certum, quod habet S. Gregorius. *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non maneat in radice charitatis.*

*S. Ambr. lib. de Ioſeph. patr. c. 2.*

Neque voluit illos dividi, ut naturâ conjunctos, etiam uniret divinâ gratiâ. *Iungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura*, ſcribit S. Ambroſ.

*B. Iordan. de Sax. ſerm. 3. de S. Andr.*

*Venite poſt me*, ut ſitis paupertatis meæ, humilitatis, auſteritatis imitatores. Hoc adimpleviſſe videtur Apoſtolus; ſiquidem *Andreas perfectè Chriſtum ſecutus eſt in paupertate, quia omnia reliquit terrena per Chriſtum, & contempſit: in humilitate, quia deſpectiſſimum mortis genus elegit: in mortis acerbitate, quia per triduum in cruce pependit, & acerbitatem pœnarum alacriter ſuſtinuit.* Ita B. Jordanus.

*Euſeb. Emiſſ. in Matt. c. 4.*

*Venite poſt me.* Andreas Chriſtum ſecutus eſt mente & affectu, inſiſtens veſtigiis ejus. *Poſt Chriſtum namque ire, eſt ejus veſtigia ſequi* (ait Euſebius Emiſſen.) *ejus opera imitari, ejuſq; patientiam, & humilitatem tenere: neq; enim ſufficit nobis, pedibus tantum ire poſt Ieſum, niſi & mente & dilectione ſequamur.*

*Gen. 2.*

*S. Ioan. Chryſoſt. apud Lopez. in Feſto S. And.*

Non fuit ſic Deo viſum expediens, ut maneret homo ſolus in paradiſo terreſtri. *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*; ideò dedit Evam ſociam. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Pariter judicavit non fore conveniens, Andream manere ſolum in myſtico Paradiſo S. Eccleſiæ, ideoque Petrum adjunxit ſocium & adjutorem. *Et vocavit eos. Sicut enim in Paradiſo, primo parente condito, dixit Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: ita qui novum condebat paradiſum in terra, novoſque homines in eo conſtituere decreverat: prioribus longè excellentiores, vocato Andreâ, ei ſociare voluit Petrum.* Ita S. Chryſoſtomus

*S. Bern. ſerm. de S. Andr.*

*Vocavit eos.* Prævidebat enim Dei Filius, obtemperaturos illos & ſtatim omnia relicturos, ut vocantem ſequerentur. *At illi continuò, nihil judicantes, aut hæſitantes, non ſolliciti, unde viverent, non conſiderantes, quonam modo rudes homines, & ſine litteris, prædicatores fieri poſſent, nihil deniq; interrogantes, ſine omni mora, relictis retibus & navi, ſecuti ſunt eum.* Hæc S. Bernardus,

*B. Laur. Iuſtin. ib.*

*D. Baſil. Seleuc. Orat. 30.*

B. Laurentius Juſtinianus ſatis mirari non poteſt, quàm promptè fuerit obediens S. Andreas, ut, ſuperatâ protinus omni difficultate, ſequeretur magiſtrum Dominum. De eo ſic loquitur: *Nondum miracula viderat. Scripturarum minimè intellectum acceperat, & tamen promptus, & alacriter totum quod habuit, dereliquit.* S. Baſilius concludit. *Longum vale retibus dixerunt, ſeque à mari expediverunt, Salvatoris nutibus obſequentes.*

*In vita.*

*S. Dionyſ. Carthuſ. Serm. 2. de S. Andrea.*

*Vocavit eos.* Miranda coralii natura, & proprietates uti teſtantur, quorum eſt ſtudium id ſcrutari. Naſcitur in ſinu matris, nutritur & creſcit; non fit tamen valoris, niſi prius à piſcatore aquis extractum, cui tunc accedit valor, color & vigor: valor quidem, quia in mari algâ vilius, eductum verò fit coralium: in mari albeſcit, at expoſitum aëri fit purpureum: in aquis eſt fragile, ubi extraxeris, adamantinum. In mari Andreas herba viliſſima, pauper & abjectus piſcator, albens quidem integritate animi, & conſcientiæ nitore; fragilis & flexilis jam ad bonum, & modo ad malum, ſed reti Divinæ vocis, *Venite poſt me*, eductus mari, pro coralio eſt, valorem accipit, dum fit ex piſcatore Apoſtolus. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Colorem habet purpureum in martyrio. *Innocens ejus ſanguis ſine cauſa damnatur. Dignum ſibi computavit martyrem quem vocavit Apoſtolum, dum eſſet in mari.* Vigorem acquirit, ubi fit contra Ægeæ minas intrepidus & animo quaſi adamantino invincibilis, terrori reſiſtit (Commendatur B. Andreas à conſtantiâ, & fortitudine in adverſis (*verba ſunt D. Dionyſii Carthuſ.*) quia pro Deo & fidei veritate ad mortem paratiſſimus fuit; imò cum inæſtimabili mentis fervore anhelabat ad ſalutare martyrium. Cùm enim Proconſul ei ſupplicium minaretur, reſpondit: Si crucis patibulum formidarem, gloriam crucis non prædicarem: quidquid tibi videtur in ſuppliciis majus, excogita; tantò namque Regi meo ero acceptior, quantò pro ipſo duriora pertulero, & quantò in pœnis conſtantior fuero.) O Coralium duriſſimum! O conſtantiam Andreæ admirabilem! Andreas itaque ex herbâ coralium, ex piſcatore factus eſt Apoſtolus. *Vocavit eum.*

Salvator Noſter piſcatorem agit, arundinem

diri-

*Euſeb. Emiſſ. in Matth. c. 4.*

dirigit, & hamum extendit, ut caperet animas; piſces enim ſunt Deo gratiſſimi. ( Tales piſces digni ſunt convivio Dei : tales piſces in baptiſmatis fluvio natant : tales piſces hamo fidei, & ſanctæ prædicationis retibus capiuntur. ) Sed quia non niſi ſingulos viciſſim piſces extraxit, Matthæum nunc ex profundo telonei, tunc Magdalenam ex lachrymarum oceano, hic Nicodemum ex negotiorum abyſſo, ibi Zachæum ex divitiarum torrente, in ſubſidium accivit Andream, qui ut cooperator ſtrenuus, non unam viciſſim aut alteram, ſed animarum millia ad fidem Catholicam verbo prædicationis attraheret. *Biduo vivens in cruce, viginti millibus adſtantium prædicavit.* At ſi prævident Salvator tam felicem Andreæ piſcationem, non mirum, quòd advocaverit futurum coadjutorem. *Omnibus tiis actibus per Chriſtum, & circa Chriſtum geſtis, ipſe Andreas perſonaliter interfuit, & cooperabatur, ſicut Chriſto placuit.* Itaque *vocavit eos.* q. d. Opus mihi veſtro labore, piſcatores : adeſdum, Andreas, & piſcationi te accinge, animas cœleſti regno acquiſiturus. ( Ecce primos Diſcipulos ſuos de mari Dominus vocat; quoniam multos, per eos, de hujuſmodi fluctuosâ amaritudine ad fidem vocare diſpoſuit; ut, quia de mari à Domino vocantur, ipſi quoque periclitantium animas de mundi hujus naufragio, & de vitiorum inſurgentibus procellis liberare diſcant.)

*Petr. de Natalib.*

*B. Iord. de Sax. ſerm. de S. Andr.*

*Euſeb. Emiſſ. Serm. de S. Andr.*

Cum eſſet S. Eccleſiæ principatus anguſtus valdè initio, & exilis, Apoſtoli vocati, ut iis cooperantibus amplificaretur, & quaquaverſum propagaretur. Hoc ipſum videtur Chriſtus innuere, ubi per S. Evangeliſtam Matthæum ita loquitur: *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod minimum eſt ex omnibus ſeminibus, cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, ita ut Volucres cæli habitent in ramis ejus.* (Ita & regnum cælorum (*Driedonis ſunt Verba*) crevit in arborem magnam, extendens propagines, ceu palmites ſuos in omnes gentes; ita ut volucres cæli, ſcilicet Sancti, per univerſum orbem pennis virtutum volantes in cælum, habitent in eo, adhærentes Societati Apoſtolorum & doctrinæ, ceu profeſſioni fidei illorum.

*Matth. 13.*

*Driedo.*

Videns ergò Dei Filius, quòd foret glorioſus hic Apoſtolus Divinæ ejus mentis cooperatione executor, ideò *Vocavit eos.*

Siquidem, ex ſententia D. Dionyſii Carthuſ. eruditiſſimi, qui operam in ſalutem animarum impendit; meritò vocatur cooperator Chriſti: *Nihil dignius in officio hominum, quam Dei cooperatorem fieri.* Potiori ſanè jure debetur hic titulus glorioſo Apoſtolo, qui reti prædicationis Evangelicæ, & eſcâ verbi Dei millia animarum aliquando ad fidem attraxit.

*Dionyſ.*

*Carth. in Matth. n. 4.*

Vocavit eum, vicarium ſuum conſtituit, & pro-regem in temporalibus, ut principatum ejus in terris propagaret, *quantum ad multitudinem gentium, & quantum ad extenſionem terminorum.* Audite, quomodò id factum. Sapientiæ increatæ competebat mundi Dominium, ſed diabolus arripuerat poſſeſſionem, quando Gentiles Idola impiè ut Deum colebant, ſacrificia offerentes & victimas. Quia tamen Imperialis ea lex eſt. *Duorum in ſolidum non poteſt eſſe dominium, vel poſſeſſio.* Et, *duo ſpecialia non poſſunt concurrere circa idem.* Unde quia dæmon *erat poſſeſſor malæ fidei,* oportuit eum cedere, ut teſtatur Evangeliſta: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Ejecto uno, ſuccedit alter, fit poſſeſſor & Dominus, ſed non habet fideles, & obedientes ſubditos, qui ut Principem & Dominum agnoſcant, ac revereantur: dicebat ideò Chriſtus, quòd magnam eſſet acquiſiturus gentium multitudinem, quando in throno crucis exaltatus à terrâ. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Et meritò; quia, *Principale* (id eſt Princeps) *trahit ad ſe acceſſorium,* id eſt, Subditos. Et quòd exaltatio iſta facienda in throno crucis, deducitur ex verbis ſubſequentibus: *Hoc enim dicebat, ſignificans, quâ morte eſſet moriturus.* Tunc (volebat dicere) milites inſcribam ſub vexillo S. Crucis. (Si exaltatus fuero à terra, id eſt, in cruce levatus, omnia genera hominum, ſc. Juvenes & Virgines, Judæos & Paganos, doctos & ſimplices, pauperes & divites traham ad me ipſum, non violenter, ſed amorosè, id eſt, per fidem & charitatem convertam eos ad me. ) Sed (pace tuâ, Domine, dixerim] non reperio ego, quòd, poſtquam ita exaltatus, omnia traxeris, Fatebor quidem, aliquos attraxiſſe, ſed tres ſolùm, Longinum ſcilicet, Latronem, & Centurionem, eò quòd hi verum te Principem crederent & filium Dei. Hoccinè *Omnia traham*? Dixiſſes, *Aliquos traham*? Proinde hîc verificata eſt Prophetia Michææ: *Væ mihi, quia factus ſum ſicut ille, qui in autumno colligit racemos.* Quomodò ergò gloriaris de multiplicatione gentium, & aucto Principatu?

*L. Si ut certo ff. ſi duobus. L. I. c. de dat promiſſ. c. ſing. 189. diſtinct.*

*Ioan. 12.*

*Ioan. ib.*

*L. cum princip. ff. de reg. jur. acceſſor. de reg. jur. 12. 6. Dionyſ. Carth. in Ioan. c. 12. art. 31.*

*Mich. 8.*

Ah! ſic intendit Salvator. Poſtquam fuero ego exaltatus à terrâ & in cruce pendens, ſuccedet in locum meum Andreas, & meus ipſe Vicarius, prædicatione ſuâ, per gratiam, quam illi dedero; trahet Infideles, convertet gentes; ſic ut

*non per me, & immediatè*, ſed *per Andream*, *& mediante eo, omnia traham ad me ipſum.* Omninò ſic fiet. *Vocavit eum*, ut honorificum munus imponeret, locum teneret, foretque Vicarius ejus & Coadjutor in ſalutem animarum: *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Undè D. Gregorius S. Andreæ converſionem multitudinis gentium meritò adſcribit: *Iam jugo fidei colla gentium ſubdit, jam mundi gloriam ſtravit.*

D. Greg. hom. 5. in Evang.

Crucifixus eſt S. Andreas non eâ pedum junctutâ, quâ Chriſtus, quâ S. Petrus & alii; apertis enim ille, & diſtentis in ligno ſeorſim pedibus. Myſterium ex Pſalmis Davidicis lubet indagare. *In Idumæam* (ait Propheta regius) *extendam calceamentum meum.* Quid autem per hoc intendat, oſtenditur in Deuteronomio. *Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit.* Undè deducitur, idem eſſe, *extendere calceamentum*, & *poſſeſſionem acquirere.* Siquidem: *poſſeſſio accipitur per pedum poſitionem.* Idque verum eſſe, ſubdit, cùm ait: *Mihi alienigenæ ſubditi ſunt.* Ubi Genebrardus ſic elucidat. *Quæ ſequuntur, pertinent ad externas nationes ſubjiciendas Eccleſiæ & Regno ejus.* Quòd ſi ita eſt (inquit Andreas Apoſtolus) crucifigar divulſis pedibus. *Extendam non calceamenta, ſed pedes meos*, unum verſus Occidentem, alterum verſus Orientem, ut ſic *alienigenæ ſubditi ſint*, ſcilicet (interpretatur B. Bruno Epiſc. Herbipolenſis] *Paleſtina fœderata eſt Chriſto, & Eccleſiæ.* Subdam fidei Catholicæ ſuavi jugo fidelem populum & gentes, atque adeò S. Eccleſiæ Dominium extendam ab Oriente uſque ad Occidentem: & quod mente conceptum, effectu impletum eſt, quandò *plurimos ad Veritatem Evangelicam perduxit.*

Pſal. 59.

Deut. 10.

Genebrardus in pſ. 59.

B. Bruno in Pſ. 59. in Bibl. Vet. PP. Tom. 2.

In Vita.

Quid intentatum reliquit? Quò non peregrinatus eſt? in quas mundi non excurrit plagas? Quò terrarum non extendit prædicationis retia? Quæ non paſſus eſt itineris incommoda? Nil curavit blandicias: riſit tortorum minas & ſupplicia; atque eò omnia molitus eſt, ut Populos, Provincias & Regna integra ad fidei Catholicæ converteret inſignia: ut meritò de illo dixerim, quod de S. Paulo D. Chryſoſtomus: *Omnes in Regnum Dei feſtinabat inducere.*

D. Chryſoſt. in Converſ. S. Pauli.

Audiſtis, ni fallor, quàm myſterioſâ uſus ſit inventione Patriarcha Jacob benedicturus nepotes ſuos, filios Joſeph Proregis Ægypti, Manaſſen & Ephraim: hic erat natu minor, alter major. Manaſſes ergo ad dexteram avi, Ephraim ad ſiniſtram genuflectit. Quid egit bonus ſenex? Manus poſuit in formam crucis, & dexterâ benedixit Ephraim, ſiniſtrâ verò Manaſſen. *Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat.* Stetit hic indubiè attonitus Joſeph, & ægrè id ferens, erroris admonuit: ſed compeſcuit Jacob indicto ſilentio, & ait: *Scio fili mi, ſcio.* Exponit hunc locum Guilelmus Hamer. *Agebantur hæc omnia ob futurorum ſignificationem quandam, & ob myſteria quædam delineanda.* Sed quid myſterii hic? *Erat hic populus Iudaicus & Chriſtianus, major & primogenitus fuit Iudaicus, minor Chriſtianus.* Voluit ergo dicere Jacob: Scio fili mi Joſeph, ſcio, cur ſic faciam: filios tuos benedixi decuſſatis manibus, eò quod Manaſſes primogenitus ad dextram locatus, figura mihi ſit Synagogæ Hebræorum & populi Iſraelitici: Ephraim ſecundo genitus, ad ſiniſtram flectens, figura ſit futuræ Eccleſiæ venturi Meſſiæ, & multitudinis fidelium, Scias igitur velim, cæleſtes benedictiones eſſe transferendas de Synagogâ ad Eccleſiam Chriſti venturi. S. Andreas paſſus eſt martyrium in cruce non ordinariâ, qualis erat Chriſti, vel S. Petri, ſed facta in transverſum, ad modum quo diſtenderat Jacob brachia benedicturus nepotes, X hâc formâ volens oſtendere, quòd ab infidelitate gentes ad fidem convertiſſet, & pleroſque Hebræorum à Synagogâ ad Eccleſiam, ut ſic Chriſti Domini Principatus eſſet per ipſum amplificatus; *quantum ad multiplicationem gentium.*

Gen. 48.

Guil. Hamer. in Geneſ. 48.

Opinio Cardinalis Baronii & S. Hippolyti martyris eſt, crucem, in qua mortuus S. Andreas, eſſe fabricatam ex lignis olivæ. *Ad arborem olivæ crucifixus eſt.* Et hinc, credo ego, voluiſſe innuere, quòd, *ſicut oliva fructifera*, tot protulerit fructus, quot gentiles ad fidem convertit, poſſitque de illo dici: *Filii tui, ſicut novellæ olivarum*, Genebrardus in hunc locum, addit: *Sicut germina, ſicut plantulæ pullulantes, ſemperque florentes tamquam ſarculi olivarum.*

Baronius. S. Hippol. martyr.

Pſal. 127. Genebrardus.

Duces olim victores è prælio coronas referebant ex olivarum foliis, adjectâ notulâ, *Salus & Victoria.* Quid per crucem ex oliva ſignificare voluit noſter S. Apoſtolus, quàm quòd rediret ad cæleſtem patriam obtentâ victoriâ, tot animarum onuſtus ſpoliis, tot populis acquiſitis & Provinciis ſubjugatis ad augendum Principatum Chriſti?

Cruci olivæ inſita martyrii palma. O verè pulchra in morte Andreæ reperitur Olivæ & Palmæ conjunctio: Olivæ, quia *viridis ſemper:* Palmæ,

Ceſar. Ripa.

Palmæ, quia *inclinata reſurgit*: Olivæ, quia *moriens reviviſcit*, palmæ, quia *quò annoſior, eò fructuoſior*. Videtur aliquando vetuſtate cadere, ſed repullulaſcit in viridi propagine, ut egregio exprimitur emblemate additâ voce, *Pereo & ſpero.* Pereo (dicebat Andreas) ob tormenta, quæ in hac oliva patior, ſpero tamen quod hæc gentilitatis germina, novellæ hæ plantulæ Catholicæ fidei pullulabunt quantocyùs & creſcent in ſanctitate ac meritis, fructuſque dabunt dignos cœleſti præmio, *tantò uberius*. Ecce adaucti Populi, ecce multiplicata gens eſt.

*Ioan. Ferus.* *Simon Birallus.*

Neque minorem tulit fructum ex Terris, Civitatibus & Provinciis, quas peragavit, ubique fidem ſeminando ac Evangelium prædicando, quàm in terminis gentilium, rete Verbi Dei quaquaverſùm extendendo. Clarum hoc fiet, ſi reflectamus ad modum, quo crucifixus eſt Chriſtus, & eum, quo S. Andreas. Crucifixus eſt Salvator expanſis manibus & brachiis verſus cœlum, ſed reſtrictis pedibus & ſuperimpoſitis verſus terram. Quid per extenſionem brachiorum innuit, niſi dilationem dominii ſui in cœlo, & auctionem poſſeſſionis in Paradiſo? At verò Dominium in terris ita reſtrictum & anguſtum, ut ne quidem duos pedes caperet, ideoque in cruce compreſſis pendet, & ſuperimpoſitis. Ex duorum Latronum eventibus confirmata hæc veritas. Bonus Latro, cui nomen Diſmas, extenſa videns Salvatoris brachia, ampliatum in cœlo Regnum credidit, adeoque rogavit ingreſſum; *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*: & ſic facillimè exoravit. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* At impius Latro tacitè in ſe dicebat: Socius ille meus petiit eſſe cum Chriſto in Regno cœli, & obtinuit: ego quid poſtulabo? Malim cum Chriſto manere in Regno mundi hujus, & hoc ſupplicabo: *Si Filius Dei es, deſcende de cruce, & ſalva temetipſum, & nos.* Nil tamen obtinuit, & crediderim ego, hoc illi tacitè reſponſum à Domino: Quod non eſt in poteſtate mea, hoc rogas. An non vides meum in terris Regnum adeò anguſtum, ut ne liberè duos ponam pedes; ideoque unum alteri ſuperimpoſitum? Amplificatum eſt poſteà, fatebor, ſed operâ, incredibili zelo, & aſſidua ſolicitudine S. Apoſtoli Andreæ, qui crucifixus expanſis quatuor corporis partibus; extenſis, inquam, brachiis, & pedibus: eò fortaſſis, quia ſunt quatuor mundi plagæ; ſcilicet Aſia, Africa, America & Europa; quemadmodum de cruce Salvatoris canit Sedulius:

*Luc. 23.*

*Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.*
*Splendidus auctoris de vertice fulget Ejus:*
*Occiduo ſacra lambuntur ſidera plantao:*
*Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.*

*Sedulius in carm. paſch. in Biblioth. Vet. PP. Tom. 9.*

Andreas dextram extendit verſus Africam, & ſiniſtram verſus Aſiam: dextrũ pedem verſus Europam, & ſiniſtrum verſus Americam. Indicium profectò evidens, quòd in omnes mundi partes Imperium Chriſti promoviſſet.

Rex Ageſilaus interrogatus de amplitudine Regni ſui & extenſione Imperii, reſpondit, eò uſque extendi, quò poſſet pertingere lanceâ; & quò non, ibi fines eſſe Regni, & imperii limites. Si quis veſtrûm, Auditores, me interroget, quò uſque progagatum ſit Chriſti Regnum; eò uſque etiam dicam, quò pervenire S. Andreas & acuto gladio Verbi Dei potuit penetrare.

Stupenda opera & miracula patrata ab Apoſtolo noſtro loquantur, & eorum, quæ hactenus dixi, teſtimonium dabunt. Quot, & quanta fecit mirabilia in terris? Aliqua adferam ex Jacobo de Voragine in vita. In Mirgundia, S. Matthæo, ac Infidelibus, quibus prædicabat, excæcatò, viſum reſtituit, fuſis orationibus. In platea, ſeptem infeſtos tranſeuntibus dæmones, expreſſo mandato, repreſſit & cohibuit Eodem tempore & ab iiſdem dæmonibus occiſum hominem reſuſcitavit. Homines 39. auditâ Andreæ famâ accenſi, navi ſe dederant, ab eo doctrinam fidei accepturi: ſed invidit Diabolus, & excitatâ tempeſtate omnes ſubmerſit. Cum ecce corpora undarum fluctibus propelluntur ad litus, ubi ad imitationem Magiſtri ſui ambulabat Andreas, & fortè caſu unum ad ejus pedes ejectum, & vix tactum, revixit ilicò: & pòſt alia etiam corpora ad eum delata, continuò ſuſcitantur omnia. Non mirum, quòd in mari, quòd in terris mirabilia operatus ſit.

*Iacob de Voragine in Vita.*

Vidit S. Joannes Angelum, & hic habebat pedem unum ſuper terram, alterum ſuper mare. *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.* Rupertus Abbas ita explicat: (Plerumque nomine terræ Judæa, maris autem vocabulo gentes ſignificantur:) Et Areta: ) Pedum altero quidem inniti humidæ aquarum congregationi; altero verò terræ, deſignat ejus magnitudinem, qui utrumque complectebantur ) Blaſius Vigeas: (Univerſum terrarum orbem; qui terræ mariſque appellatione comprehendi ſolet, Chriſti Domini imperio poteſtatique ſubjiciendum ) Liranus denique in Gloſſa: (Per mare, quod eſt locus aquarum, intel-

*Apoc. 10. Rupert. Abb.* *Areta in Apoc. 10.* *Blaſius Vig. in Gen. 10. comm. 4. ſect. 4.* *Lira. in Gloſſ.*

intelligitur populus Chriſtianus, per aquam baptiſmi regeneratus; per terram verò Pagani in terris deſideriis defixi.) Concludunt Authores iſti, quòd per Angelum illum tenentem pedem unum ſuper terram, alterum ſuper mare, denotetur Dei Dominium unius, & alterius populi; aut verò illud ad partes extendi duas præcipuas, ex quibus conſtat mundus. Hinc à nobiliſſimâ civitate Venetâ depictus exhibetur generoſus leo pedes duos habens in terrâ, in mari alios, ut ſic indicatum ſit, quòd habuerit S. Marcus Evangeliſta Dominium in terra, & in mari, & utrobique habitus ut Dominus, quem timerent omnes & revererentur. Andreas miracula faciens in mari, & in terrâ, juris dictionem oſtendit, & *Ius acquiſitum* in duo elementa, *quantum ad extenſionem terminorum*. Ad augendum & exaltandum Chriſti Principatum, ubi mors illi ſubdita eſt, & vita reveretur. An non ergo jure meritò vocavit Andream Chriſtus? *Vidit & vocavit.*

Et juſto titulo Andreas cooperator Chriſti vocatur; quia cum eo ad exequendum opus redemptionis noſtræ concurrit, *quantum ad effectus, & applicationem* Piè ſic loquor, quod in rigore non auſim. Satisfaceret Dei Filius monetâ paſſionis & pretio ſanguinis in trunco crucis, ſolveret, inquam, duobus attributis Divinis læſis debitum ex rebellione & tranſgreſſione Protoparentis Adami. Verbis utor Dionyſii Carthuſ.

*Dionyſ. Carth. Serm. 2. de S. Andrea.*

Adam inobedienter manus ſuas ad prohibitum cibum extendit: congruum fuit, ut Chriſtus immaculatas manus in cruce extendendo ſatisfaceret.

*Alex. de Ales 3. p. q. 36.*

Læſerat Adamus Divinam Juſtitiam; non ſolùm, quia *uſurpavit illicitè rem alienam*, pomum ſcilicet vetitum comedendo; ſed inſuper etiam (ait S. Thomas) quia *appetiit inordinatè ſimilitudinem Dei, quantum ad ſcientiam boni & mali, ſicut ſerpens ei ſuggeſſit.*

*D. Thom. 2. 2. q. 46. art. 7.*

Adeoque commiſit actum Divinæ juſtitiæ contrarium. Præterea & in attributum Divini amoris impegit, quandoquidem *per peccatum averſus eſt à bono incommutabili, & converſus eſt ad bonum commutabile.*

*D. Thom. 2. 2. q. 163. a. 2.*

Plus creaturam amavit, quàm Creatorem, & indè omnis miſeriæ noſtræ origo. Venit Chriſtus in mundum, ut liberaret & redimeret, per mortem quidem ſatisfaciendo juſtitiæ, per acerbiſſimam paſſionem amori. Quæſtio eſt modò, an ſatisfecerit utrique debito? Juſtitiæ ſatisfecit *ad æqualitatem per mortem ſuam*, docet S. Thom. *Imo ſatisfactio Chriſti fuit ſuperabundans*

*D. Thom. 3. p. q. 46. & 48.*

Et amori ſatisfactum, ſed non ita plenè pro deſiderio Chriſti, ideoque ad Patrem clamat lamentans: *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Conqueritur Chriſtus* (dicit Beda in hunc locum) *quia Pater ei non cedit longiorem vitam, ut plura pati poſſit.*

*Matth. 27. Beda.*

Quis ergò plenè pro amoris debito perſolvit?

Dubium occurrit pulchrum valdè, & unde propoſitæ noſtræ quæſtionis erit reſolutio. Dicite, Auditores, quare *biduo pendebat in cruce beatus Andreas*, ut habetur in ejus vitâ; & Chriſtus ſolùm *ab hora ſexta uſque ad horam nonam?*

*In Vita. Matth. 27.*

econtrà tamen fieri debuiſſet: Andreas quippe purus erat homo, decrepitus valdè & ſenio gravis; Chriſtus, homo quidem, ſed & Deus, atque in ætate florida, 33 annorum homo. Unde Pilatus *mirabatur, ſi jam obiiſſet.*

*Marc. 15.*

Agedum, dubii nodum diſſolvamus. Tantulum vixit Chriſtus in cruce, eratque moræ longioris impatiens, quia inſatiabili urgebatur deſiderio, ut morte ſolveret Juſtitiæ creditum. An non ergo & mihi (ita Divinus amor) fiet ſatis? Et mihi non debetur? Si quid ſolutum, non pro debito ſatis, ſaltem quantum ad extenſionem mortuus eſt jam Chriſtus: *Conſummatum eſt. Et inclinato capite emiſit Spiritum.*

*Ioan. 19.*

Non modò paſſibilis, neque erit unquam, qui ſatisfaciat: cùm glorioſus reſurget. Quid igitur fiet? Mortuo patrefamilias, relictâ hæreditate cum debitis, tenetur ad ſolutionem primogenitus qui bonorum factus hæres. Leges ita decernunt: (Hæres tenetur creditoribus hæreditariis. Hæres adeundo hæreditatem, dicitur quaſi contrahere cum defuncto, & ideò tenetur ad omnia diſpoſita à defuncto, & ad debita illius, *Et* Filius hæres tenetur ſolvere debita Patris.]

*L. Nihil autem ff. de reg. jur. § neceſſar. Authen. de Hæred.*

Quando moriebatur Chriſtus, de Principatu crucis diſpoſuit, atque hæredem reliquit Andream. *Factus eſt Principatus ſuper humerum ejus.*

*Iſa. 9.*

Et illi, utpotè primo genito & Apoſtolo Chriſti, vocatione primo, competebat patiendo ſolvere reſiduum amori debitum, & hoc per biduum pendens in cruce perſolvit.

Proindè non immeritò hæc Apoſtolo noſtro accommodem verba: *Adimples ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus.*

*Coloſſ. 1.*

Quis enim neget, S. Andream à Magiſtro vocatum, ut eſſet quaſi Condemptor (piè loquor) & in opera Salutis hominum Coadjutor? *Vidit, & vocavit eum.*

Conſtans hæc eſt veritas, (Auditores:] Hæreditatem promptè, & libenter adimus: ſi verò reſtent debita; & ſolvendum eſt, ordinariè tergiverſamur, quaſi cogendi. S. Andreas promptiſſi-

mum

mum utrobique ſe exhibuit, plenè & lubentiſſimè perſolvit, neque eò rogandus.

Altera ſupereſt differentia crucifixionis Magiſtri & Diſcipuli, & illa examinanda. Chriſtus in
*Marc. 14.* horto Gethſemani, ubi vidit crucem, *cæpit tædere, pavere, & mœſtus eſſe. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* S. Andreas ad crucem ibat *ſecurus, & gaudens.* Deſiderabat: *O bona crux diu deſiderata!* & crucem eminùs videns, clamabat: *Salve crux pretioſa: ſuſcipe Diſcipulum ejus.* Obſtupeſcit hic
*Dionyſ. Carthuſ. ſerm. de S. Andrea.* D. Dionyſius Carthuſ. & ſic loquitur: *Videns ergo paratam crucem, nequaquam (ut exigere videtur mortalis infirmitas) facies ejus expalluit, nequaquam ſanguis ejus gelatus eſt, non ſteterunt capilli, aut vox faucibus hæſit, non contremit corpus, non mens ejus turbata eſt, non receſſit (ut aſſolet) intellectus; ſed ex abundantiâ cordis os ejus locutum eſt: Salve crux pretioſa.* Quid hoc? Timebit ergo dux nec conſtabit animo: & pugnabit intrepidè miles? Pro reſponſione, advertendum.
*Joann. 6.* Salvatorem dixiſſe Hebræis ſæpiùs: *Ego ſum panis vivus.* Ideo ab Hebræis cogitatum & dictum: *Mittamus lignum in panem ejus.* Lyranus
*Ierem. 2. Lyranus. Plinius. Iſidorus lib. Etymolog.* ex textu Hebraico legit: *Mittamus lignum in taxum ejus.* Taxus arbor lignum habet venenoſum, ac ſi clavis penetretur? venenum amittit fitque ſalutiferum. Antequam crucifixus eſſet Chriſtus, venenata erat taxus crucis, inficiebat & mortem dabat? ideoque Chriſtus *cœpit pavere, tædere & mœſtus eſſe,* cùm illam Angelus repræſentaret? ſed ubi clavis perforata in morte Redemptoris, dulcorata eſt Andreæ, & facta ſalutifera. Non mirum igitur quòd ſit ipſe *ſecurus & gaudens,* lætâque voce ſalutet: *O bona crux!*
*Dionyſ. Carthuſ. ubi ſuprà.* *Antequam te aſcenderet Dominus,* (Dionifii Carthuſ. pono verba) *timorem terrenum habuiſti: nunc verò cæleſtem habes lætitiam & cum deſiderio ſuſciperis.*

Neque diſplicet altera expoſitio magis litteralis. Quandò Deus mulierem formavit, ex oſſibus Adami accepit: *Tulit unam de coſtis ejus. & reple-*
*Gen. 2.* *vit carnem pro ea.* Oſſa ſolida ſunt, & fortia? caro autem debilis & fragilis ſic ut mulier, ſi quâ polleſt fortitudine, à viro habeat, & debeat acceptam referre: & ſi quæ in viro fragilitas, à carne illa eſt, quam in locum coſtæ ablatæ Deus ſupplevit. Simili planè modo Filius Dei carnem aſſumpſit ex
*Ioann. 1.* homine: *Verbum caro factum eſt.* & tunc *languores noſtros ipſe tulit.* Undè, quia caro *erat infirma,* inde factum, quòd in naturâ humanâ obortus ſit
*Ibid.* timor. *Cœpit pavere, tædere & mœſtus eſſe* Deus autem oſſe replevit, id eſt, fortitudine. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* In virtute hujus, S. Andreas animo conſtans & viribus, nil timuit crucis duritiam, ad illam anhelabat: *Securus & gaudens* ſolvit amori debitum à Chriſto commiſſum. *O rem admirabilem! Chriſtus Redemptor noſter crucis meditatione cohorruit? Andreas ad crucis aſpectum exiluit: quia nimirum Chriſtus, cùm timebat, Andreæ erat humanitate veſtitus? cum gaudebat Andreas, Chriſti erat fortitudine veſtitus.* *Diez. con. 4. de S. Andrea.*
Confirmat & concludit S. P. Auguſtinus: *Poterat pro oſſe os reddere; ſed in locum oſſis, caro adimpleta eſt. Quid igitur ſignificavit, Facta eſt mulier in coſtâ tamquam fortis, factus eſt Adam in carne tamquam infirmus: Chriſtus & Eccleſia: illius infirmitas noſtra eſt fortitudo.* *S. Auguſt. tr. 5. in Ioann.*

Mentem Chriſti vocantis perfectè adimplevit Andreas, & verum ſe Magiſtri cæleſtis diſcipulum & Vicarium fideli cooperatione probavit. Arithmeticis crux Andreæ X. numerum facit denarium? qui perfectionem deſignat, ſi Divo Ambroſio credimus. *Denarius numerus perfectus eſt.* *D. Ambroſius.*
Unde Romulus Imperator, *confirmatis jam rebus, Regnoque jam conſtituto, quæcumque fecit & inſtituit, denario numero finivit.* *Pier. Valer. l. 39.* Hoc modo innuens opera ſua jam omninò eſſe perfecta. Cruce ad modum denarii diſpoſitâ opus ſibi commiſſum Andreas implevit, ſic indicans, aſſecutum eſſe intentum Chriſti, exhibendo ſe Corredemptorem in animarum ſalute, & Coadjutorem in amplificatione principatus ejus, *quantum ad multiplicationem gentium, & extenſionem terminorum.*

Obſervatu dignum, quod notant Abdias Babylonicus, Petr. de Natalibus, & Dionyſ. Carthuſ. factum in morte Apoſtoli, dum penderet in cruce, *ſtatim ſplendor nimius* (qui cœli favor eſt) *ad inſtar fulgoris, per horam & dimidiam ipſum obtexit, cum quo lumine aſcendens Apoſtolus Dei, ſpiritum emiſit.* Ita ille. *Tunc copioſiſſimus ſplendor de cœlo deſcendens ſic per mediam horam eum circumdedit, quòd nullus videre valebat: ſimul cum lumine ſpiritum tradit, & Regnum cæleſte intrauit glorioſus* *Abdias Babylon. Petr. de Natal. Dionyſ. Carthuſ.*
In creatione mundi etiam orta eſt lux: *Fiat lux. Et facta eſt lux.* *Gen. 1.* Rationem addit Magiſter ſententiarum: *Congruè mundi ornatus cœpit à luce, ut cetera, quæ creanda erãt, viderẽtur.* Ortâ luce moritur Andreas, ne facta ejus heroica tenebris ſupprimãtur, ſed ut videat totus mũdus & admiretur *Petr. Lombard.*

Et ſi ex ſplendore orto Iſabella Valeria Regina Hiſpaniarum, ſubjugationem totius mundi & Principatum augurabatur, addito, *Iam feliciter omnia.* Ut quid non potiori jure nobis idipſum de S. Andrea Apoſtolo ſit licitum ominari? *Hieron. Ruſcell.*

Merita S. Andreæ quot & quanta, quis explicet? Virtus ejus tanta & potentia, ut mereatur prœconium Sancti, qui Sanctorum omnium ferè in ſe perfectiones complectatur. Ad martyrii inſtrumentum revertamur, ad crucem, forma X. denarium numerum exhibentem, qui ceterorum numerorum perfectiones omnes & valorem comprehendit. *Denarius ſiquidem omnes numeros claudit: & ultra denarium, nulla novit ratio numerare.* Et quis certò ſciat, an non voluerit Deus hoc crucifixionis modo Andream cælo inſertum, declarare mundo Sanctum talem, qui Sanctorum reliquorum virtutes in ſe contineat?

*Paul. de Palat. in Matth. 20. Anaſtaſius Sinaita in Hexam. l. 7. in Biblioth vet. PP. Tom. 6.*

Ordinavit S.M. Eccleſia, ut Novembris prima dies ſacra ſit omnibus Sanctis, ultima verò particulariter S. Andreæ. Menſis facit pro bilance, cujus unâ in parte, primâ videlicet die Eccleſia omnium Dei electorum poſuit merita? in alterâ verò, id eſt, ultima die, ſolùm S. Andreæ: hoc ipſo demonſtrans, tot reperiri virtutes & perfectiones in Andrea ſolo, quot in reliquis ſimul Sanctis. Menſis ergò bilancem expendite, & in æquilibrio deprehendetis.

Niſi fortaſſis malint aliqui ita explicari: *Finis debet reſpondere principio.* Omnes Sancti in principio menſis ponuntur, at verò Andreas in ipſo fine, ut correſpondeat, *ſi non extenſivè*, quantum ad Sanctorum multitudinem? ſaltem *intenſivè*, quantum ad ſanctitatis intenſionem.

O Andrea! patere, ut feliciſſimum te prædicem, utpote qui meritus ſis vocari à Filio Dei, Diſcipulorum adſcribi conſortio, ad Vicariatum à Chriſto eligi, ut Perſonam ejus repræſentares, eſſeſque Pro-rex Principatus temporalis hujus mundi, & in opere Salutis humanæ Coadjutor. Spreviſti incunctanter prædam piſcium, ut lucrum faceres animarum. Vix auditâ voce, *Venite poſt me*, retia deſeruiſti & naviculam? Dominum vocantem ſecutus es promptiſſimè? atque in ictu oculi ferè hæc omnia *Et continuò relictis retibus, ſecuti ſunt Dominum.* Ludolphus de Saxen Carthuſ ibi ſic meditatur: *Conſidera nunc quanta fuerit horum quatuor beatorum Diſcipulorum obedientia, qui ad unius juſſionis vocem, ſtatim relictis omnibus, etiam voluntate, & propoſito habendi, Chriſtum Dominum ſunt ſecuti.*

*Ludolph. de Sax. Carthuſ. l. 1. c. 29.*

O quoties vocat nos Deus, & ſanctis inſpirationibus invitat ad bene operandum! Vocat quidem, ſed non audimus: vocat mundus, & currimus, voluptatibus ſenſuum allecti. Hanc noſtram cæcitatem deplorat D. Greg. *Quanta nos Dei miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum aſperitatibus deterremur, & tandem vocantem ſequi contemnimus? & ab amore præſentis ſæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus, emendamur?* Lubet hîc addere planctum S. P. Auguſtini in Oratione paulò ante obitum in obſidione Hipponenſi compoſitâ, operibus ejus non contentâ, à Cardinali Seripando Patribus Concil. Trident. datâ. *Ante oculos tuos, Domine, culpas noſtras ferimus, & plagas, quas accepimus, circumferimus: minus eſt quod patimur, majus eſt quod meremur? peccati pœnas ſentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis infirmitas noſtra vertitur, iniquitas non mutatur: mens ægra torquetur, & cervix dura non flectitur? vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat. Si expectas non corrigimur; ſi vindicas, non duramus. Confitemur in correptione quod egimus, obliviſcimur, poſt viſitationem quod flevimus. Si extenderis manum, facienda promittimus? ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas? ſi peperceris, iterum provocamus ut ferias.* Ita plangebat Sanctus ille Præſul. Quis verba hæc legat, nec moveatur ad lachrymas & compunctionem?

*D. Gregor. homil. 5. in Evangelica.*

*S. Auguſt. in oratione ante obitum.*

Surgite peccatores, ſurgite, & mementote quia redempti eſtis pretioſiſſimo Chriſti Sanguine? audite vocem Domini, operibus bonis correſpondete, & vocantem ſequamini. Navim veterem laxioris vitæ relinquite? è procelloſo ſcelerum mari egrediamini, & retibus, malis iniquam habitibus vos extricate? atque ſic expediti ſequamini Chriſtum, dum benignè invitat, *Venite poſt me*, Incunctanter facite, exemplo Apoſtolorum, qui *continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum*, promptè ſine dilatione aut diſcuſſione obedientes. Audite S Chryſoſtomum perorantem: *In his autem datur forma omnibus Chriſtum ſequi volentibus: per hoc enim quod Petrus & Andreas, relictis retibus & navi, vocantem Dominum ſtatim ſunt ſecuti, oſtenditur nobis, quod non voluntas carnalis, non cupiditas temporalis, nec affectio ſanguinis nos retrahere debet à ſequela Chriſti.*

*D. Chryſoſtomus.*

Antequam progrediar, monitum eſto & commendatum. Ceperat indubie Petrus facilè piſcem, ex quo haberet nummum ad ſolvendum vectigal. Ego piſcator Evangelicus, ut dixi, vos piſces, crediderim omnes Verbi Dei retibus incluſiſſe? nolim tamen aperire & vos exenterare (quod fecit Petrus) ut videam, & nummos reperiam; ſed pauperibus compatior, corpori debent vectigal quotidiani victus, & niſi ſolvant citò, urgebit fames & vim faciet, Rogo & obte-

ſtor,

ſtor, burſam aperite & eleemoſynam date Chriſti pauperibus, ut refocillentur.

PARS SECUNDA.

*D. Gregorius.*

E*Rant enim piſcatores*. Quis umquam Pigmæos diligat milites adverſus Gigantes? Formica camelo bellum faciet? Puſillanimitas fortitudini reſiſtet? A lepore timidiſſimo fugiet ferociſſimus leo? Filius Dei abjectos eliget piſcatores ad facta heroica? Reſpondet S. Gregorius Papa & rationem adfert: *Relictis ſapientibus, inſipientes, relictis fortibus, debiles, relictis divitibus, pauperes elegit, & prædicatores infirmos, abjectoſque, qui potentes quoſque, & fideles populos colligerent, habere ſtuduit.*

*Ioann. Epiſcop. Montop. in conc. S. Andreæ t. 5.*

Subdunt alii, quòd *voluit Dominus, ut mirabilem converſionem orbis, homines piſcatores idiotæ, ignobiles & vulgares efficerent, & feliciſſimum bellum contra mundum & mundanos homines, duodecim inermes ſimplici induti tunicâ ſine calceamentis nudi gererent, deorum cultum abdicarent, & Ieſum crucifixum verum Deum confiterentur:* Joannes Epiſc. Montop.

*D. Chryſoſt.*

Sed reſponſio illa dubium noſtrum plenè non ſolvit: nunquid enim potuiſſet tantum efficere Salvator per divites, nobiles & ſapientes? S. Chryſoſtomus meliùs reſpondet: *Non nobiles mundi, aut divites elegit, ne ſuſpecta fieret prædicatio, non ſapientes ſæculi, qui per ſapientiam mundi perſuaſiſſe humano generi crederentur, ſed elegit piſcatores illiteratos, imperitos, & indoctos, ut aperta eſſet gratia Salvatoris*

*B Petr. Damianus ſerm. 5. 7. de S. Andr.*

Et B Petrus Damianus: *Non eligebat in adjutorium ſibi triumphalibus titulis claros, non ſtrenuos bellatores, non frementium aſcenſores equorum, non denique Philoſophos & eloquentes, ſed retium vectores, perexilis naviculæ remiges, ut victoria ſoli Divinæ potentiæ, non humanis viribus adſcriberetur.*

Necdum intelligitis? Apertiùs ediſſeram. Pro more Dei ita factum eſt: ſolet enim abjectis uti mediis ad actiones heroicas: paleâ, etſi leviſſimâ, turres evertit, & flatu minimo civitates fortiſſimas: crine taurum ligat indomitum: ut ſuperbiſſimorum hoſtium vincat feritatem, armat muſcas, locuſtas, aut ſolùm culices, *Ecce quales inſtruxit acies* (ſcribit Rupertus) *pugnando pro Iſrael ex hujuſmodi cohortibus, totas in fortes Aegyptios compoſuit legiones.*

*Rupertus Abb. in Exod. 38.*

Magno tenebatur deſiderio Nathanael, ut Apoſtolorum numero poſſet inſcribi, & merebatur ob ſingularem probitatem, ipſomet Salvatore approbante, cùm de illo ait *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Mediatores adhibet Philippum & Andream, ut apud Chriſtum intercedant? ſed non exorant. Matthæum admiſiſti, (Deus bone! etiam Judam? ut quid Nathanaelem repudias? S. P. Auguſtinus exiſtimat eum fuiſſe legis Doctorem, hominem doctum & Scripturæ peritiſſimum. Non potes eſſe meorum hominum, inquit Deus? Ego ſapientes non quæro, ſed idiotas volo & ignaros, utpotè qui ſimplicium ignorantiâ, mundi ſapientiam confundo. *Intelligere debemus* (loquitur S. Auguſtinus) *ipſum Nathanaelem eruditum, & peritum legis fuiſſe, propterea noluit illum Dominus inter diſcipulos ponere, quia idiotas elegit, ut confunderet mundum. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, volens ſuperborum frangere cervicem, noluit per oratorem quærere piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem.*

*S. Auguſt. in Ioan. 1. tr. 7.*

Primus ex hominibus prædicator fuit Enos filius Seth. *Hic cœpit invocare nomen Domini.* Vel, ut legitur ex Hebraico, *Ab ipſo factum eſt, ut invocaretur nomen Domini.* Et primus ipſe cultum Divinum docuit, ritus & cæremonias in Sacrificiis obſervandas annotavit. Ut quid res tam ſeria committitur Enos? Cur non æquè aliis filiis Seth? Myſterium latet, quod advertit Fortunatus Scachius. Enos idem eſt quod homo. Notandum, quòd in S. Scriptura tribus diverſis vocibus ex textu Hebraico ſignificetur homo, ſcil. Adam Hiſch, Henos: eâ tamen differentiâ, ut per Hiſch denotetur homo inſignioris notæ, & valoris; per Adam homo terrenus; per Henos homo viliſſimus & ignarus. Putem ego Enos abjectiorem fuiſſe, & rudiorem ceteris fratribus, adeoque Deū elegiſſe hunc ad munus tam arduum & ſerium: quia nemo apud Deum aptior quàm ſic abjectus & inutilis? nemo doctior quàm indoctus: eſtque facundiſſimus ille Orator, qui ad inſtar pueri, ad ſingula balbutit.

*Pſalm. 8.*

David In conſideratione Divinæ magnificētiæ attonitus, exclamabat: *Domine Dominus noſter, quā admirabile eſt nomen tuū in univerſa terra!* q. d. Quando contemplor Divini tui nominis excellentiā, hæreo ſine voce, & cōfundor: utpotè quòd à Solis ortu uſque ad occaſum ſemper laudabile, cælis ipſis ſublimius eſt. Neque, ſi confluant Oratores omnes diſertiſſimi ad dignè celebrandum, etiam in minimo ſuffecerint. Et vere ut dicam, nemo laudaverit melius, quàm admiratione & ſilentio: ſiquidem. *Magnificentia tua elevata eſt ſuper cœlos.* Vana hîc facundia Demoſthenis, ingrata Tullii eloquentia, & omnis mundi Rethorica eſt deficiēs. Quis igitur laudet? Audite. *Ex ore infantiū, & lactentiū perfeciſti laudē.* Prævalet hîc parvulorū balbuties. *Quomodò vel ab his laudū præconia,*

*Paul. Manap.*

*veſtig. 23. §. 1.*

*onia, cum ſermonibus imperiti ſint? Quæ prudentia eſt, talibus uti declamatoribus? intelligite conſilium Dei: elegit Deus ſtultæ mundi, quibus crederet nominis ſui, & gloriæ celebrationem.* Non petit viros facundos, qualis erat Demoſthenes, qualis Nathael, qui nomen ejus por omnem terram extollant: non cupit Oratores, ſed idiotas; *Narrat ſimpliciter in quibus appareat Dei magnificentia, & virtus, non certè in potentibus, non in nobilibus, non in fortibus: ſed infirmis, ignobilibus, contemptibilibus: nam fortitudo Dei fundatur & ſtabilitur per infantes, infirmos, idiotas & ſimplices.* Nolim Evangelium meum Rethoricis adumbrari coloribus, ſed ſtilo ſimplici prædicari. Vos, vos piſcatores eſtis idonei, vos volo, adeſte: *Venite, venite poſt me.*

Ignorantiam peto tantùm, ut elatorum ſapientiam confundam. *Exitus acta probavit.* In Concilio Niceno Philoſophus aderat argutus valdè, & in malitia pertinax. Sophiſmatibus ille *multos irretiebat, & à nemine irretiri poterat.* Neque erat aliquis refutare auſus, aut redarguere, Vir ſimplex & idiota aliquis licentiam petiit, ut poſſet cum Philoſopho conferre & diſputare de articulis fidei? atque potuit. O quanta eſt Dei virtus! Philoſophus ſubtiliſſimus ab homine ignaro ita ſtatim confunditur, ut abjuratis ilicò falſis dogmatibus, liberè exclamciârit: *Credo, & Chriſtianus eſſe volo. Simpliciſſimus Chriſtianus in certamen deſcendit cum eo & articulis fidei vicit, & tandem fidem Chriſtianam confeſſus eſt.*

*Sozomenus lib. 1. hiſt. Eccl. c. 17.*

Idiota ille vicit Philoſophiam hominis: at S. Andreas argutiam dæmonis confudit. Mirabilis eſt caſus qui refertur in vita ejus. Epiſcopus exemplaris & ſanctioris vitæ, qui ſpeciali cultu & devotione Sancto Andreæ adeò erat addictus, ut in cunctis agendis hunc ſemper præmitteret titulum, *Ad honorem Dei & ſancti Andreæ.* Invidens Viro ſancto antiquus hoſtis, callidè ſtruit inſidias, & quò faciliùs tentet ac fallat, formam puellæ venuſtiſſimæ aſſumpſit, ſeque finxit filiam Regis, & à patris facie declinare, eò quòd vellet deſponſare invitam, quia Deo Virginitatem perpetuam conſecraſſet. Ad Epiſcopum pergit mentito illo habitu, ſtatimque pedibus ejus provoluta, aſylum implorat, & protectionem. Miratur Præſul nobilitatem ſanguinis, majeſtatem & pulchritudinem corporis, tantum in virgine fervorem & conſtans virginaſis caſtitatis votum: auxilium pollicetur & favorem, ad palatium intromittit & ad menſam. Cum menſæ jàm aſſiderent omnes & illa ex oppoſito Epiſcopi, intendit in eam crebrò, & quò magis reſpiciebat, eò formoſior ficta Domicella apparebat, ita ut convivæ plus recrearentur pulchritudinem falſam intuendo, quàm appoſitis ferculis reficiendo. Ecce ſubitò aderat ad portam palatii aliquis, iteratis ictibus pulſabat, petentique Epiſcopo an permitteretur ingreſſus, reſpondit mulier: Famulus præmittatur & proponat hoc dubium; Quid maximum, & mirandum fecit Deus in ſpatio anguſtò: Quod ſi reſolverit, licebit ingredi. Reſpondit peregrinus: Sic à me dices ei, qui te miſit, nil majus aut mirabilius feciſſe Deum in ſpatio exiguo, quam diverſitatem facierum & venuſtatem. Applauſit Domicella, additque alterum dubium: Ubi terra omni cœlo altior; Et hoc quæſitum reſolvit ipſe, dicens: In cœlo empyreo, ubi reſidentia Corporis Chriſti, quod è terra formatum, ut noſtra ſunt. Et hoc approbavit. Tertiò denique interrogavit: Quantum à terra cœlum diſtat; Vade, inquit peregrinus, & dic mulieri, hoc ipſi notiſſimum, utpote quæ ſpatium illud menſuravit à cœlo in abyſſum delapſa. Larva infernalis ubi detectam ſe vidit, & in diabolicis ſophiſmatibus confuſam à ſimplici peregrino, diſparuit relicto fœtore intolerabili. Accurrunt ad portam omnes ut peregrinum videant, ſed non comparet. Triſtantur non eſſe inventum & agnitum, quare procumbunt in genua & humiliter rogant Deum, ut revelet? & ita factum, quia cognovit Epiſcopus fuiſſe S. Andream Apoſtolum, quo patrocinante inſidias diaboli evaſerat.

*Iacob. de Vorag.*

*Tympius in menſa Theoſ. c. 1. de terra.*

Hæc vobis, Auditores, ſit commendata pietas & erga glorioſum Apoſtolum fervens devotio, ut ab inſidiis diaboli in vita & in morte vos protegat. Et peroro verbis Pelbart: *Ecce ergo, chariſſimi, quàm bonum eſt, beati Andreæ patrocinium invocare, ut liberetur homo ab inſidiis & periculis Diaboli. Rogemus ergo Chriſtum Ieſum, ut beati Andreæ meritis det nobis gratiam & gloriam.*

*Pelbart. ſerm. de S. Andrea.*

* * *

DOMI-

# DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

## ARGUMENTUM.

**Veritas in mundo locum non habet, ubique ingratis excipitur auribus, torvo aſpicitur vultu & averſantur omnes. Mendacium quæritur & promiſcuè in patrocinium vocatur, præſertim à mulieribus, quibus innatus mentiendi & fallendi affectus.**

## THEMA.

*Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* S. Matth. cap. 11.

SUbtiliter à Darii Regis Aulicis diſputatum eſt & curioſè indagatum: quid in mundo fortiſſimum cenſeatur: & ex ingeniorum diverſitate orta eſt judiciorum diſcordia. *3. Eſd. cap. 3.* Dixerunt aliqui: *Forte vinum,* Vino cedit fortitudo omnis & potentia & merito: quiſquis enim eo captus, mentis fit impos, diſperſis ſenſibus, turbato vaporibus fumantibus cerebro, phrenetico ſimilis, mira videt, nihil videns: mediâ nocte ſoles duos, pleno die tres lunas, cœlum immobile, terram video vacillantem, diceret, ſi modò rectè loqui poſſet: loquitur tamen, ſed ſomnia, ſed vana omnia & deliramenta. *Forte vinum.* Aliorum hæc ſententia fuit: *Fortior eſt Rex:* ipſe enim vel nictans ſolùm, aut manum movens, imo ad voculam terret integrum Regnum, facitque trepidare. *Fortior eſt Rex.* Plerique aliter opinati reſolverunt: *Fortiores ſunt mulieres.* Mulier enim ſolo viſu lædit, lachrymis mollit & flectit, verbis & lenocinio capit, ſuſpiriis ligat, precibus & blanditiis proſternit, vincit & triumphat. *Fortiores ſunt mulieres.* Diſſentientibus itaque Aulicis ultima præ cæteris ſententia placuit, illaque in favorem mulierum tenenda, niſi alteram hanc Zorobabel acutioris ingenii oppoſuiſſet, dum ſic concluſit: *Sed ſuper omnia vincit Veritas.* Fortis quidem & valdè eſt mulier, ſed ſuperat longe & vincit veritas. Hinc indignata & exacerbata mulier, odium concepit mortale adverſus veritatem, & inimicitias indicavit non niſi cum morte finiendas. *Exitus acta probavit.* In Evangelio præſentis Dominicæ pergit ad Aulam Joannes, zelo accenſus ad Herodem penetrat, de libidine arguit, voce minatur & geſtibus, eique in faciem *Marc. 6.* prædicat veritatem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Jam, jam tempus eſt, inquit mulier, injuriam ulciſcar illatam in atrio Darii Regis. Huccine comparet veritas? Audebit in palatio Regis? Hanc perditè ego mulier proſequar: neque Joannes has manus evadet impunis, carcere facinus hoc luet & capite. Herodes inſtigatus vinctum catenis in carcerem detrudit: *Cum audiſſet Ioannes in vincula opera Chriſti, &c.* capitis ſententiâ plecti jubet: *Da mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Et potiſſimum ideo, dicit Haymon. Epiſc. Hardſtat. *Haymon. Epiſc. Hardſtat.* *Propter veritatem, quam prædicabat, miſſus eſt in carcerem ab Herode Tetrarcha, veluti latro & ſacrilegus. Dicebat enim illi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Ob nullam aliam cauſam miſſus eſt in carcerem, niſi quia veritatem prædicabat: & qui veritatem jugulare non potuit, præconem jugulat veritatis.* Quid faceret, vel quid crudelius rabida auderet mulier? Perſecuta eſt veritatem, eoque redegit, ut illam oderint omnes canè pejus & angue, falſitatem vero diligant & foveant, quod modò videbitis.

Dicit Ecclefiaſticus NN. *Tempus tacendi & tempus loquendi.* *Eccl. c.5.* Dicerem ego jam tempus eſſe loquendi? ſiquidem Joannes inſtar vocis, *Ego vox,* locutus eſt & ait: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Exiſtimabitis nihilominus tempus tacendi, utpote cum Joannes in carcerem detruſus, perdiderit vitam. Quid igitur fiet? loquemur? aut tacebimus? Utrumque licebit loquar ego prædicando, attendite vos tacendo. Aggredior.

### PARS PRIMA.

MAgno fuit in pretio & amore veritas anteactis ſæculis, Domina & ſine hoſte regnabat,

*Emanuel Imperat. Orat. 7.*

*non rationibus opus erit mihi* ( dixit Imperator aliquis) *nec priſcorum, nec recentium quibus hanc ſententiam ceu veram probare liceret. Non exemplis utar, non ſyllogiſmis, nam ubi veritas ipſa velut oraculo quid dixerit, mera blaſphemia eſt orationem ejus tueri non velle.* Quò miſeriarum devoluta

*Salvian. l. 5. de guber.*

eſt modo. Salvianus ita deplorat: *Exertam veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominum ſuſtinere non poſſunt: nec ſolum refugiunt ſed etiam oderunt & execrantur: & non modò auditam non reverentur aut metuunt, ſed etiam majore ſuperbientes pervicaciâ, perduellionem contemnunt.* Et Galenus: *Omnibus hominibus hic mos eſt, ut eos oderint, qui vera loquuntur.*

*Galen. l. de cogn. & vor. animi morbis q. 3.*

Si ſuperſtes eſſet modò Romanæ facundiæ Princeps Tullius, & contemptam videret veritatem atque abjectam, verè aliter loqueretur, neque jam diceret. *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſe ipſam defendat!* Non ſic eam laudaret S. Baſilius, mutaretque Sententiam: *Nuda eſt veritas, patrono non indiget, ipſa ſe ipſam defendens, ac ſplendido præconio humilitatem evehens, ac oſtendens.* Ammonio potius jam conſentiret, ubi ſic ait: *Pericula veritati ſæpè contigua ſunt.* Veriſſimè Seneca.

*Cicero pro Cælio.*

*Ammon. l. 26. c. 1.*

*Seneca in œdip. ver. 827.*

*Sæpe cruentis veritas patuit malis.*

Proindè meritò inſigniori notâ donandi, ſi quos dicta veritas dignos effecit & gratos, ut ſcribit Scaliger.

*Scaliger in Æn. 78.*

*Hæc menſura rei eſt, in mente vel ore loquentis,*
*Eſſe ulla in toto ſi tamen ore poteſt.*

Adeò ut S. Hieronymus veritatem è mundo eliminatam eſſe credidit: *Cogitans humanam vitam, & conſiderans diverſos errores, non invenio veritatem in hoc mundo. Omne quod videmus & omne quod intelligimus, mendacium eſt.*

*D. Hier. in pſ. 115.*

Solatium hoc Charidemo, qui mortis ſententiâ punitus, quod Dario veritatem indicaſſet: *Veritatis impatiens hoſpitem Charidemum, ac ſupplicem, tunc maximè utilia ſuadentem, abſtrahi juſſit ad capitale ſupplicium.* Quippè ante ipſum Præcurſor Chriſti Joannes Baptiſta recluſus in carcerem, caput perdidit & vitam pro illa ipſa veritate. Unde Sanct. Eulogius Martyr. *ille Angelus veritatis,* (inquit) *Redemptoris Præcurſor, & nuncius pacis Ioannes Baptiſta, cum regem iniquum de ſtupro Herodiadis commoneret, ergaſtulo propter veritatis profeſſionem detruditur, ibiq; capite truncatur.*

*Apud. Tob. Magir. verbo Veritas. n. 35.*

*S. Eulog. mart. lib. 1. men. ſanc. in Tom. 9. Biblioth.*

Infortunia veritatis ita Iſaias Propheta enarrat: *Corruit veritas.* Prodibat in publicum, videnda ab omnibus, obruta eſt & ſuffocata. Transferunt alii ex Hebraico: *Et facta eſt veritas in averſionem.* Joannes Cluniacenſis explicat: Si per plateam tranſiens nauſeoſum quid videris, an non pedem retrahis, & oculos ſtatim avertis ne diutius videas? *Deſumpta eſt parabola à cane mortuo in platea quem omnes ut rem fœtidam averſantur.* Pilatus Salvatorem interrogabat de multis quæ objiciebant Hebræi, ſed de hoc ſpecialiter, an ſcilicet eſſet ipſe Rex Judæorum, ut jam aliquoties de ſe confeſſus dicebatur. Verè dicas & ſincerè, non jam ut judici, ſed ut amico candido, & omni ego modo te defendere conabor, & liberare. Tibine debitus hic titulus? *Tu es Rex Iudæorum? Ergo Rex es tu?* Salvator benignè reſpondit: *Tu dicis quia Rex ſum ego.* Quomodò id verum ſit? Subditos non habes, nec divitias, nec Regnum. Audi Pilate & crede: neſcit enim mentiri, qui non eſt mendax. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Ne falſam, & ementitam rem dixiſſe videretur, dum ſe Regem verum eſſe, & Regnum habere confiteretur.* Quid ad hæc Pilatus? Surgit & iratus valdè, Videte (inquit) quis hic prædicatorem veritatis agere præſumit: pateret, ſi canitie venerandus aliquis diceret & qui longâ experientiâ celebris. Sciat, quid inquirendum & ſi poſſit, reſponſum dabit. *Quid eſt veritas?* Subdit S. textus, Pilatum, factâ hâc interrogatione, ſtatim vertiſſe terga & ad Hebræos converſum. *Cum hæc dixiſſet, exivit ad Iudæos.* Factum à Pilato inciviliter: Interrogat, & illicò faciem avertit. Nemini mirum videatur, quia *facta eſt veritas in averſionem, quam omnes ut rem fœtidam averſantur.* Se avertit, ne audiat, quaſi veritatem audire nefas ſit & ignominioſum. *Exiit, non expectato veritatis reſponſo.* Toleti ſunt ſequentia verba: *Non expectatâ reſponſione ſuæ interrogationis abiit.*

*vet. PP. fol. 6. 2.*

*Iſa. 59.*

*Ioann. Clun.*

*Ioan. 18.*

*Card. Tolet. in Ioan. 18.*

*S. Auguſt. tract. 105.*

*Labata to. 3. Verbo Veritas. prop. 1.*

*Salmeron.*

Sanctus Stephanus Cyrenenſibus, Alexandrinis, aliiſque nationibus prædicabat, & ſancti Pauli ſecutus monitum, *Argue obſecra, increpa,* acriter reprehendebat, iniquitatem ſic exprobrando: *Durâ cervice & incircumciſis cordibus vos Spiritui Sancto reſiſtitis: ſicut & Patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri?* Quid facerent veritatem intelligentes? *Audientes autem hæc, diſſecabantur cordibus ſuis & ſtridebant dentibus in eum.* Audacter nimis loquitur, (inquiunt) multa nimis effundit, & quemlibet carpit; aut continebit, vel certè non audiemus

*Tolet. ſupra.*

*2. Tim. 4.*

*Act. 7.*

mus impoſterum, ſed expellemus. Syriacus textus habet, *Obturaverunt aures ſuas*, cum audirent à Stephano veritatem. Nec aliud voluit Propheta innuere, ubi ait: *Corruit veritas in plateis, & facta eſt veritas in averſionem.* Et S. P. Auguſtinus: *Obturaverunt aures ſuas, malè ferentes, quia veritatem prædicabat.* B. Petrus Damian *Exclamant ſtatim clamore horribili, continent aures ſuas, & eas obſtruunt veritati.*

*S. P. Aug.* *Petr. Damian. ſer. 92.* *l. E. Andr. Ebor. Petr. Crinitus lib.6 c.2. & alii.*

Memorant Scriptores varii de Rege Cambyſe. Habebat ille nobilem in aulâ charum valde & familiarem, cui nomen Præſaſpus. Quadam die ſevocat & in conclave pertrahit, & aſſidentem ſecretò interrogat: Ediſſere, amice vir? quis de me in civitate rumor eſt, quid dicit, quid ſentit vulgus de meo præſertim regimine? Abſit Rex potentiſſime, ut conqueratur aliquis? econtrà gaudent, ſeque beatos ſub Sceptro tuo omnes exiſtimant: & merito. Juſtitia in te integra eſt & incorrupta, regimen tuum irreprehenſibile eſt & mores laudandi. Scio, ait Rex, ſcio equidem, ubi diverſus eſt populus, difficile utrobique regentem placere: arridebit uni, diſplicebit alteri, adeoque fatearis, amabo te, ſic volo, ſic jubeo, idque in eum finem, ut corrigam cum potero & opportunum videro. Credat Tua Majeſtas & acquieſcat, omnes bene loquuntur & laudant. Placere fortaſſis intendis, mi Præſaſpe, veritatem ſubticendo? Falleris: non enim placebis, niſi priùs dicta ſit à te veritas. Fideliſſimus ego ſemper tuus clieus Præſaſpus non mentiar: Gratiam fatentur omnes pro tam benigno principe, cæloque acceptam referunt, benedicunt, cupiuntque perpetuò ſubeſſe. Equidem, qui defectum in veſtra perſona, quid aliud quam in ſole umbram quæreret? Juſſus tamen obediam, ut & fide promiſsâ me liberem, atque quod verum, ſyncerè dicam: Nuper inter Nobiles aulicos de Majeſtate veſtrâ ſermo eſt inſtitutus, ſed modeſtè & reverenter extollebant omnes: quia tamen ſolus Deus ſine peccato eſt, bonum judicarunt ac expediens, ut Regia Majeſtas à prandio & cœna immediate ſolitudinem quæreret, ne diutiùs inter Aulicos hærendo, vino turbante cerebrum, quid effutiat vilius & tanto indignum Principe. Cui Rex Intellexi, ait jam, & ſatis eſt. Scis, quid ampliùs à te velim? Cras ad prandium cum filio veni, atque hæc eſt voluntas & intentio Regis. Poſtridie mane comparent ambo ad regale convivium. Expleto convivio Rex in hortum abduxit, præcipitque famulis Filium Præſaſpi ad arborem ligare, arcum adferre & ſagittam, atque ſic loquitur: Recordaris Præſaſpe, quid heri ſuggeſſeris? jam vide, an trepidante pulſu & manu, aberret oculus? & ejaculatus, cor filii ejus transfixit: extenſoque digito ſic Præſaſpo minatus; Diſce (inquit) veritatem Principibus aliàs loqui: quod filio tuo nunc factum vides idipſum tibi continget, ſi veritatem denuo proferre ſis auſus. Vade & luctum tuum perpende. *Cum audiendi veritatem patiens non eſſet, in amicum adeò crudeliter ſævit.*

*Andreas Ebor. de verit. dicend.*

Sed quid Cambyſem memoro, aut Præſaſpũ? Herodem habetis & Joannem, atque hic quidem dixit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Sed quomodo? non impune: ab impio Rege in carcerẽ pellitur: *Ioannes in vinculis:* & ſentẽtiã mortis damnatur: *Præcepit amputari caput Ioannis in carcere.*

*Matth. 6.*

De ſervo Dei referunt, qui Martyrii accenſus deſiderio, ex Italia Syriam petit, ibique occurrens Sultano ſciſcitanti cur eò adveniſſet, & derelicta amœniori Italiâ tot viæ incommodis, tot periculis ſe objeciſſet? reſpondet: In Syriam veni, Sultane, ut mortem quæram & martyrii coronam merear, veritatem Evangelicam hic promulgando. Subriſit Sultanus & ait: Inconſideratè à te factum: neque enim tot ſubiiſſe labores oportuit, ſi modò Principibus tuis veritatem prædicaſſes, mortem & martyrium inveniſſes. Redi igitur in patriam, ibique veritatem ferendo, mortem metes. *Ito ad principes tuos & mortem, quam apud me quæris, apud illos invenies.* Accelera & citiſſimè exorabis. Quàm bene ab infideli reſponſum! nec poſſet ab homine Chriſtiano melius. Ut proinde vere dixerit venerabilis Guigon. *Inſaniunt multi protinus, & veritatem in ſuo prædicatore perſequuntur, & occidunt.* Et paulò inferiùs: *Vide quantum honoratur mendacium.*

*Mart. Delrio p.2. Adag. c.9. Eccleſ. c.5. ver. 20. Adag 383. Guigon. Abbas Carthuſ. de Verit. c. 1. in Biblioth. veterum. PP. Tom. 12. p. 2.*

Verè ut loquar, Auditores, adeò hominibus exoſa eſt veritas & depreſſa in opinione vulgi, ut nemo jam fidem præſtet, nemo credat, etiamſi manifeſtior luce appareat aut ſole clarior. Quorſum putatis, voluit Deus, ut Joannes Baptiſta veniret in mundum? Quid urgebat? Ut quid, non ſine miraculo fœcunda fit Elizabeth cum Zacharia? Commune dictum eſt. *Non ſunt facienda miracula ſine neceſſitate.* S. Joannes Evangeliſta rationem dabit: *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Sed quid opus eſt teſtimoniis ad probandam claritatem lucis, aut ſplendorem ſolis? *Oculis magis quam auribus credendum.* Lex habet & quis dubitat? *Certior aure, arbiter eſt oculus.* Hoc eſt, quod ad oculum evidenter patet, fruſtrâ teſtimoniis probatur. Hinc ait S. Auguſtinus:

*Ioann. 1.* *§. fin inſtit. de gradib. cogn. gl. in lin. ſum. §. idem La-*

Nun-

*beo 2. ff. de aqua pluvia, arc. S. Auguſt. in Ioan. c. 1. Franc. Card. Tolent. in Ioann. c. 1. Dionyſ. Carth.*

*Nunquid opus erat, ut Ioannes tanquam lucerna perhiberet teſtimonium diei?* Non mirum, quia, ut ait S. Evangeliſta, hîc erat perſuadenda veritas, Chriſtum ſcilicet verum eſſe Meſſiam, verum Dei Filium. *De hâc enim luce Ioannes teſtimonium perhibuit, nimirum de Chriſto Meſſia, vero Deo & homine: ut omnes crederent per illum.* Ut ſic eſſe crederent, dum S. Joannes teſtimonium ferret. At verò, quia neque verum creditur, licet meridianâ luce ſit clarius, teſtimonium requirebatur. *Hic venit in teſtimonium* (inquit D. Dionyſ. Carthuſianus) *ut veritatem annunciaret de Chriſto.*

*Ioan. 6.*

Minus adhuc malum eſſet, ſi vel teſtimonia ad veritatem adſtruendam ſufficerent: neceſſe eſt inſuper, Deum miracula facere, ut credatur, Filium Dei benedictum modico pane & duobus piſcibus ſatiaſſe quinque hominum milia. S. Joannes Evangeliſta affirmat: *Ex quinque panibus & duobus piſcibus ſatiavit Dominus quinque millia hominum.* Hoc non miror: ſcio enim creaturas omnes ejus ſubdi imperio, *Et non eſt qui poſſit reſiſtere ejus voluntati*: ſed quod modico pane cibârit miriades hominum, eoſque, famelicos quidem, ſatiârit omnes: atque hoc magis adhuc mirum eſt, neque poſſum concipere, quod analectis impleti ſint duodecim cophini. *Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant, Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.* Quò exceſſus ille? nunquid ſuperfluus? Ab hoc tamen natura abhorret? ut meritò dixerit Hippocrates.

*Hippocrat. Aphor. 4. l. 2.*

*Satietas, quæ modum naturæ excedit, non eſt bona.* Neque minùs iſta refugit Deus quàm natura, utpote, quæ plus vitii quàm virtutis participavit: quocirca Redemptor nos Patrem pro ſolo pane tamquam victui noſtro neceſſario, rogare docuit, non ſuperfluo. *Cum oratis, dicite Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi bene interpretatur B. Jordanus de Saxonia verbis: *Reſecatur ſuperfluitas per hoc quod dicitur, Panem. Non dicit, carnes, vel piſces, vel aliquid ſuperfluum, ſed ſolum, quod neceſſarium eſt naturæ, quod ſignificatur per panem.* Ægidius Romanus idem confirmat, ubi ſic breviter ait: *In hoc, quod dicitur, Panem, excluditur ſuperfluitas.* Senatus laconicus obſervat & ſeverius corripit litteratum illum, qui vel tribus verbis conceptum exponit, cùm tamen duobus poſſet. Pittaci dictum eſt: *Domus illa eſt optima & beatiſſima, in quâ non requiruntur ſupervacanea.* Quomodo igitur hic ſuperflua Redemptor admittit: Reſpondet S. Baſilius Seleucus, nil ibi ſuperfluum, quin potius neceſſarium ad Omnipotentiæ defenſionem. *Ideo nunc Dominus panem multiplicat, in potentiæ defenſionem.* Non enim Hebræi tantum per Chriſti Omnipotentiam factum miraculum credidiſſent: propterea miraculosè ſupereſſe duodecim cophinos fragmentorum voluit, ut quilibet Divinam Omnipotentiam prædicaret, & teſtaretur miraculi veritatem: quaſi pro veritate perſuadenda duo vel tres teſtes non ſufficerent, ſed duodecim requirerentur. *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.*

*Luc. 2. B. Iordan. de Saxon. in Expoſ. Orat. Dom. 294. Ægid. Rom. in Orat. Dom. tra. in Boccal. Reg. 6. Plutarch. in conviv. 7. Sapienti. S. Baſil. Seleuc. Orat. 31.*

Veritatem opprimitis & terræ latebris occultare tentatis? Facite, ſed ſcitote quòd tandem aliquando renitentibus vobis, ſe prodet & malo veſtro manifeſtabitur. Quid Midæ acciderit, D. Fulgentius memorat, quòd in controverſiâ gravi propoſitâ inſenſatè locutus ſit, temerè judicium ferens? unde Diis diſplicuit, neque evaſit impunis, cum ſtatim ſenſit accreſcere auriculas Aſini? ut omnibus pateret ea veritas, Aſinum illum eſſe, non hominem, qui tam evidenter contra rationem, ſententiam edixiſſet. Quid hîc Midas ageret, præ confuſione vix ſciebat: Barbi-tonſorem accerſit, & in ſecretiori cubiculo aures ab illo præcidi jubet, eâ tamen lege, ne, ſub pœna capitis, ulli mortalium umquam factum revelet. Et ut omnem deleret memoriam, auriculas in terram projecit & ſepelivit. Accidit, ut inde germinaret arundo, quam caſu opilio videns, abſcidit, quæ pro fiſtula paſtoritia fieret, aptavit ad luſum: ſed (quod mirum eſt) quoties inflabat, hunc ſemper ſonum reddebat, *Auriculas Aſini Rex Midas habet.* Unde alluſit Petron.

*D. Fulgent. in Myth.*

*Sic commiſſa ferens avidus reſerare miniſter,*
*Fodit humum, Regiſque latentes prodidit aures.*
*Excepit nam terra ſonos, calamique loquentes.*
*Invenere Midam qualem narraverat index.*

*Petronius.*

Veritatem igitur extinctam putatis. Sic ſepelire, ne apud homines ulla ſuperſit memoria, ne proditionis periculum reſtet?

*Apud Baſilium Ponco Sabbath. 4. Quadr. §. 4.*

Memoratu dignum eſt quod Carolo V. contigiſſe ferunt. Habebat Imperator in aula horologium rotatum magni pretii, quod ratum valde & induſtriè elaboratum Famulorum unus videns concupivit, arripuit & in ſaccum abſcondit. Advertit Imperator, & ablatum repetiit: at ſervus veritatem facti conſtanter negavit, quantumvis urgeretur, & cum magis magiſque abdere pertinaciter tentat, horologium ſonare cœpit, confunditur miſer; & veritas, diu latere impatiens, erumpit, & per ſe manifeſtatur.

Et ſi veritas per ſe manifeſta non fieret, Deus

ipſe

ipſe faceret. Chriſtus apud S. Matthæum, duorum vel trium teſtimonio veritatem fundari dixit. *Matth 18.* *In ore duorum vel trium ſtat omne verbum.* Si duorum ſufficiat teſtimonium, quid opus tertii? Intelligo quid velit: intentum eſt, quod, ſi in aliquo eventu duo veritati teſtes contradicerent, ut factum Suſannæ legimus à duobus calumniantibus & falſo illam accuſantibus: aut etiam tempore Paſſionis Chriſti, quando *venerunt* *Matth. 26* *duo falſi teſtes*, tunc *in ore trium*, (id eſt) *Divinarum Perſonarum ſtabit veritas. Per hoc myſterium* *S. Auguſt. tract. 36. in Ioann. c. 8.* *Trinitatis commendata eſt veritas. Vu habere bonam cauſam, habeto tres vel duos teſtes, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum,* inquit S. P. Auguſtinus.

Quis ſcire poſſit, an veritas mulieribus grata non ſit, utpote quæ fæminini etiam generis, tametſi viris exoſa & repudiata. At major eſt in mulieribus antipathia, & in tantum ſunt veritati contrariæ, ut ne vel dragmam unam venumdarent, quamvis in pretium illis omnes mundi divitias quis offerret. Quinimò extirpatam potiùs eam vellent radicitùs, ne umquam deinceps repullularet. Anxia erat Herodias & verebatur ne Joannes à morte reſurgeret, ac denuò veritatem intimaret? ideoque caput ſeparatim à corpore *Baron. ad Annum Chriſti 33.* voluit ſepeliri. *Corpus Ioannis ſublatum, à Diſcipulis ejus ſepultum fuit Sebaſte. Caput vero nequaquam cum corpore conceſſum ad ſepeliendum fuit, id prohibente Herodiade.*

Ægrè ferebat Deus, præceptum quod poſuerat, ab Adam & Eva non curari: iratus ad paradiſum accedit, ut, quomodò factum, indagaret. *Geneſ 3.* Adamum vocat & interrogat: *Adam ubi es?* Quid ab Adamo petis, quid, Deus bone! prætendis? Indignor (ait) valde: video enim legem meam vilipendi: ab Adamo inquiram, quomodò tam facilè ad tranſgreſſionem mandati ſit inductus, & omnium veritatem ſcire lubet. Parcat mihi tua Majeſtas, ſi verbulo interpellem. Præſtaret Evam interrogari. Interfuit illa, cum factum? Adam non attendit, quomodò ſerpens ad tranſgreſſionem tentarit Evam, neque ad interrogata poterit reſpondere; à muliere potius factum inquiratur, fiatque legitima informatio, conſcia non tacebit, plenè ſatisfaciet, veritatem revelando. Falleris & aberras, quiſquis tibi perſuades, à muliere veritatem poſſe extorqueri: è mulieribus indagare veritatem, ſtultum eſt & vanum. Unde ſolebat dicere de illis Ariſtophanes: *Ariſtoph. conc. ſe he- ra oundi*

*Ipſa enim ſunt decipere conſueta.*

Et Romanæ facundiæ Princeps Tullius:

*Crede ratem ventis, animum ne crede puellis?* *v. 209. Cicero apud Petron. p. 233.*
*Namque eſt fœmineâ tutior unda fide.*

Inimica eſt mulier & adeò veritati contraria, ut ne ferat quidem de illâ fieri mentionem. Mulieri Samaritanæ Chriſtus ad puteum Sichem loquebatur, aquæ potum requirens ad ſitim levandam. *Mulier, da mihi bibere.* Illa inhumaniter recuſavit. *Quomodò tu, Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* *Ioann. 4.* At ubi de aqua cæleſti dicentem audivit, illicò hauſtum rogavit. *Domine da mihi hanc aquam.* Faciam lubens (inquit Salvator) prius domum redi, maritum huc conducito, & aquam deſideratam guſtare tunc poteris. *Vade, & voca virum tuum.* Egonè virum quæram? quem vocabo, aut cujus maritum putas? Tot ego miſeriis in hoc mundo & clamitatibus obruor, ut nil minus quàm de viro cogitem, neque egeo, qui malum meum adaugeat. Virum non habeo, benedictus ſit Deus, oroque frequenter, ut vitam potius auferat, quam virum donet. Scio (ait Chriſtus) maritum non habes unum ſolum, *quinque enim viros habuiſti & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Attendite NN. & mulieris Ulyſſeum commentum mecum admiramini: Pergit in colloquio mulier? Video inquit, quod ſis Propheta: quare, rogo, adverte! Vides hunc montem excelſum valde? Patres noſtri illic converſati ſunt & orare ſoliti. *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt.*

A propoſito hæc mulier deflectit & (ut proverbium eſt) à bove ad aſinum tranſilit. Dicit Chriſtus: *Quinque viros habuiſti.* Reſpondet illa *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt.* Quò pergis mulier? Totâ erras viâ. Obſervate NN. Chriſtus de quinque viris loquitur, & de eo quem jam habet. Illa propoſitum mutat, cum de adoratione, de monte, de Prophetis diſcurſum inchoavit. Dicam quare. Chriſtus veritatem objiciebat, illa moleſtè tulit vel etiam fieri mentionem, quaſi dicendo. In alium nos campum conferamus, & nova dicamus, *ut colloquium de ſua incontinentia inceptum interrumperet. Sæpe enim accidit, quando aliquid non admodum libenter auditur, aliquam ſolemus excitare diverſam quæſtionem, de qua dum fit ſermo, quod erat auditui minus gratum, relinquitur.* *Franc. Card. Tolet. in c. 4. Ioann.* Sic veritas jacet, & ubique contempta.

De vetulâ narrant, quæ cum per plateam incederet, in luto ſpeculum vidit, excepit & deterſis ſordibus, faciei admovit ſeipſam intuitura: at quia in ſpeculo objecta mulieri veritas, ubi vidit in crine canitiem, in fronte rugas, in maxillis ſqua-

lorum, infumatam cutem, naſum diſtillatorio tubo non diſſimilem, & in toto vultu non niſi maximam deformitatem, potuiſſet putum cadaver aut monſtrum videri! adeò indignata eſt, ut uno iræ impetu in terram illud alliſerit, & in mille contriverit partes, hæc adjiciens verba: *Meritò ab omnibus abjectum, in ſterquilinio jaces, quod ſic apertè deformitatem manifeſtas*, Dicat quis mulieri, abſurdam eſſe, deformem aut decrepitam, & quid pro reſponſo habiturus ſit, videat, neque putem maledictum effugiet.

*Labata t. 3. Verbo veritas prop. 6.*

S. Joannes ſpeculum erat veritatis. *Quid aliud eſt, qui vera dicit, quam ſpeculum mundum, verè res repræſentans ſecundum earum exigentiam: ſicut enim ſpeculum ſpecioſum vultum, ſpecioſum reddit, deformem vero, deformem: ſic ille, quæ pulchra ſunt & bona, pulchra & bona refert: quæ vero fœda & mala, fœda & mala dicit* Videbat Joannes fœditatem Herodis cum Herodiade, & non ſecùs ac ſpeculum cryſtallinum, voce ſuâ fœdos repræſentabat, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Et hinc uterque in ejus perditionem conſpirant, non curantes, quid contentum in Lege: *Sine culpa non eſt aliquis puniendus*, plus odio ſævientes quàm ferro, caput abſtulerunt & vitam. *Et qui veritatem jugulare non poterant, præconem jugulant veritatis.* Præterea (quis crudeliora excogitet) S. Hieronymus ſcribit, poſitum eſſe caput in menſa Herodis, ad cujus aſpectum exiliens Herodias furibunda, acu capillitii linguam ejus crebris puncturis transfixit, impiè ſic locuta: Lingua iſta veritatem dicere non abhorruit, ideoque ſic pungi merita & laniari. *Inſultavit Herodiades præciſo capiti, atque acu diſcriminali ſanctiſſimam illam linguam perforavit: quia veritatem non potuit audire.*

*Labata ſupra cit.*

*C. ſine culpa, de Reg. jur. in 6. ſi, putat. ff. ad l. Aquil.*

*D. Hier. in Ruf. apol. apud Baron T. 1. Anno Chriſti 33*

Quicumque veritatem prædicat (inquit S. Antonius de Padua) odium promiſcuè omnium incurrit. *Si veritatem, ut res ſe habet & ipſa veritas requirit, & divina Scriptura apertè præcipit, quisquis prædicaret, ni fallor, odium carnalium incurreret.* Utut ſit, veritatem ego non ſubticebo. *Qui veritatem prædicat, Chriſtum confitetur, qui verò eam in prædicatione tacet, Chriſtum negat.* Homines veritatem oderunt & ut mortem abhorrent: ſingula verba retractant, aut dixiſſe pudet, eaque loquuntur, cum minus cogitant.

*D. Anton. de Pad. in Dom. 6. poſt Paſcha.*

*Idem qui ſupra.*

Sub umbrâ veritatis mendacium palliare ſolent. Ab aulâ jam pridem exulat, illique ſemper negatur acceſſus. Aulicorum nemo ſyncerè loquitur, omnes jucunda architectantur mendacia! ore proponunt ſplendide, vitrum flavens pro auro venditant, lunam in puteo monſtrant, atque alieni ſemper à vero, Rachelem pollicentur, & Liam tradunt. Artifices prius verbis plus dolo efficiunt, quàm ſi pro veritate loquantur, altè retinentes quod effertur communi proverbio, *Coll arte, è coll' inganno ſi vive mezzo l anno coll inganno, è coll arte ſi vive l altra parte.* Arte & dolo per medium annum vivitur, neque reliquo tempore ſit minus. Veritatem repudiant omnes & perſequuntur? nemo admittit, nemo defendit. O veritas, ſervet te Deus! quia ſi infirmaris non erit qui confortet, & ultimas querelas excipiet, ſi moreris, in cœmeterio oblivionis ſepultura erit. Audite illam ipſam plangentem.

*Inviſa tota diu agor mundo, undique.*
*Me ceu canem pellunt procul;*
*Nullus latendi uſquam locus: dicam mihi*
*Minantur omnes, heu! necem.*

*Cornel. Graph. in Biblioth. vet. PP. T. 15.*

Perſiani curant, & tria filios ab anno ætatis quinto ad uſque vigeſimum docent: *Equitare, ſagittas jacere & veritatem dicere.* Et Chriſtianorum pueri, vixdum ſoli poſſunt incedere, mendaciorum fiunt magiſtri.

*Herodot. 1. de Lege Perſar.*

Quantumvis tamen homines perſequantur & conentur opprimere, *hujuſmodi eſt veritas natura*, (ait S. Chryſoſt.) *ut undequaque oppugnatur, inde magis confirmetur, & quò magis obtegitur, eò clarior evadat.* Nec aliter ſentit D. Hieronymus, ubi ſic loquitur: *Veritas claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt, quæ & ſuorum paucitate contenta eſt & multitudine hoſtium non terretur.*

*D. Chryſ. hom. 57.*

*D. Hier. Tom. 9. in Reg. Monach.*

Noſtis NN. verum & veritatem eſſe cognata: veritas eſt veri ſoror, ſed tot ſunt pauperes per plateam mendici, laceri & nudi non habentes quibus tegantur: vos viri oſtendite quod veri amantes ſitis, voſque mulieres quod veritati addictæ, credite dico, liberaliter eleēmoſynam largiendo: opus charitatis facite, atque alteram ego diſcurſus mei partem aſſumam.

## PARS SECUNDA.

QUanto in odio veritas, tanto eſt in amore mendacium. Hoc fidem promiſcuè meretur, non illa: *Neſcio, quis contra nos mentitus eſt* (diſſerit S. Hieronymus) *& magis illi creditur mentienti, quàm nobis verum dicentibus. Non debemus deſperare: cuſtodit Dominus veritatem in ſæculum*, ſic ut dictum mendacium per fas & nefas ſuſtineatur: neque retractent, etiamſi mundus periret. Et ſolent hujuſmodi eſſe plerumque mulie-

res;

res. Si tamen huic meæ aſſertioni pertinaciter ab aliquibus contradiceretur, à me probatio debetur: cum dicat Lex: *Affirmanti incumbit probatio, non neganti.* Mulieres duæ abjectioris fortunæ in eadem domo convivebant, una & altera habebat prolem recens natam. Contigit unius prolem mori. Illa quid ageret? Ad alterius lectum acceſſ., & p.. 'em vivam abſtulit, mortuam ejus loco reponens. Expergiſcitur manè bona mulier, & prolem mortuam deprehendens, lachrymari cæpit, altum ſuſpirans: Heu me miſeram quid feci? Puerulus meus expiravit. O me infelicem! Sed, quid adverto? non ille meus puer, ſed convictricis meæ eſt. Irata ſociam aggreditur, Redde, ait, redde illicò filium meum, ne alioquin in caput tuum involem. Ecce tuum, meum repone. Replicat altera: Quid tibi eſt, aut cui loqueris? Filium reperis? Quem putas? Somnias, aut certè deliras, Scio, inquit altera ſcio, quid dicam? redde citò filium meum, ne tibi majus eveniat malum. Reſpondit illa: Jam dixi quia tuus ille mortuus eſt, meus ille qui vivit, quapropter garrula quieſcas, velim, & linguam contineas. Tandem pervenitur ad Salomonis Tribunal, ne aliàs ad pugnam. Vera mater prolis vivæ, querelas deponit: *Mortuus eſt filius mulieris hujus nocte, dormiens oppreſſit eum, & conſurgens tulit filium meum de latere meo & collocavit in ſinu ſuo.* Et hæc veritatem dixit. Altera ſuperbè reſpondit: Mentiris, eſt falſum, mortuus ille tuus eſt, meus qui vivit. (O mendacium ſplendidū) Judici adſtamus, juſtitia fiat: *Non eſt ita ut dicis: ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit.* Hic ſubſiſtamus NN. ſi filium ego habeam, & vobis eum tradam, ut meo commodo illum educaretis, in ædibus veſtris veſtiretis, inſtrueretis: peto, an reciperetis? Non Pater, nullo modo ſic fiet, diceretis: Quid nobis cum prole extranea? Qui genuit, ille curet & gubernet. Ut quid igitur iſta mulier prolem alterius accipit, nec ſemel attendit quantæ futurum ſit moleſtiæ, educare, alere & veſtire: an non inſipienter id factum? omninò: ſed aliud latet, & hoc movet. Mater iſta falſa mendacium protulerat, dicendo. *Filius meus vivit, filius tuus mortuus eſt:* & hoc tueri intendit per fas & nefas. Et ſi verū eſt quod *approbatum ſemel, non poteſt modo reprobari:* è contra pro axiomate infallibili tenebat, quod *negatum ſemel, non poteſt amodò affirmari.*

*L. 2. C. de prob. l. qui accuſan. C. de ed. l. fin. ff de rei vendit.*

*3. Reg. 3.*

*3. Reg. 3.*

*C. in iſt. 4. diſt. b. pom. de neg. geſt. l. cum mulier. ff. ſolut. mat.*

Scimus, diabolum inventorem eſſe mendacii *Ipſe eſt author mendacii, qui genuit mendacium: & quia mendacium genuit, pater mendacii eſt.* Ita Æterius Epiſcopus.

*Æterius Epiſc. exam l. 2. de Chriſto. ejuſq; corpore in Bibliotli. vet. PP. T. 8.*

Ille ipſe mendacii author mulieres inſtruit, & in tantum ſtatim proficiunt diſcipulæ, ut fiant magiſtræ & magiſtro (ſi dici poſſit) in fingendis mendaciis falſiores. In principio mundi concertaſſe videntur mulier & diabolus, uter in mentiendo magis excederet: diabolus duo tantum mēdacia potuit excogitare, alioquin aſtutiſſimus ſcilicet: *Nequaquam moriemini & eritis ſicut Dii.* Eva ſtatim tria effutivit *Præcepit nobis Deus.* Ecce primum: quia ſoli Adamo præceperat Deus? nondum enim formaverat Evam. Dixerat Deus: *Ne comedas* Et illa aſſeruit, dixiſſe, ne tangerent: *Præcepit nobis Deus ne tangeremus.* Ecce ſecundum. Diabolum ſuperavit, tertium hoc addendo. *Ne fortè moriamur.* Dicit illa conditionatè aut fortuitò, ubi tamen Deus abſolutè locutus eſt. Quis igitur neget, mulierem in mentiendo ſuperaſſe ipſummet mendacii inventorem?

*D. Antioch. hom. 66. de veritate in Biblioth. vet. PP. Tom. 7.*

*Gen. 4.*

*Gen 3. D. Martialis ad Tholoſ. Epiſt. 2. c. 14.*

O tempora! O mores! Maluiſſent olim homines perdere vitam, quam vel minimam de ſe falſitatis dare ſuſpicionem. Idcirco dicebat Sophocles: *Quid miſerius eſt homini libero, quàm vocari mendacem?* Quia ea Platonis ſententia eſt: *Mendacium non ſolum Diis; ſed etiam hominibus odioſum.*

*Sophocles Trach. v. 457. Plato*

*Afflictus eſt Ionas afflictione magnâ.* Quid tibi eſt, Jona? Quid ita affligeris? Actum eſt, inquit, nil reſtat, niſi ut deſperem. O utinam quis mortem mihi acceleret, & è mundo tollat: Prædicavi in Ninive, Civitatem poſt quadraginta dies certo certius evertendam dixi: & ecce jam tot dies elapſi, neque facta executio. Anteà habebat Propheta verax; quid modò dicent; Fallacem eſſe credent, & meritò. Pudet deinceps prodire in publicum: quia digito monſtrabunt, & ipſimet pueri in plateis acclamabunt: Ecce mendacem Jonā. Moriar lubentiùs, quàm ut ſic infamis diutiùs vivam. *Domine tolle animam meam, meliùs mihi eſt mori, quàm vivere* *Nunquam verum locutus ſum verbum in vitâ meâ, ſed ſemper in ſimulatione vixi, & mendacium pro veritate affirmavi Quomodò ergo potero vivere:* Ecce quàm S. Scripturæ conforme dictum Sophoclis: *Quid miſerius eſt homini, quàm vocari mendacem?* Hiſce temporibus familiariſſimum viris eſt & mulieribus mendacium: ut ſic dici poſſint frater & ſoror.

*Ioan. 2.*

*Hermes. l. 2. mand. in Biblioth. vet. PP. Tom. 1.*

*Sophocles.*

*Ioſeph. lib. 4. de Antiquit c. 9.*

Obſervo, mulieribus lege prohibitum teſtari, veluti commentatus eſt Moyſes. *Mulieri teſtimonium deponere non licet.* Quod ipſum legibus noſtris præſcribitur: *Teſtis in teſtamento mulier eſſe non poteſt.* Moris erat inquirere, non ſolum nomen, ſed & tempus & annos ſeu æta-

*L. qui teſtam. §. & mulier. ibi licet ff. de teſt. §.*

tem teſtantium. Unde ſi à muliere quinquaginta annorum Notarius petiviſſet, quot annorum eſſet, reſpondiſſet ſtatim, eſſe annorum viginti. Aut quia *teſtimonium mulieris eſt mutabile, & ideo non teſtificatur*. Sed veroſimilius ego reſponderim: Teſtes oportet eſſe veraces? mulieres vero plerumque ſunt mendaces, adeoque contractus fuiſſent invalidi, cum teſtes fidem non mererentur.

*teſtes. Forus de verbis ſignif.*

Princeps aliquis multa impoſuerat vectigalia panibus, granis, vino, oleo & ſali, quod egeret nummis: neque reſtabat alia via, quâ impetrare amplius poſſet. Quid ageret? conſilium illi datur, ut tributum hoc exigeret: pro quolibet mendacio ſubditi denarium ſolverent, ſicque brevi tempore fieret ditiſſimus, & adeò potens, ut valeret etiam Turcis bellum indicere, idque ex ſolis denariis, quos ſoluturæ eſſent mulieres, mendacia iterando.

*Pſal. 115.* *Omnis homo mendax*, ait Propheta Regius. Quid te, David, obſecro, movit, ut homines omnes mendacii culpares? Mentiri, homini accidens eſt inſeparabile, & quaſi proprium quarto modo ſumptum. Et quamvis Pſaltes quatenus homo, eſſet mendax, veriſſimè tamen hic locutus, quod ſic oſtendo. Quandoquidem homo creatus ſit in ea rectitudine, quam Theologi juſtitiam originalem vocant, & ab illo ſtatu in quo illum acceperat, peccando declinarit: ſic ut iſta declinatio à vero eſſe & recto, ſit quoddam mendacium; rectè hinc ſequitur, quod, cum omnis homo deviarit à vero & recto eſſe, per lapſum Adami, habeat pro accidente inſeparabili, eſſe mendacem. Et poſtquam David hunc formarat diſcurſum, ſcripſit (ni fallor) hanc veritatem: *Omnis homo mendax*. Doctus Interpres ita diſcurrit: *Homine peccante, & ab hac rectitudine obliquato, ex hac obliquatione de facili mentitur, & eſt ad mendacium pronus: quia eſt obliquatus ab illo eſſe naturæ, in quo accipit originalem juſtitiam, Cum enim obliquatio à vero eſſe, ac recto, ſit quoddam mendacium, omnis homo dicitur mendax, niſi ſit per gratiam confirmatus.*

*Ægyd. Colon. Rom. in Epiſt. ad Rom. c. 3. lect. 10.*

O utinam & noſtro hoc ſæculo Perſarum lex vigeret! Ad unum & alterum mendacium connivebatur, ſed tertium ſilentio perpetuo uſque ad mortem mulctabatur, & ad quoſvis magiſtratuum honores, ſic mentitus, inhabilis publicè denunciabatur. Artaxerxes rigidiorem legem ordinavit. Si quis mendacii accuſaretur & convinceretur, ei lingua tribus clavis perforabatur. Quis tandem reſtet in mundo, ſi hujuſmodi lex hodie ſervetur? Non poſſet fortaſſis eradicari quoad habitum: quoad actum ſaltem impediretur.

*Alex. l. 6. c. 10.*

Si mihi jam licitum ſit & liberum imponere mulieribus nomen conveniens (credite tamen, quotquot hic eſtis, me de vobis non loqui, quia veraces eſſe credo) hoc à me eſſet. *Mulier mendaciloqua*, aut mendacii artifex. Quid hoc enim niſi fictum aliquid mentitum & falſum? ſic eſt mulier à capite ad calcem, ſi bene inſpiciatur. Capillos habet, ſed mutuatos: colorem vides, artificiatum crede: ut formoſæ appareant quales non ſunt, vultum coloribus pingunt & fucant. Mendacium omninò contrarium illi, quod apparenter exhibet. Nobiles Domicellæ Venetæ elatæ inſtar gigantum videntur. Scitis, quare? Crepidas altas valde habent, ſic ut media ex parte dici ligneæ poſſent. Et ſi per plateam incedens ego uni illarum occurrerem, cui ſalutem vellem, nonniſi mendacii vocabulo ſalutarem. Non enim aberravit ille, qui artificem falſitatis & mendaciorum antiſtitem mulierem dixit.

Si longiori hoc diſcurſu fortè diſplicui, Herodiadi imputandum eſt? illa enim ad iracundiam movit, quod perſecuta ſit veritatem, & quotquot amantes veritatis, in Joanne Baptiſta Coryphæo exterminare conata. Illam, inquam, illam impietatis & crudelitatis arguite, me excuſatum habete, atque ita abite in pace.

* * *

# IN FESTO CONCEPTIONIS SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS ET VIRGINIS MARIÆ.

## ARGUMENTUM.

Sanctiſſimæ Virginis & Matris Mariæ immaculata Conceptio, multis & gravibus argumentis oſtenditur: nec non variis Sententiis & S. Scripturæ congruentibus comprobatur. Si quid in contrariam partem diſſeritur, breviter expenditur & evertitur.

## THEMA.

*Liber Generationis Ieſu Chriſti Filii David, Filii Abraham.*
S. Matth. c. 1.

TOt ſunt prærogativæ, tantaque excellentia Mariæ Virginis Sponſæ Spiritus ſancti, & Matris veri Dei, ut numquam ſuffecerint Sancti Patres, Patriarchæ & Prophetæ: tametſi plurimum conati, conceptu adæquato exprimere. *Propterea* (inquit S. Bernardin. Senenſis) *Maria non unam tantum, ſed multiplicem interpretationem habet, ut ſic ad ſublimitatem ejus cognoſcendam aliquantulum pertingamus. Immenſitas quidem gloriæ ejus, omnis humani ſermonis excedit inopiam.* Breviter Andreas Cretenſ. *Dei tantum eſt, Mariam laudare pro dignitate* Ea fuit ſententia B. Thomæ de Villa Nova, quod *Virginis gloria magis cogitari poſſit, quam deſcribi.* Hinc variis adumbrata eſt Hieroglyphicis v. g. Civitatis, Cypreſſi, Cedri, Olivæ, Fontis, Speculi, Roſæ, Solis, Lunæ, Stellæ, Lilii, Templi, Palmæ, Horti, Balſami, Exercitus, Navis, Throni, Tabernaculi, Turris, Auroræ, Cæli, Montis & Libri.

*D. Bernardin. Senen. T. 3. tract. de B. Virg. ſerm. 1.*

*Andreas: Cretenſ. Orat. 1. de Dorm. Mariæ.*

*B. Th. Vil. N. T. 2. ſer. 2.*

Libri quidem *Liber generationis Ieſu Chriſti.* Montis: *Et erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Cœli: *Cælum mihi ſedes eſt.* Auroræ: *Quaſi aurora conſurgens.* Turris: *Turris David quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Tabernaculi: *Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum.* Throni: *Thronus ejus in columna nubis.* Navis: *Quaſi Navis inſtitoris de longè portans panem ſuum.* Exercitus: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Balſami: *Sicut Cinnamomum & Balſamum.* Horti: *Hortus concluſus.* Palmæ: *Sicut Palma exaltata ſum in Cades.* Templi: *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Putei: *Puteus aquarum* Lilii: *Sicut Lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ.* Stellæ: *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ.* Lunæ: *Quaſi luna plena in diebus ſuis lucet.* Solis: *Electa ut Sol.* Roſæ: *Sicut plantatio Roſæ in Hierico.* Speculi: *Speculum ſine macula.* Fontis: *Fons ſignatus.* Olivæ: *Quaſi Oliva pullulans* Cedri: *Sicut Cedrus exaltata ſum in Libano.* Cypreſſi: *Sicut Cypreſſus in monte Sion.* Civitatis: *Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei.* Sed hiſce relictis, ſolius libri te, Maria, ſimilitudine deprædicare ſufficiet: *Liber generationis Ieſu Chriſti.* S. Gregorius Nazianz. ſenſum exponit. *Sola Virgo Maria Liber eſt generationis Ieſu Chriſti.* Oſtendam igitur non contractum hoc in libro errorem culpæ, non peccati originalis maculam ſub prælo conceptionis impreſſam. Doctrinam ſequor Hugonis, cùm ait: *Beata virgo eſt Liber vitæ, Liber grandis, Liber generationis Matthæi, apotheca gratiarum: pelles verò de quibus liber iſte factus eſt, ſunt antiqui Patres Abraham, Ieſſe, David, quos computat Matthæus. In hoc libro tot ſunt litteræ, quot virtutes.*

*Hugo Cardin. in c. 23. Eccleſ.*

Intereà cùm Libri hujus contentum breviter prælegam, attentos vos velim? exordior.

## PARS PRIMA.

QUandoquidem de peccato originali incidat ſermo, dicere lubet, unde ortum, & quomodò in poſteros omnes derivatum ſit malignum hoc ſemen. A Deo conſtitutus eſt Adam totius humani generis caput naturale & morale: naturale quidem, quia ab eo originem trahimus omnes: morale verò, quia in voluntate Adami Deus moraliter omnium Poſterorum voluntatem conſtituit. Unde cùm peccavit ipſe perſonaliter, & nobis culpa imputata eſt, quæ licet in nobis non fuerit voluntaria, *actu proprio, & formali*, utpote cùm nondum eſſemus nati: dicitur tamen propria virtualiter, *& interpretativè, in actu primi parentis*, quatenus in voluntate ejus, *tamquam in capite morali*, voluntas omnium noſtrum continebatur. Suppoſitâ igitur hâc veritate certiſſimâ de peccato Originali, quod reſpectu Adami perſonale dicitur, reſpectu vero noſtri, originale: tametſi cujuſque noſtrûm ſit macula conceptio, manſit illa Mariæ licet ab Adamo oriundæ, pura ſemper, ſancta & immaculata: eaque eſt ratio, quia Dei Filius, matrem fore ſuam prævidens, per gratiam ſingularem præſervavit. *Ipſa ſola ſpeciali gratiâ præventa fuit, & præſervata! eò quod fuit præviſa eſſe Mater Dei.*

*10. Vigu. ib. Inſtit. c. 18. §. 5. v. 8. L. D.*

Nec alienum videatur (NN) Nunquid & hoc naturæ privilegium cenſemus, ſolem ſplendere in luto, & non contaminari? penetrare cryſtallum radiis, & non forare? ſalamandram vivere in igne, & non comburi? adamantem conſtare ex corpore, & non facere umbram? Cœlum, quia non habet annexam privationem, peregrinas impreſſiones non admittit. Et quomodò! Difficilius credemus Dei Matrem, Librum illum myſticum immunem à contractione originalis maculæ, ex gratia ſpeciali? *Quotquot ex ipſa nati ſunt progenie* (B. Laurentii Juſtiniani ut verbis utar) [exceptis dumtaxat mediatore Dei & hominum, homine Chriſto Jeſu, & ejus matre, ſub hac peccati lege ſunt conditi. Et nemo, ab ipſo mundi initio uſque ad temporis plenitudinem, dumtaxat Mediatore, ejuſque Genitrice exceptis, jugum damnationis ſuæ evaſit.

*B. Laur. Juſt. Tract. de caſto connub. c. 7. In faſcic. Amoris.*

Ædes Rabab Deus in civitate Jericho ab incendio defendit. Quomodò Sanctiſſimam Matrem ab originali peccato non præſervaſſet? Siſtebant aquæ Jordanis, impetum continentes, cùm tranſiret Arca Domini, quaſi reverendo, ne fluxu contingerent: & non ceſſiſſet culpæ originalis inundatio, reverentialiter parcendo Virgini Matri, quæ vera Dei, Arca eſt, ne in Conceptionis tranſitu pateretur naufragium?

Fuerunt Jonas & Daniel à morte illæſi, præter ordinem naturæ, unus in ventre ceti, alter in lacu leonum. An non ſervârit Deus matrem illæſam in utero Annæ à morte ſpirituali, & à monſtro terribili originalis noxæ? S. Auguſtinus loquatur: *Ionam ſervare in ventre ceti præter naturalem uſum voluit incorruptum: Mariam incorruptam non ſervavit gratia? Servatus eſt Daniel ab intemperatiſſima fame: non ſervanda eſt Mater, tantis dotata meritis dignitatum?*

*S. Aug. Orat. de Aſſumpt. Virg. T. 9.*

Serpens invenitur in India, qui Arboris odoriferæ fructus dulciſſimos ferre non valens, ut flores & fructus deſtruat, & odorem, quem odit, impediat, ad radicem arboris penetrat, venenoſo flatu intoxicat, ſicque aridam & ſterilem reddit. Sed contra veneni infectionem repertum eſt ab hortulanis antidotum. (Mirabili, & ſalutifera illa confectione aquæ, & ſanguinis ex latere ejus in cruce fluentis, velut probatiſſima theriaca ab æterno præviſam, futuram matrem ſuam inunxit: atque hac ratione illam præſervavit, non à debito contrahendi maculam Originalem, ſed ab actuali hujus maculæ contractione.

*Ioann. Raulin. ſerm. 3. de Concep. B. V. M. Ioan. Carthagen. lib. 1. de Concept. B. M. V.*

In civitate quadam fuit lege receptum, quòd mulier, quæ primò omnium novos adferret fructus, exempta foret illo anno à ſolutione vectigalium. Maria prima fuit, quæ in hujus mundi civitatem vaſtiſſimam fructum tulit novum: *Benedictus fructus ventris tui IESVS* Novum dico? quia anteà numquam viſus homo, qui foret & Deus. Potiori ergo Jure, Mariæ debebatur hoc Privilegium, nè vectigal ſolveret culpæ Originalis, portam Conceptionis ingrediens, cum intraret civitatem hujus mundi. Dimiſſorias ei ſcribit ampliſſimas S. Theſiphon Diſcipulus S. Jacobi Majoris, & hic eſt tenor: *Illa virgo, illa Maria, illa Sancta præſervata fuit à peccato Originali in primo inſtanti ſuæ Conceptionis & libera ab omni culpa.*

*Gelibertus de Civit. Dei lect. 14. §. 44.*

*Luc. 1.*

*Apud Novarin in Vmbra Virgin. l. 4.*

Scribit Suetonius, Julium Cæſarem proſiliiſſe in mare, cùm eum hoſtes perſequerentur: dextra autem natabat, ſiniſtra librum Commentariorum extra aquas tenebat, ne madefieret. Dexterâ gratiæ Omnipotentis extulit Deus librum hunc Noſtrum Virginalem, nè per aquas turbidas peccati Originalis contaminaretur.

*Elect. exc. 17. n. 201.*

*Suetonius.*

*Maculam peccati Virgo non habuit, per quam*
*mundus emaculandus.*
*Sordibus illa caruit, cui juſtitiæ noſtræ comparatæ ſunt ſordes.*

*Aloyſ. Novarin ubi ſupra exc. 18. n. 214. lib. 5. c. 4.*

Et

Et, ſi (quod refert Valerius Maximus) fratres duo patrem liberarint ab incendio montis Ætnæ, humeris efferendo, uti Æneæ factum ab Anchiſe, canit Poeta.

Virgil. lib. 6. Aeneid.

*Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela*
*Eripui his humeris, medioque ex hoſte recepi.*

Nec tantum filius præſtitiſſet Matri, ut eam à culpæ liberaret incendio? *Quid igitur? Dei filius, quem in hac pietate infinitè quibuſvis, & quam maximè piiſſimus filius ſuperiorem eſſe certo certiùs conſtat, Matrem, quam nullo ſuo incommodo, nullo negotio, ſolo nutu eripere, ac ſalvare poſſet, in diaboli ditionem, ac poteſtatem redigi, ſpirituali morte affici, maximis malis premi, & onerari permitteret?*

Io. Mar Vt in lib. 2. c. 23. n. 43.

Beneficia concedi ſolent cum annexâ penſione. Non tamen ita filiis Principum, aſſerente Chriſto: *Tributum non exigitur à filiis propriis, ſed ab alienis.* Multa Deus beneficia contulit. Racheli pulchritudinem dedit, ſed cum penſione ſterilitatis: Liæ fæcunditatem, ſed non ſine onere deformitatis: mulieribus conceſſit ut pariant, ſed non ſine dolore: multos in gratia confirmavit, ſed cum debito, quòd poſſint cadere in peccata venialia ex fragilitate humana: Deus eſſe dedit omnibus qui ab Adamo ſunt geniti, ] magnum ſanè beneficium ) ſed non ſine penſione quod obnoxii eſſent peccato Originali: Mariæ reſervabatur beneficium ſine penſione: pulchra hęc ut eſſet & fœcunda, Virgo & Mater, pariens ſine dolore, confirmata in gratia ſine annexo culpæ venialis, haberet eſſe ſine penſione maculæ originalis. Nec minus requirebat ea illius dignitas quâ Principis cæleſtis filia eſſe mereretur. Salomon hoc illam titulo decorat, *Filia Principis. Deus optimus maximus prævidens beatam Virginem futuram eſſe ejus Genitricem, contulit omnia beneficia, ac cæleſtia chariſmata abſque ulla penſione, aut onere! quia filia Principis erat.*

Matth. 17.

Carthagena lib. 1. hom. 9.

Ariſtotelis eſt monitum: *Largiri, & opem ferre amicis, & hoſpitibus, & familiaribus, dulciſſimum eſt.* Quis ergo dubitet, Deum ſuccurriſſe Dilectiſſimæ ſuæ Matri, in Originale peccatum, & per conſequens in ſervitutem diaboli ne laberetur? *Caro Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ converſa eſt.*

Petr. Damian. ſer. de Aſſumpt. Virg.

Diabolus tentavit Evam in forma ſerpentis terribilis: cur non æquè ſub ſpecie columbæ manſuetæ? An fortaſſis quia diabolus, utpotè malignus & vafer, ſimplicitatis habitum averſatur? Magiſter Sententiarum ita reſpondet: *Venit ad hominem in Serpentis ſpecie, qui fortè, ſi permitteretur, in columbæ ſpecie venire maluiſſet. ſed non erat dignum, ut ſpiritus malignus illam formam homini odioſam faceret, in quâ Spiritus ſanctus apparituros erat.* Quomodo igitur Verbum permiſiſſet, diabolum fieri incolam caſtiſſimi Virginis uteri, unde carnem humanam decreverat aſſumere, novem menſibus inhabitando?

Petr. Lombard. Sent. lib. 2. diſt. 21.

Prohibuerat Deus, ne ſacra templi vaſa ex auro illo formarentur, ex quo aliquando fuiſſent illa Idola, quibus diabolo aſſiſtenti cultus impii & ſacrificia adolebantur, Argumentum hinc evidens eſt, quòd Sapientia increata in matrem numquam elegiſſet mulierem illam, quam anteà ſub jugo diabolus per lapſum Adæ poſſediſſet.

In Canticis Spiritus ſanctus Mariæ Virginis eximiam pulchritudinem his verbis deprædicat: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia Principis!* Incedentem cùm video, cum greſſus & pedes nitidiſſimos conſidero, amore rapior. Mirari hic meritò quis poſſet, quid inter decores tam innumeros & varios, qui in Mariæ corpore ornatiſſimo, ceu totidem in cælo ſtellæ fulgentiſſimæ coruſcant, ſolos pedes contempletur & extollat. Laudaſſet potiùs crines aureos, frontem ſerenam, cincinnos artificiosè laboratos, oculos ſplendentes, genas purpureas, labia rubicunda, dentes niveos, collum eburneum, gratiam inceſſus, aut verbi, vel denique qualitatem aliquam eminentiorem. Videamus, an non poſſit ex textu Hebraico difficultas hæc enodari. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Nadab*, aut *Animadab*! Quare pro *Filia Principis* legitur *Filia Aminadab?* Non quidem propriè filia fuit Aminadab, ſed hoc illi nomen inditum eſt per aliquam analogiam proportionis & ſimilitudinis: quia Aminadab fuit generoſus ille Dux qui primus mare rubrum ingreditur, ſiccis pedibus per lutum tranſit & aquam, cùm populum Iſraeliticum Pharao perſequeretur. *Mari rubro diviſo, & Möyſe illud ingreſſo, cùm cateræ tribus eum ſequi metuerent, Aminadab cum tribu Iuda, in quâ principaliter erat, primò ſecutus eſt Moyſen.* Ita Dionyſius Carthuſ. Maria itaque filia Aminadab dicitur: quia inter creaturas omnes, quæ mare procelloſum humanæ conceptionis pertranſierunt, culpæ tuto non eſt contaminata, neque ſtagno peccati originalis immerſa. Credamus Prophetæ, cum ait: *Cadent in retiaculo ejus peccatores: ſingulariter ſum ego, donec tranſeam, Etenim neque feminarum aliqua,*

Cant. 7.

Septem. Interp. D. Ambroſ. in orat. de obitu Valent. Item lib. de inſtit. virg. 5. c. 14. D. Hieron. lib. 1. contra Iovin. & Caſſiodorum. Pelbart. ſerm. 2. de S. Andrea.

Dionyſius Carthuſ.

neque

*ſerm. de Concept. B. V. M. Thomas Beauxamis in Cap. 1. Matth. Pſal. 140. Michael de Pal. T. 1. lib. 4. in Iſa.*

*neque virorum aliquis, qui ex naturali concubitu in lucem hanc prodierunt, immunem habuerunt ab hâc labe originali conceptionem. Beata autem hæc Virgo à retiaculo hoc criminum tam largè ſublata eſt, ut verè dixerit, ſingularem eſſe in toto terrarum orbe.*

Ad majorem elucidationem, Cantici Canticorum verba reſumo, & cum Chaldæo jam legam, *Quàm pulchri ſunt pedes tui!* Atque hujus lectionis veram interpretationem dabo per alium S. Scripturæ locum, S. Joannis 12. capite. In cœna S. Petrus ſibi à Chriſto lavari pedes recuſat: *Domine, tu mihi lavas pedes?* Hoc ergo permittam? Imprudens ſim nimium, aut inhumanus: abſit à me, ut ſic in honeſti leges impingam. *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Magiſter cæleſtis non acquieſcit, inſtanter urget, etiam minando: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet.* Sed quid Petro erat opus lotione? Quid ſordidum in pedibus? S. Ambroſius per ſordes & immunditiam pedum intelligit peccatum originale. *Mundus erat Petrus? ſed plantam lavare debebat: habebat enim primi hominis de ſucceſſione peccatum? ideò planta ejus abluitur, ut peccata originalia & hereditaria tollantur.* Et alibi ſubdit: *Lavas ergo pedes, ut laves venena ſerpentis.* Unde quòd Maria pedes habeat mundos & pulchros, revelante id Spiritu ſancto, quid aliud indicat, quàm quòd pedum lotione non egeat, quæ pura ſemper & immaculata permanſit. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis, Filia Aminadab!* Et quomodò nitidos non haberet pedes, & cur non eſſet puriſſima conceptio illius, quæ

*Ioan. 12. — D. Ambroſius. — Idem lib. 3. de Sacr. c. 1. ad finem.*

*Novarin. lib. 4. Vmbr. Virgin.*

*Originis peccatum non habuit, quæ omnibus bonis fons, & origo?*
*Culpa Virgini non debetur, cui omnis debet, quòd liberetur à culpa?*

*Cantic. 4.*

Proſequamur NN. & profundiùs inveſtigemus. In Canticis mirum in modum S. M. Eccleſia extollit decorem Reginæ cæli, eamque in corpore & animâ formoſiſſimam prædicat *Tota pulchra es (Maria) & macula non eſt in te)* Id eſt) *originalis peccati* Nulla mihi difficultas hoc in loco, niſi quod legat Hebræus: *Et macula non in te?* neque ponit Verbum *eſt*. Attamen mihi videtur ſine verbo imperfecta locutio, quia non generat perfectum ſenſum in animo auditoris. Pro facili intellectu ad S. Evangeliſtam Lucam recurramus. Archangelus Gabriel Beatiſſimæ Virgini incarnationem Verbi annunciat: ſed antequam legationem exponat, ita ſalutat: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Non parum, Archangele, admiror imperfectum ſalutandi ſenſum: Dicendum potiùs: *Dominus eſt tecum.*

*Luc. 1.*

Non facilè crediderim, in ſalutatione commiſiſſe defectum, cum ſimili etiam modo Apoſtolos ſuos Chriſtus ſalutarit, quando *ſtetit in medio & dixit eis: Pax vobis* Cur potiùs non ait: *Pax eſt*, aut *ſit vobis*? Appoſitiſſimè hic à Guilielmo Pariſienſi reſponſum eſt, cùm ait: *Non addit verbum alicujus temporis ad denotandum, quod paratus eſt omni tempore vobis pacem ſuam dare, quam ſemper nobis offert: & ideò ſine quocumque verbo dixit: Pax vobis, ut oſtenderet pacem omni tempore nobis neceſſariam* Quapropter nil erravit Archangelus, ſed & advertenter & expreſſe dixit ſine verbo, *Dominus tecum?* ut innueret (quod notat Seraphicus Doctor S. Bonaventura) Deum in quacumque temporis differentia fuiſſe cum Virgine, in præſenti, præterito, & futuro. *Dominus tecum* (verba ſunt Sancti Doctoris) *& non, Eſt, fuit, erit tecum: ſemper fuit, ſemper eſt, & ſemper erit cum Virgine, Dominus tecum: ut eam ab omni labe peccati tam Virginalis quàm actualis præſervarit: ut, nè per momentum quidem ſub poteſtate Sathanæ fuerit.* Eadem eſt paritas ſuprà, cùm legitur *macula non in te.* Si enim dictum fuiſſet *non eſt in te* quandoquidem ly *eſt* notet tempus præſens, indicaretur quidem quòd nunc & in præſenti reperiretur ſine maculâ Originali, ſed de præterito dubium & indeciſum relinqueretur, ſcilicet quando in utero Matris concipiebatur. Undè ut omnis dubitandi occaſio tolleretur, &, ut manifeſtum ſit, quòd neque de præſenti, neque de futuro, neque de præterito fuerit macula Originalis, textus Hebræus ſic habet, *Et macula non in te.* Ubi doctè commentatus eſt. Abulenſis his verbis: *Opportuniſſimam verbi omiſſionem, ut intelligatur, nullum unquam extitiſſe tempus, in quo Virgo Maria maculam contraxerit: nec de præſenti, aut de futuro, aut de præterito aliquo modo poſſe affirmari, originalis peccati nævum illi fuiſſe.* Etiam diſertè locutus eſt Idiota: *Macula peccati ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te, nec umquam fuit, nec erit.* Maria itaque liber eſt, verùm ſine errore, ſine maculâ, *Liber generationis Ieſu Chriſti.*

*Luc. 24. — Guilielm. Pariſ. feria 3. Paſch. — Ioan. Hofmeiſt. in Luc. 1. — Abulenſis in Epiſt. ad Philipp. Tom. 1. c. 2. §. 14. — Idiota.*

*Luc. 1.*

Nova ſupereſt difficultas in verbis ſalutationis Angelicæ, *Dominus tecum*, Cùm Archangelum Deus ipſe miſiſſet, *Miſſus à Deo*, meliùs dixiſſet: *Deus tecum.* Scio quidem quantum ad rem

ſignifi-

ſignificatam, *Deus & Dominus* ſint, ſynonyma
ſunt: Idem namque ſignificat *Deus*, quod *Domi-
nus*; quia eſſe terminos convertibiles, diceret Lo-
gicus. Differunt tamen, quantùm ad modum ſig-
nificandi, quia *Deus* propriè ſignificat Deum con-
ditorem univerſi, juxta illud, *In principio creavit*
Gen. 1. *Deus cælum & terram*. At verò *Dominus* in rigo-
re ſignificat Deum univerſi, moderatorem juxta
imperium voluntatis ſuæ. Sit, per modum exem-
pli: *Ut Deus* creavit ignem cum ſuis proprietati-
bus naturaliter inſeparabilibus, ut eſt calefactio,
illuminatio: poteſt tamen, *ut Dominus, ſecundum
imperium ſuæ Divinæ voluntatis*, impedire, ne
Dan. 3. combutat, uti factum eſſe, in fornace Babilonicâ
conſtat: etiam ne illuminet, uti de igne infernali
verificatur, concurſum ſuum videlicet ſuſpenden-
do. Hoc, ni fallor, inferre voluit Propheta, dicen-
Pſal. 28. do: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Ut
Deus fecit cælos moveri & planetas. *Ordinatione*
Pſal. 11. *tuâ perſeverat dies.* Sed, *ut Dominus* præcepit ſoli
in medio curſus velociſſimi, ut ſiſteret tempori-
Ioſ. 10. bus Joſue.

Intelligemus modò, cur cæleſtis Paranymphus
1. Cor. 15. ſalutando Mariam, dixerit, *Dominus* & non *Deus*.
Epheſ. 2. Legem hanc ſtatuit *ut Deus*, ut ſcil. Adami om-
nes poſteri originalis culpæ macula contamina-
rentur. *Omnes in Adam moriuntur. Omnes naſci-
mur filii iræ. Ut Dominus*, in lege diſpenſavit, *ſe-
cundum imperium ſuæ voluntatis*, nè Maria ma-
cularetur: ideò dixit Archangelus: *Dominus te-*
Franc. *cum* & non, *Deus*: quaſi inferre voluiſſet: Rector
Labata univerſi tecum, Virgo, ait, non *ut Deus*, ſed *ut Do-*
Tom. 2. *minus. Dominus tecum. Quamvis, ſecundum quod*
verb. Ma- *filia Adæ, in peccatum originale incidere debuiſſet,*
ria prop. *ſecundum quod* Dominus *eſt, eam à peccato origina-*
38. *li præſervavit.*

Videamus ergo, an ſupremus Authór Mariam
curet, ut *Dominus*? cùm ſic quaſi viſus eſt loqui:
Volo, ut Maria priùs ſit filia gratiæ, quam partus
naturæ. Quærunt Patres Theologi cur natura
humana Chriſti à ſuppoſito Divino terminata ſit,
& non à proprio? Opinantur aliqui, quòd unum
ſine altero prætendiſſet litigando, ſacratiſſimam
humanitatem ſuſtentare. Hoc ſibi muneris ſup-
poſitum finitum præſumebat, eò quòd natura fi-
nita eſſet. Infinitum ſibi attrahebat, quia omne id
ſupra naturam fiebat, & virtute Spiritus ſancti,
tandem (piè ſpeculari ſic mihi liceat) concorditer
conveniſſe, meditor, eo pacto, ut velociori honor
naturam dictam ſuſtentandi deberetur: ſed hu-
manum ſuppoſitum à Divino præventum: hoc
ideò terminavit, excluſo altero.

Hanc & ipſam gratiæ & naturæ in Concep-
tione B. V. Mariæ contentionem S. Joannes Da-
maſcenus examinat. Natura præcedere Gratiam
contendebat hâc ratione, quòd S. Virginis Con-
ceptio humanitatis ordinem non tranſcenderet.
Non ſic (ſubdidit Gratia) meum hoc eſt, & me
concernit: præcedam ego, quia Virgo hæc ſupe-
rioris erit ordinis, utpote in Dei Matrem elevan-
da. A cujus igitur parte ſtabit? Vires noſtras ten-
temus, & fortior prævalebit. Initur certamen, &
naturam gratia ſuperat, adeoque jure prævenit: ut
merito Maria poſſit gloriari ſe priùs eſſe ſanctifi-
catam à gratia, quàm conceptam à naturâ? ſic ut
gratia prævenerit, eaque ceu antidoto munita ſit
Virgo, nè natura deinde ſuperveniens maculâ o-
riginali contaminaret. Hinc à S. Paulo dictum:
*In nobis prius eſt eſſe animale, quam ſpirituale! prius*
*quæ carnis, deinde quæ Spiritus. Et in Maria* (ut be- 1. Cor. 15.
nè ad mentem noſtram Michaël de Palatio inſi-
nuat) *non priùs carnis conceptio, quàm Spiritus ge-* Michael
*neratio: non priùs animalis, quàm ſpiritualis vita,* de Palat.
*ut ſimul hæc. Nam ſimul atque anima corpuſculo* in Iſa. c. 9.
*indita eſt, gratiæ plenitudine donatur.* Sed expreſ- L. 14. T. 1.
ſius intentum noſtrum S. Joannes Damaſcenus
proſequitur, naturam à gratiâ præventam, clariſ-
ſimè indicans his verbis: *Quoniam futurum erat,*
*ut Dei Genitrix, & Virgo ex Anna oriretur, natura* Io. Dama-
*gratiæ fœtum antevertere minimè auſa eſt: verùm* ſcenus o-
*tantiſper expectavit, dum gratia fructum ſuum* rat. 1. de
*produxiſſet.* Nat. B. V.
M.

Ad Evangelium hodiernum revertamur, ut ip-
ſimet veritati inſiſtamus. Mariam eſſe Librum S.
Matthæus teſtatur: itaque ad argumentum hoc
formo enthymema: *Maria Liber eſt generationis
Ieſu Chriſti: Ergo impoſſibile fuit ex gratia ſpeciali
ipſam contraxiſſe peccatum originale.* Antecedens
nemo rectè neget, qui eſt S. Matthæi: *Liber gene-* Iſa. 8.
*rationis*. Iſaiæ, *Liber grandis ſcriptus ſtilo hominis.*
De quo SS. Patres Epiphanius & Gregorius Na- S. Greg.
zianz. B. Virg. Mariam intelligunt. *Sola Virgo Ma-* Nazianz.
*ria liber eſt generationis Ieſu Chriſti.* Et Hugo Hugo
Cardinalis: *Beata Virgo eſt liber vitæ, liber grandis,* Card. in c.
*liber generationis Matthæi.* Ad conſequentiæ pro- 23. Eccleſ.
bationem, ſuppoſitum eſto & hoc certum, quòd
à Deo ſint compoſiti libri duo? Vitæ unus, in quo
ſcripta ſunt prædeſtinatorum nomina! de quo in
Prima Parte tractat Angelicus Doctor. Alter li- D. Thom.
ber eſt Maria, ut dictum eſt: his poſitis conſe- 1. p. q. 24.
quentiam probo ex S. Scriptura in Exodo. Idolis art. 3.
in deſerto populus Iſraeliticus ſerviebat, indeque Et B.
iratus Dominus caſtigare intendebat. *Dimitte* Thom. à
*me, ut iraſcatur furor meus.* Niſi puniatur, non Villa. N.

*In Conc. 1. de Nativit. B. V. M.*
*Exod. 19.*

emendabitur hic populus *duræ cervicis*, ſed indies magis in malo obdurabitur. Videns hoc Moyſes, ad Deum accedit & propoſito dilemmate ſic alloquitur: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro in quo ſcripſiſti.* Aut parce Domine, aut de libro vitæ nomen meum expunge. Hìc S.P. Auguſtinus ſubintrat, & Moyſen jam Deo ita reſolutè loquentem miratur. Hoccinè fieri poſſit, quòd, ſi populo Deus parcere nollet, deleri ſe pateretur Moyſes de libro vitæ? reproborum numero ſe aſſcribi pateretur? Quæ eſſet illa inſania? *Nemo tenetur*, (ait D. Thomas) *nec debet, pro ſalute ſpeciali totius mundi, velle carere gratiâ, & amicitiâ Dei*, Mirum non eſt (reſpondet Sallé Doctor) quia Moyſes impoſſibile credebat, quòd de libro vitæ Deus deleviſſet. *Securus hoc dicit: quia Deus non deleret hominem de libro vitæ.* Ratio quidem Theologica eſt, quia ſcriptus erat in libro vitæ, *non ex gratia, ſed ex prædeſtinatione.* Et qui ſic inſcripti ſunt, deleri non poſſunt, nè alioquin jam prædeſtinatio fallibilis redderetur. Attamen rationem pono moralem, eritque eorum, quæ ſuprà confusè dicta, concluſio. Sciebat, credebatque Moyſes eſſe impoſſibile, quòd Deus ipſum delere voluiſſet de libro vitæ, cùm omninò putaret inconveniens librum illum à Deo ipſo compoſitum, obliterationis, (ut ita metaphoricè loquar (aut atramenti maculâ deturpari. Et ecce concluſio. Ut quid igitur non liceat pariformiter de altero libro? de Maria, inquam, pariformiter loqui? Ille ſine macula, iſte ſine culpa: ille ſine turpitudine, iſte ſine labe Originali: iſte ſine mendis, ille omnino purus. *Ergo ex gratia ſpeciali ipſius Dei, Maria non contraxit maculam peccati Originalis.* Neque deſunt Authores qui hanc opinionem confirmant. *Aut dele me de libro in quo ſcripſiſti, exiſtimans lituram aliquam in eum minimè poſſe cadere: novit enim ipſe librum Dei nullis erratis, aut lituris eſſe obnoxium. Maria liber eſt Dei, ſpiritu Dei vivi conſcriptus: Quid igitur mirum, ſi erratis careat! Nullum ergo in iſto libro erratum, nullam labem, nihil omiſſum, nihil prætermiſſum reperies.* Etiam ſubſcribit alius Author pio erga B. V. Mariam affectu, veritatis ſtudioſus indagator: *Non incongruè puto myſticè ſignificari, beatiſſimam Virginem Librum fuiſſe, omnis peccati adeò expertem, ut nec in prima ejus impreſſione ullus irrepſerit error.*

*D. Thom & Cajet. apud Petr. de Arrag. in 2.2. q. 26. ar. 4.*
*S. Auguſt. quæſt. 147 in Exod. c. 32 D. Thomas loco citato ſuprà.*
*Io. An. de Abula in Epiſt ad Philippenſ. T. 1. ſe. 2. § 14.*
*Ioan. Carthag. lib. 1. hom. 4.*

Tam verè B. V. Mariæ Matris Dĕi Conceptio pura eſt & immaculata, quàm eſt verum Evangelium: quia à S. Matthæo ſcriptum lego, quod ipſemet Chriſtus proprio ore ſanctam prædicarit & puram. Loquens enim de Præcurſore ait, *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſtâ* Erit ergò Joannes major Chriſto? Nunquid enim etiam hic à muliere natus eſt? Abſit illud: intelligendus eſt namque loqui de iis qui de muliere, non qui de virgine nati ſunt, & ex virili ſemine: at vero Chriſtus de Virgine, & virtute Spiritus Sancti: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Ita loquitur S. Eccleſiæ Doctor D. Hieron *His igitur præfertur hominibus, qui de mulieribus nati ſunt, & de concubitu viri & non ei, qui natus eſt ex Virgine, & Spiritu Sancto.* Id ipſum Chriſtianus Drutmarus confirmat: *Non eſt putandum, Domino Ieſu Chriſto illum eſſe comparatum, quia Dominus noſter non de muliere, ſed de Virgine natus eſt.* Dicatur ſaltem, Joannem eſſe B. V. Mariâ majorem, eò quod ſit natus de muliere non virgine, & virtute humanâ. Sine errore nemo ſic poſſit vel aſſertivè loqui, cùm fuerit illa Joanne, & ſimul omnibus ſanctis merito & ſanctitate major. Quomodò jam Sapientiæ increatæ verificabimus verba, quibus falſum ſubeſſe non poteſt? *Inter natos mulierum, &c.* Ego, ut certum mihi perſuadeo, voluiſſe hoc ipſo encomio. B. V. Mariæ Conceptionem immaculatam deprædicare potiùs, quàm S. Joannis celebrare laudes. Dicite, ut quid ponit hunc terminum, *Surrexit*? Cur non dixit: *Non natus, non ortus eſt*, vel *non venit in mundum*? Hìc nodus eſt.

*Matth. 11.*
*Luc. 1.*
*D. Hier. in Matth.*
*Drutmar c. 29. in Matth.*

Sciendum eſt quod *ſurgere* præſupponat *cadere*. Neque de terra aliquis ſurgit quin priùs ceciderit. Si igitur Virgo cecidiſſet, quandoquidem prædicetur Joannes major omnibus, qui in peccatum originale ceciderunt, eſſet per conſequens etiam ipſamet Virgine Maria major. Conceptus eſt ſubtilis valdè Petri Galatini in hæc verba: (Inter natos mulierum, &c. Hoc dici non poteſt, niſi de eo qui prius cecidit, ac poſteà ſurgit ac ſi diceret: Inter eos qui in peccato originali concepti ſunt, non ſurrexit major Joanne Baptiſtâ, Chriſtus autem in peccatum non cecidit, ergo ipſo Joannes major non eſt. Cùm ergo Beatiſſima Virgo major quoque ſit, ipſam in peccatum originale non cecidiſſe neceſſariò conſequens eſt: quod ſi non concederetur, ſequeretur planè, Joannem Baptiſtam majorem eâ extitiſſe? quod omninò falſum eſt. Ex Evangelio igitur, & Salvatoris noſtri Sententia, ipſam abſque originali peccato conceptam fuiſſe, neceſſariò concluditur.) Si dictum ſit a Chriſto, & in Evangelio confirmatum, negare quis audeat? Rationem hanc exiſtimo evidentiſſimam.

*Petr. Galatin. l. 7. de arc. fidei c. 5.*
*Item Thom. Beauxamis Tom. 2 Harmon. Evang. fol. 28. c. 1. l. D.*

Dici-

Dicite, vos Juriſtæ, ſi veſtrum foret hanc controverſiam decidere, & ſeparatâ omni paſſione, aut veſtro erga Deiparam affectu Sententiam diceretis, illane favorabilis illi foret, vel non? *In rebus dubiis, benigniorem interpretationem ſequi, non minus juſtius eſt, quam tutius.* Si ergò dubia lis eſſet, in favorem Mariæ decideretis. *Benignior ſentencia in dubio eſt præferenda.* Nunquid igitur benignius eſt & magis pium, in Mariæ favorem reſolvere, quod ſcil. in inſtanti Conceptionis fuerit immaculata, quàm contrarium aſſerere? Non eſt dubium: & leges omninò favent. *In ambiguis ſenſibus melius eſt humaniorem amplecti ſententiam. Proniores debemus eſſe ad abſolvendũ, quàm ad condemnandum.* Nonne Imperator Trajanus hoc reliquit decretum: *Satius eſt, impunitum relinqui facinus nocentis quàm innocentem damnare.* Senatoribus & quibuſvis aliis in dignitate conſtitutis, decretis eſt vetitum, in uxores accipere puellas abjectioris fortunæ ut ſunt ancillæ, & aliæ hujuſmodi vilioris conditionis mulierculæ, ne alioqui dignitati, quam adepti ſunt, derogaretur. *Senatores, perfecti & alii quidem in dignitate conſtituti, ducere non debent in uxores ancillas & alias obſcuras mulieres.* Quomodò ergò Deus, qui eſt *Princeps Regum terræ, & non venit ſolvere legem, ſed adimplere,* Matrem vellet illam, quæ per peccatum originale fuiſſet aliquando in ſervitute diaboli, & per culpæ maculam vilis effecta? Ecquis neſciat quod *Princeps legi ſubditus non eſt? Auguſta autem, etſi ſit ſubdita, Princeps tamen ei concedit privilegia, quæ ipſe habet:* Deus hanc ſtatuit legem, quod in peccato originali omnes conciperemur: ſed Princeps Filius Dei ex natura eſt ab illa lege exemptus Auguſta, quæ eſt Maria Mater ejus, à principe habet quod ſit exempta ex privilegio, ex gratia ſpeciali.

*L. ea quæ §. in re dub. ff. de reg. jur. L. ſemper ff. de reg. jur. L. ſi pari ff. de inoff. teſt. L. in dubiis ff. de reg. juris. L. circa inter vet. §. ſi aut. L. Art. ff. de act. & obli. L. obſ. de pan. L. de nat. lib. & Matribus eorum. Matth. 5. L. prin. §. de leg.*

Quid amplius? Nunquid in Concilio Hieroſolymitano celebrato anno Chriſti 44. interventu Apoſtolorum deciſa eſt hæc veritas? *illa Virgo, illa Maria, illa Sancta in inſtanti ſuæ Conceptionis fuit ab originali peccato præſervata.* Nonne & Concilium Tridentinum decreto de peccato originali, clarè definit? Hic eſt tenor: *Non eſſe intentionis ſuæ, comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem.*

*Apud Io. Bap. Nov. de Conc. c. 2. p. 53. Concil. Trident. ſeſſ. 1. de peccato originali.*

Felicis memoriæ Paulus V. anno 1617. diplomate ſic ſtatuit: Decrevit & præcepit omnibus, & ſingulis cujuſcumque Ordinis, & inſtituti: ne audeant in publicis concionibus, concluſionibus, lectionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod beatiſſima Virgo fuerit concepta in peccato originali.

*Paulus V.*

Anno 1622. Gregorius XV. idem decretum cõfirmavit, *mandans & præcipiens omnibus, & ſingulis ne de cætero audeant diſſerere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali.* Diabolus ipſe à Sancto Patre quodam exorcizatus, & coactus ut verè diceret, quid ſentiret de Conceptione Beatæ Virginis: reſpondit tribus diſtinctis vicibus: *Sine macula, ſine macula, ſine macula.*

*Gregorius XV.*

Mirum caſum Dionyſius Carthuſianus memorat, de navi, quæ in medio maris agitata ventis & fluctibus in tempeſtate maxima, neque ſpes erat evaſionis, ſed periculum evidentiſſimum ſubmerſionis. Quotquot in navi aderant, voces levabant ad cælum & ſuſpiria, auxilium cælitus implorando. Ecce comparet ex improviſo venerandus ſenex in habitu pontificali, & calcatis fluctibus ad navim accelerans, Abbatem in navi præſentem vocat, eique hæc dicit verba: *Vis periculum iſtud evadere? Scias me à Dei Genitrice directum, & ſi dictis meis obtemperare volueris, periculum iſtud evades.* Facturum promiſit Abbas. *Tunc ille præcepit: Diem Conceptionis Virginis glorioſæ ſolemniter ſexto idus Decembris celebrabis, & celebrandum prædicabis. His dictis diſparuit, moxque ceſſavit tempeſtas.*

*Dionyſ. Carthuſ. ſerm. 1. de Concept. B. V. M.*

Concluſio ergo iſta ſit & litteris aureis in libro illo Virginali *ad perpetuam rei memoriam* inſcripta maneat: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Maculam in Sole, qui culpam in Maria, quæreret. Quia (ut teſtatur Angelicus Doctor) *talis fuit puritas Mariæ, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.*

*Pſal. 9. D. Th. in 1. diſt. 45. q. 1. ar. 3. ad 3. Et in 1. diſt. 17. q. 2. ar. 4.*

Pro coronide ſit Elogium S. Antiochi: *Deiparæ, omni laudum genere celeberrimæ, nulli obnoxia vitio, ſed gloriâ omni digniſſima.*

*S. Antioch. in Pond. ſcri. hom. 21. de Virg.*

Salutemus hanc omnes & devotiſſimo concentu acclamemus:

*Salve Chriſti ſacra parens.*
*Flos de ſpinis ſpinâ carens,*
*Flos ſpineti gloria*
*Nos ſpinetum, nos peccati*
*Spinâ ſumus cruentati,*
*Sed tu ſpinæ neſcia.*

*Adam de S. Victore.*

Hoc interim NN. monitum velim, Nemo veſtrum ſit, qui non ardenter cupiat à Maria, libro Patronatus inſcribi: indicium deſiderii veſtri eſto eleëmoſyna, quam ad gloriam & honorem puriſſimæ Conceptionis commendo erogari, ut pauperum extrema neceſſitas charitate veſtrâ maximâ ſublevetur: interea reſpirabo.

## PARS SECUNDA.

*1. Cor. 15.* *Epheſ.* *L. de pretio ff. de pub. in rē eſt. L. Præſes de offic. præſ.*

SOlum difficultas ex Epiſtolâ D. Pauli allegari jam poſſet, cui firmiter ceu Evangelio credendum minimè dubitamus. Dicit ille: *Omnes in Adam moriuntur: & omnes naſcimur filii iræ.* Ubi ex collectivo *Omnes*, quod apud Logicos ſignum eſt univerſale, videtur, etiam Mariam debere comprehendi. *Qui dicit omne, nihil excludit.* Et in lege, *Generale dictum, generaliter eſt intelligendum.* Ergo nec Maria ab iſto debito eſt immunis.

Reſpondeo primò, quod *omnes in Adam moriuntur, & omnes naſcimur filii iræ*, poſſit intelligi vel quantum ad actum contractionis, vel quantum ad debitum contrahendi. Quod dixit S. Paulus, reſpectu noſtri verificatur quantum ad actum contractionis? ſed reſpectu Mariæ, quantum ad debitum contrahendi. Quo poſito, habuit debitum: ſed effectivè non contraxit, ex gratiâ Dei ſpeciali præſervata.

Si dicatis, Propoſitionem Pauli eſſe univerſalem, & *quod univerſaliter profertur, univerſaliter eſſe intelligendum*: nihil refert, quia Propoſitio univerſalis duplex eſt, alia univerſalis *politicè*, alia *logicè*. Propoſitio univerſalis *logicè*, illa eſt, quæ abſolutè & ſimpliciter debet verificari de omnibus V. g. *Omnis homo eſt animal rationale.* Propoſitio univerſalis *politicè* illa eſt, ad cujus verificationem non eſt neceſſe, omnia individua concurrere? ut ſi dicerem: Hoc manè Civitas Venetiana ad concionem tota confluxit: de facto quidem incolæ omnes non interfuerint, ſed, ut oſtendatur ingentem fuiſſe multitudinem? ſic *politicè* dicitur & verè. Eodem omninò modo, tot ſunt creaturæ, quos originalis macula contaminavit, tot naſcuntur homines filii iræ, ut à S. Paulo exprimantur propoſitione univerſali *politicè*, ſed non *logicè*.

Contrà replicabit aliquis: Si nec actualem nec originalem culpam contraxerit, ergò neque meritis Chriſti fuerit redempta! quia illi ſoli redempti ſunt, qui ceciderunt. Et conſequenter omnibus nobis conceſſum eſſet tantum beneficium, ſolâ Virgine Mariâ exceptâ. Idcirco D. Thom. ita ſcripſit: *nunquam anima B. Mariæ fuiſſet peccati contagio maculata, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundum quam eſt univerſalis Salvator & Redemptor: tunc enim eſſet aliqua perſona quam non redemiſſet, ſcilicet ipſa Virgo. Nec debet tantum honorari Mater, quòd dehonoraretur Filius derogando ſuæ dignitati: quia nec Virgini placet talis honor.* Ad propoſitam difficultatem reſpondeo, creaturam aliquam poſſe redimi, vel *ante lapſum*, vel *poſt lapſum*. Similitudine clarius demonſtrabo. Per viam peregrinus incedit & tranſiens ad foſſam, certo certius incidiſſet, niſi ab aliquo opportunè ſuperveniente eſſet monitus & retentus: atque iſte redemptus eſt *ante lapſum*, antequam caderet. Alius ſimiliter per viam progrediens, in barathrum labitur, ſed lapſus à ſuccurrente amico eripitur, Ille redemptus eſt *poſt lapſum*. Itaque explicatis his terminis, dico Mariam fuiſſe meritis Chriſti redemptam *ante lapſum*, quemadmodum & nos omnes ſumus redempti *poſt lapſum*, Ipſammet Deiparam audiamus teſtantem.

*D. Th. 3. p. 27 & in 3. ſent. ap. D. Anton. in 1. p. tot. ſum. tit. 6. c. 2. de peccato originali.*

Loquens cum Elizabetha uxore Zachariæ de Deo, qui illam elegerat in matrem, & donis cœleſtibus atque favoribus innumeris dotaverat, grato animo memorat: *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Quomodò poterat gloriari Deum eſſe ſuum Salvatorem, *in Deo ſalutari meo*? Si fuerit Salvator omnium, *vel ſufficienter, vel efficaciter.* Dixiſſet igitur *in Deo ſalutari noſtro. Quod eſt commune multorum, non eſt proprium alicujus.* Dicere Maria voluit: Cæteri omnes Adami poſteri generaliter ſalvati ſunt *poſt lapſum*? at ego ſpecialiter *ante lapſum*: & cum neminem alterum particulariter hoc modo ſalvarit, meritò dixerim: *in Deo ſalutari meo, & noſtro.* Hugo Victorinus ait: *Meritò igitur Beata Virgo Maria, quæ ſe ſingulariter electam videbat, quia ſingulariter gratiam acceperat: quare privilegio quodam electionis Divinæ confirmata fiducialiter ipſum, quem pro ſalute mundi ipſa conceperat, ſuum etiam, cum lætitia & exultatione, ſalutarem vocat.* Redempta igitur fuit *præſervativè non liberativè.* *Hugo Victorin in c. 1. Luc T. 1.*

Et verè *ante lapſum* redimi à Verbo incarnato debuerat: quia, ut Sanctus Archiepiſcopus Florentinus loquitur, *Nobilius & melius liberatur, & redimitur, cui providetur ne cadat, & in ſervitutem incurrat, quam ut lapſus erigatur, & factus ſervus redimatur.* *D. Anton. Arch. Flor. 1. p. ſum. T. 8. c. 2. de pec. orig.*

Et certè omninò erat conveniens, hanc à Deo gratiam Mariæ concedi: ſic bonitas ejus, ſic infinita miſericordia exigebat. *Cum Deo haud fuerit impoſſibile Beatam Virginem ab originali culpa præſervaſſe, congruit bonitati ejus, & maximè decuit hoc ipſum peregiſſe.* Thomas ab Argentina. *Thom. ab Argent. 3. d. 3. a. 1. in reſolut.*

Habet lex Imperialis & præcipit, quod *plures eandem rem in ſolidum poſſidere non poſſunt: contra naturam quippe eſt, ut cum aliquid ego teneam, tu quoque id tenere videaris.* Et quis neſciebat, quod Deus ab inſtanti Conceptionis *L. Poſſid. §. ex cont. ff. acquir. vel am. poſſeſſ.*

Virgi-

Virginem poſſederit? *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Ergo ab hoſte infernali non poterat poſſideri.

*Prov. 8.*

S. Anſelmus aſſerit, quod *decens erat, ut eâ puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi, Virgo illaniteret.* Quod verificari non poterat, ſi hujuſmodi maculam aliquam contraxiſſet.

*D. Anſel. de Concept. Virg. 18.*

Si (quod ſcripſit Angelicus Doctor) Adam & Eva fuerint creati in gratiâ, & ſine aliquâ macula peccati, decuit ergo Deiparam, cui majora privilegia conceſſa ſunt, plus gratiæ, quam omnibus ſimul creaturis, non privari eo, quod aliis à Deo gratioſè eſt conceſſum.

*D. Th. 1. p. q. 95. art. 1.*

Et ſi, uti ipſemet judicat, *in Beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit*: ſi imperfectionem hujuſmodi contraxiſſet & defectum, qui ex ſe abominabilis eſt & deformis valdè, quomodònam verificabit, quod *omne illud quod perfectionis fuit, in ea debuit apparere?*

*D. Th. in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1.*

Nemó igitur veſtrum NN. dubitet, ſed ut certiſſimum teneat, quod *omnem nævum tam originalis quã actualis culpæ, in ea Dominus delevit.*

*Ivo Carnot. ſer. de Nat. Dom.*

Et hæc eſt gratia ſingularis ſoli Mariæ conceſſa. *Si dicatur quod Diva Virgo non habuit peccatum originale, licet proceſſerit ab Adam ſecundum rationem ſeminalem, dicendum eſt, quod ipſa ſola ſpeciali gratiâ præventa fuit, & præſervata, eò quòd fuit prævisa eſſe Mater, & Domus Dei.*

*Io. Vig. lib. inſtit. c. 28. §. 6.*

Unde Fulbertus Epiſcopus illam quotidiè ſalutabat. *Ave Maria electa, & inſignis inter filias, quæ immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ Conceptionis, quia paritura eras Creatorem totius Sanctitatis.*

*Fulbert. Ep. apud Carthag. l. 1. hom. 19.*

Et quomodo talis non eſſet ea, de qua aliquorum tam pia eſt opinio? *Beata Virgo elegiſſet potius eſſe In inferno, quàm offenſam Dei incurrere per peccatum originale.*

*D. Th. in 1. diſt. 449.*

Cum jam ad finem pertigerim, pro concluſione diſcurſus mei erit doctrina Sancti Thomæ. *Puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquod creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit.* Obſervandum quod ſequitur: *Et talis fuit puritas Beatæ Virginis quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.*

*I a. 3. apud Ægid. Luſitan. l. 3. de præſ. B V. M. q. I a. 1. §. 2. & apud and. Pont. Ramire de Concept. B. V. M. fol. 89. n. 41.*

Fantinus Epiſcopus Paduanus, mirari non deſinens quomodo D. Thomas, Conceptionem D. Virginis non fuiſſe immaculatam, docere potuiſſet, ab ipſomet S. Doctore apparente informatur, veram opinionem intelligendo. *Scias Epiſcope, quod quando talem opinionem poſui, ſolum habui reſpectum ad Divinum ſtatutum quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, niſi per Filium ſuum fuiſſet præſervata. Sed Dei Filius Matrem ſuam ab originali macula præſervavit.*

*exam. text. D. Thom. Apud Bernard. de Buſt ſerm. 7. de Conc. B V. M.*

Denique ipſamet Virgo S. Brigitæ dignata eſt revelare: *Veritas eſt, quod ego concepta fui ſine peccato originali.*

*3. Brig. l. 6. c. 49. in revelat.*

Neque aliud dicendum reſtat, quàm ut ſuppliciter obſecremus Advocatam noſtram & protectricem Mariam, ut, ſicut illam Deus ab originali macula præſervavit, ita ab omni peccato actuali nos liberet, ut in puritate cordis & fervore ſpiritûs, illi ſerviamus in terris, ac tandem perfruamur in cœlis.

---

# DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

## ARGUMENTUM.

Miſera eſt & calamitoſa avari hominis conditio: Effrænata habendi cupiditas peſtiferum malum. Alia vitia plurimos, inſana divitiarum vota ſubjugavêre univerſos.

## THEMA.

*Miſerunt ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum.* S. Joann. cap. 1.

NOn eſt, Auditores, in ampliſſimo vitæ hujus mortalis theatro infenſior animæ hoſtis, neque monſtrum hominibus inſidians terribilius eo, quod in Evangelio hodierno figuratur,

Aquilo eſt impetuoſiſſimus, qui ex inferni intimis prorumpens meatibus, virtutum ædificia, etiam ſolidiſſima evertit: mare procelloſum, voluntatis humanæ flectens armatam navim, & ſubmergens: hydra formidabilis, quot habens capita, tot pravas excitans concupiſcentias: Siren, dulciſſimâ vocis modulatione homines & ditiſſimos & ſapientiſſimos incantans ac perdens: Lupa vorax, ſemper famelica, mille ſtimulata cupiditatibus, nunquam ſatiabilis: Tigris feriſſima, quot in pelle notata maculis, tot in corde mota libidinibus: profunda vorago divitias ſæculi inceſſanter abſorbens: ignis rapidiſſimus, qui in fornace cordis accenditur non alio combuſtibili, quàm bonis alienis: Harpyia edaciſſima, tentans aviditate inſatiabili deglutire etiam illa, quæ à fortuna aliis ſunt conceſſa. Capitis (NN) quid velim? De effrænata cupiditate, de avaritia loquor. Illa, illa eſt omnium ſcelerum origo, ſeminarium diſcordiæ, infernus animæ & (ut cum D. Gregor. loquar) *cui cupiditas dominari dicitur, ſubjectus malis omnibus demonſtratur.* Sic illam S. Petrus Chryſologus depinxit: *Omnium malorum radix eſt cupiditas, trangreſſionis mater, magiſtra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, ſicaria virtutum, ſeditionis origo, fovea ſcandalorum.* Equidem ex inferno nunquam horribilius monſtrum, numquam graviorem furiam & peſtem animæ excitavit Lucifer: ſiquidem, teſtante S. Valeriano, (nihil eſt maiorum, quod non cupiditas aut concipiat aut pariat, aut paſcat, aut nutriat) Ex hoc enim fomite videmus pullulare odiorum cauſas, hinc evenire pugnas, hinc fraternas acies inſtrui, hinc amicitiarum fœdera diſſipari. Hâc cupiditate allecti Sacerdotes & Levitæ, ad Joannem acceſſerunt, mercedem ſperantes, quia Prophetam eſſe credebant, aut Eliam, aut Meſſiam quaſi ſic alloquendo: *Dic nobis, quæſumus an ſis Meſſias? nam te magna cum pompa ad urbem adducemus. Quid ita? ſperabant enim fore ut eos Rabbinos crearet. At ſtatim ac eum non eſſe Meſſiam audiunt, & nihil ſe ſperare poſſe intelligunt*, obſervate cupiditatis malum) *iracundè, & aſperè dicunt: Si tu non es Elias, neque Propheta, neque Meſſias, quare ergo baptizas?* O maledicta cupiditas! Nihil tam deſtabile, tamque peſtiferum, quàm illi, quos hoc malum gravat: communis tamen hic omnibus dolor eſt, ut ex diſcurſu patebit.

*D. Greg. Papa l. 15. moral.*
*D. Petr. Chryſolog.*
*D. Valer. Epiſc. hom. 20. de avar.*
*Diez in Dom. 3. Advent. con. 2.*

Interim ſi non diſpliceat de graviſſimâ hâc lue audire dicentem, gratis auribus accipite non prolixè, ſed breviter faciam.

## PARS PRIMA.

IN cupiditatis ſchola, tritum eſt, neque aliud conjugatur quàm *Accipio, accipis* In cupidorum ſacello communis hæc eſt muſica *Rapio, rapis:* neque ibi reſonat, niſi argentea fides. In tribunalibus jam ſcriptum non legitur, niſi litteris ſit aureis, & quidem non niſi cupiditatis perſpicilio vel ſemel videaut. Verè ab Italis dictum, *Un martello d'oro ſpezza una porta di ferro.* Portam etiam ferream malleus ex auro perfregerit.

*Omnem aperit portam, qui ſemper munera portat.*

*Nihil clauſum conſtat, quod auro argentoque non pateat: nihil eſt occultum, quod non pecuniâ indagante, ſit cognitum.* Cupidis hominibus, avaris, inquam, paratâ pecuniâ nihil eſt gratius: Mercurii inſtar volantis, ſemper inquieti ſunt, mira in aere fabricant nil niſi de lucro ſomniantes. In primis Grammaticæ rudimentis nihil didicerunt Ablativo charius, à Dativo maximè abhorrentes. A Mercurii fiſtulâ dormitabat Argus: at verò argenti & auri ſono cupiditas excitat, teneique ſolicitos, non ſecus ac ſaxum vigiles grues. Eò trahit omne illorum ſtudium & in aurifodinis cor ſepultum jacet.

*D. Valer. Epiſc. Clemel. hom. 20.*

Ubi cupiditas regnat, corrupta eſt integritas, perdita fides, pax turbata, & ſilent leges.

*Pudor per aurum ſolvitur:*
*Violantur auro integritas,*
*Pax occidit, fides perit,*
*Leges & ipſa intercidunt*

*Prudent. hym. 3. peris. v. 179.*

Neque aliter de Cupiditate ſenſit in ſuo itinerario Rutilius, cùm ait.

*Aurea legitimas expugnant munera tædas,*
*Virgineoſque ſinus aureus imber emit.*
*Auro victa fides munitas decipit urbes;*
*Auri flagitiis ambitus ipſe perit.*

*Rutil. Itiner. 1. v. 356.*

In Græciâ (ſi Polybio narranti credimus) diſcordiarum origo cupiditas fuit & fomes: at verò hâc à Lycurgo eradicatâ nulla teſtitit diſſenſio. Tarpeia Spurii filia ſtimulatâ cupiditate monilis aurei, quod in ſiniſtra Sabini gerebant, Capitolium prodidit. *Auri & argenti cupiditate, Sabinis tradidit Capitolium.*

*Polyb. l. 6. hiſt. c. 44.*
*Ovid. Metam. 14.*
*Livius l. 1. c. 11. & Plutarch. in vita Romuli.*

Tanta Pauſaniæ cupiditas fuit, ut pro decem talentis ex pacto & convento Spartas Xerxi tradere non puderet. Quare indignatus pater, odio concepto ſævire cœpit, fame extinguens filium quem & ob eam perfidiam ſepulturâ indignum mater æſtimavit.

Num-

Numquid Darium aviditas eò adegit, ut etiam in defunctorum monumentis theſauros quæreret? Meritò proinde in inſcriptione detecta irriſus eſt & confuſus: *Niſi malus fuiſſes homo, & pecuniæ inſatiabilis, numquam janè loculos mortuorum invaſiſſes.*

*Plutarch. in Apophthegm. p. 373. Plutarch. ibid.*

Antipater olim gloriabatur amicos habere, quorum unus oblata munera recuſaret, & alter muneribus aſſiduò cumularet. An non Pygmalion Rex Tyri, cum animum ad Sichæi patruelis ſui opes appulit, illum ſpe potiundi auri clam & dolo interemit? Quare cadaver Hectoris Priamo Achilles vendidit? Et Arimaſpi Scythiæ Europeæ Populi cum Gryphis auri cuſtodibus continuò præliantur, vitam pro auro acquirendo exponentes. Numquid auri cupiditas Valerium Roſcium inſtigavit, ut Soceri filium occideret propriis manibus ipſe, cujus erat curæ commiſſus? De Flavio Veſpaſiano quid dicam? Sola eſt, in qua meritò culpetur, pecuniæ cupiditas: non enim contentus omiſſa ſub Galbo vectigalia revocaſſe, nova & gravia addidiſſe, auxiſſe tributa Provinciis nonnullis & duplicaſſe: negotiationes quoque vel privato pudendas propalam exercuit, coemendo quædam tantum, ut pluris poſteà diſtraheret; nec candidatis quidem honores, reiſque tam innoxiis quàm nocentibus abſolutiones venditare cunctatus eſt: creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promovere, quò locupletiores mox condemnaret; *nec* (ut verbis utar Suetonii) *eum puduit vectigalia ex urina colligere.*

*Virgil. l. 1. Æneid.*

*Joann. Raviſ. de illiber. avar.*

*Plutarch.*

*Suetonius de Cæſar. l. 8. n. 18.*

Saletanus aliquis (Martialis refert) maximo perfundebatur interiùs gaudio, quod uxor demortua eſſet, ipſeque jam ſolus dotis poſſeſſor. O quot hodie reperiuntur hujuſmodi viri, qui defuncta conjuges oculo lugent, corde rident & jubilant! exteriùs lachrymas profundunt, interiùs lætitiâ abundant!

*Martialis.*

Iſti, quid aliud intendunt, præter opes, & in his quietem? Falluntur, ſi aliud, quam, quod à naturâ, centrum exquirunt: ſolicitudinem inveniunt, non requiem. Unde à D. Chryſoſtomo audiant: *Omni Tyranno gravior eſt pecuniarum cupiditas: nullam enim voluptatem habet, ſed curam, invidiam, inſidias, odia, calumnias & innumera virtutis impedimenta.*

*D. Chryſ. in Joan. 10. hom. 59.*

Commodis ſtudent quâcunque poſſunt viâ etiam contrà quam fas ſit: non illos pudor, non verecundia à cupiditate revocârit: hanc enim ad legem ſe dirigunt: *Modus non curatur, dummodo effectus habeatur.* More cameli agunt, inclinantis & procumbentis donec accipiat: humiliant ſe, & quaſi idololatræ fierent donec accipiant: Honores tibi exhibent. Scis quare? *Honorant medicum propter neceſſitatem.* Filii Jacob in Ægyptum ibant, & ingreſſi Pharaonis aulam, ubi erat Joſeph Pro-Rex, quem antè vendiderant Iſmaelitis, obtentâ veniâ acceſſerunt ſupplices, *incurvaverunt ſe, adoraverunt proni in terram*, & verbis obſequia addixerunt. *Servi tui ſumus*. Quorſum tandem (NN) aut cur ita humilis & ſupplex precatio? dixiſſent, filios eſſe Jacob, qui in tertiâ Canaan cum primis notus, honore & nomine illuſtris; altiore eos animo eſſe oportuit, nec ita ſtatim ſubmiſſo atque humili coram extraneis. O maledicta cupiditas! annonâ jam ingraveſcente, inopia rei frumentariæ & fames premebat: Saccis venerant vacuis, repleri cupiebant, adeoque lubenter hæc, etiam plura feciſſent *donec accipiant: quoniam videbant ſe illius ope indigere.*

*L. Si mater c. de juſt. & ſubſtit.*

*Gen. 43.*

*Hieron. ab Oleaſtr. ibid.*

In Paginâ ſacrâ obſervatum eſt: quos cupiditas iſta inordinata accendit, cæcos & ſurdos reddit, ſic ut ſub jugo ejus ſudantes non audiant neque videant. Rex Balac, animadvertens quod Dei exercitum ſubjugare armis non poſſet, ſubdolè maledictis tentat. Quamobrem legatos duos ad Prophetam Balaam deſtinat, ut ex parte Regis ille ad exercitum pergat & acriter maledicat: ſi vero recuſat, muneribus, inquit, allicite, atque ita movete. *Paratus eſt Rex noſter honorare te*, vel, quod legit Oleaſter, *ditare te.* Illic, dum fictè & ſimulatè multoties abnuiſſet, iturum promittit: poſtridiè manè ingreſſurus iter, jumentum ſtravit, aſcendit, & civitatem egreditur, cùm ecce obviam Angelus in platea ſtricto gladio jumentum abſterret nè quaquaversùm progrediatur. Atque ego hìc miror: inquiramus, ſi placet, quomodò aſina potuerit ſpiritum intueri, aut quomodò Balaam formâ humanâ occurrentem potuerit ignorare. Si Angelus ſpeciem aſſumpſit humanam, quomodò Propheta non vidit? aut ſi non aſſumpſit, quomodò reſpexit aſina? huic rei reſponſum D. Ambroſius dedit, ubi ſic ait. *Aſina Angelum Dei vidit, quem homo videre non potuit.* Muneris promiſſi deſiderio æſtuabat, neque aliquid cogitabat magis quàm ut Regale donum conſequeretur; quod voluntas non advertit, oculus id non videt: non igitur mirum; *Angelum non videt, quia Regio muneri intentus erat.*

*Num. 22.*

*Oleaſtr. ibid.*

*D. Ambr. l. 9. in Luc. 19.*

Quid

Quid prætereà? Prophetam orbaverat viſu, & ſpoliat auditu. Quis mecum hic (NN) non obſtupeſcat? aſinam iteratò percutit Balaam, ad ſemitam reducturus: at illa percuſſionis impatiens recalcitravit, atque ingemiſcens more humano locuta eſt: *Cur me percutis?* Quid ergo? *Num. 21.* Cæcus es, neque Angelum vides impedientem, ne progrediar; ad aſinæ vocem quaſi humanam Balaam non movetur, ne vel ſignum admirationis dat, vel ſtuporis. Verùm fatebor (NN) ſi per urbem venienti obviam fieret aſina & me ita alloqueretur: Salve, mi Pater Concionator, Deus tecum ſit, non ſolùm ſtupore conſternarer, ſed refugeret ſanguis metu, & exanimarer: nec tamen plus Propheta movetur, quàm ſi ita loqui proprium aſinæ foret, ac homini.

Nil mirum eſt, inquit S. Auguſtinus, Legatorum namque verba, *Paratus eſt Rex noſter honorare te,* aures ipſi obturarant: ſurdus erat, nec aſinam audire loquentem poterat. S. P. Augu- *S. Auguſt. in quæſt. ſuper Num.* ſtini Doctrinam audiamus. *Balaam nullum ſignum admirationis oſtendit videns aſinam loquentem. Cur non obſtupuit, & de facultate loquendi, aſinam non interrogavit?* Ut quid non dixit? Ex quo tempore aſini loquuntur? Unde hoc habent, aut didicerunt? S. Auguſtinus reſpondet: *Tantâ cupiditate ferebatur, ut nec tanti monſtri miraculo terreretur. Hinc igitur conſtat quanta ſit vis avaritiæ ad obcæcandam mentem: ſiquidem nec miraculum tantum, & prodigium potuit oculos aperire, quos clauſerat avaritia.*

Aliud hìc notatu dignum obſervo. Vidit Balaam, quòd jumentum non pergeret: iratus baculo adegit. Aſina ad herum convertens, lamentata eſt: *Cur me percutis?* Balaam magis iratus, *Num. 22.* in caput involat pugnis & minis. O quòd mihi enſis ad manum non eſt! (inquit) aliter tibi cederet, jamjam hiſce manibus te occiderem. *Utinam haberem gladium, ut interficerem te!* Ubi verò aſina advertit de pelle nunc agi, neque verbis poſſe averti malum: aliâ (intra ſe ait) tentandum eſt viâ, & Rethoricâ hìc opus, video, ne pelli malè cedat, adeoque cùm dixerat: *Cur me percutis?* & fruſtrà dixiſſe perciperet, addidit: *Animal tuum ſum.* q. d. Domine mi, attende, quid agis? Excoriari me, nec tibi, nec mihi proderit, imò damnum tuum erit; quia ſi pellem ego, tu aſinam perdes, undè commodum tuum & utilitas eſſe ſolebat, atque ſic lucrum tibi ceſſabit, quia interficiar ego, & damnum emerget, adeoque tum nummi exponendi erunt, ut de alio jumento tibi proviſum ſit, ne alioquin pedes ire cogereris. Balaam de damno incurrendo intelligens, ſtatim propoſitum mutat, ſic ut de occiſione nedum non cogitet, ſed deinceps & à verberibus ceſſet. Agedum mea beſtia induſtriè à te factum & ingenioſè hoc adinventum eſt, pareo lubens, neque impoſterum laceſſam. O maledicta cupiditas! O avare nimis Balaam! quò dementiæ aviditas te propellit? Alliſionibus non moveris, ſcopulos non curas, neque Divini furoris imminentem tempeſtatem formidas, dummodò ad cupiditatis portum attingas, & promiſſa munera conſequaris.

Lego non abſimile, quod Cyro evenit. Vicerat ille Crœſum Lydorum Regem, & civitate jam captâ, interrogatus quid facerent milites, arroganter Cyrus reſpondit: Civitatem tuam depopulabuntur & deſtruent: quinimò tuam potiùs, ait Crœſus: non enim amplius meam reputo, quam armis tuam feciſti. Tunc Cyrus videns ſuum eſſe, quod diſperdebant, ilicò juſſit ut deſiſterent. *Reparò el barbaro, y mandò ceſſar el deſtraco, y parar, el ſaco, luego que miro la Ciudad conojo de ſuya.* Ita Pater Vega. *Vega in Pſ 6. v. 2. diſ. 1. n. 14.*

Adeò hominem excæcavit cupiditas, ut nec proprii ſanguinis damnum videat avertendum. Filii Jacob odium diuturnum ſaturare cupientes, quod in fratrem ſuum Joſeph jam inveteratum habebant, ideò ſolùm, quòd ſomnium vidiſſe, illis præſentibus, diceret: *Vidi per ſomnium Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me,* *Gen. 37.* in agris ſolitarium aggrediuntur. *Ecce ſomniator venit? venite, occidamus eum.* Ruben adeſtat, & fraterno affectu commotus, conſilium divertit. *Manus veſtras ſervate innoxias.* Ciſternam vident, & fratrem injicere cogitant, ut fame illic periret. *Projicite eum in ciſternam hanc.* Judas viſcerum teneritudinem pariter ſentiens, etiam de ciſterna liberare conatur *Quid nobis proderit, ſi occiderimus fratrem noſtrum?* Meo quidem conſilio, nil expedit magis. Ecce jam adeſunt Iſmaelitæ? num velint emere videamus. *Meliùs eſt ut venumdetur Iſmaelitis.* Dicit hic ſacer Textus, ne vel unum Judæ contradixiſſe. *Acquieverunt omnes ſermonibus iſtis.* Mirum eſt: cum de occidendo agebatur, aut mittendo in ciſternam, patronos habet qui defendant: at cùm de vendendo concluditur, nemo muſſitat, tacent omnes & conſentiunt. Incredibile eſt, quantum à verbis Judæ pondus acceſſerit ad tollendam dubitationem. Si occiderimus, aut ſi in ciſternam projecerimus, *quid nobis proderit?* Quæ erit inde utilitas aut commodum? Non, non fiat hoc:

Iſmaelitis

Iſmaelitis venumdari præſtat: denarios inter nos partiemur, & quilibet partem accipiet. *Acquieverunt omnes ſermonibus iſtis.* Si ita erit, per nos licet. Qui hìc contradixiſſet, commodo ſuo & lucro detraxiſſet. Ah fratres inſenſati! itanè vos invidia ſtimulat & turbat, ut non recordemini quia ſic facientes, patrem veſtrum contriſtabitis, Deum Optimum Maximum offendetis? Fratrem vendere, proprio ſanguine nummos mercari, inveniri quid poſſit, aut enormius excogitari? Quid? ergò delicti gravitatem non apprehenditis? nihil hic minus, nec mirum, cæcati enim ſunt, teſtatur Sanctus Author. *Sic proprii lucri cupiditas cæcavit mentes eorum, ſic corda depreſſit, ut non offenſam Dei, non ſancti Patris dolorē, non proprii ſanguinis ſenſum meminiſſe permiſerit.*

*D.Petr. Chryſol. Serm.29.*

Cavete, fratres, ne hujuſmodi homines, qui omnia in lucris cumulandis ponunt, vel leviter quidem lædatis, injuriam etiamſi minimam inferendo, quia noxam hanc numquam ignoſcent, neque reparabitis, quamvis etiam ſanguinem & vitam profunderetis. Judas erroris commiſſi & proditionis Domini ſui memor, burſam cum denariis accepit, & priuſquam laqueo ſe ſuſpenderet, *projecit pecuniam in templo.* Poſſitne (NN.) dicere veſtrum aliquis, quot fuerint denarii? etiam Pater: erant triginta: *Reliquit triginta argenteos.* Pulcherrimè hic D. Chryſoſtomus proponit, & rem præſentem ponderat. Ut quid Dominum Judas vendidit triginta argenteis? Cur non quadraginta petivit, aut certè etiam plus vel minus? Judam ſic caſu feciſſe, nemo credat.

*Matth. 27.*

Ad Evangelium Marci tranſitum faciamus, ubi Chriſtum reperiemus *in domo Simonis leproſi.* Cum ad menſam conſiſteret, & Maria Magdalena adeſt, vas habens ex alabaſtro plenum unguento pretioſo, at Judas, ubi illam Magiſtri cæleſtis caput ungentem vidit, oblocutus eſt: *Vt quid perditio hæc? Poterat unguentum iſtud venumdari plus quàm trecentis denariis, & dari pauperibus.* q. d. Quis non moveatur animo hoc videns? non peccato eum liberem, qui ſic ungentum peſſumdat: vendidiſſet potiùs, & denarios accepiſſet; ſi Magiſter ita mihi, utpotè procuratori ac œconomo præcepiſſet, induſtriè egiſſem, & vel trecentis denariis vendidiſſem. Audite quid Chryſoſt. hic obſervet, & quàm benè. Hoc inter cætera unum maximè Judas curabat: eorum omnium quæ pro Chriſto recipiebat, emebat, aut diſtrahebat, decimum ſibi denarium retinebat *De quolibet numero centenario decimam partem ſibi erogabat.* Quod & Jacobus de Voragine declarat his verbis: *Omnium quæ Chriſto dabantur, decimam partem furabatur.* Centeſimum obſervabat, & pro ſingulis centenis decem denarios continuo fœnore ſubtrahebat. Undè exiſtimans, quia unguentum trecentis denariis eſſet valiturum, ex illo vendito triginta ſe habiturum ſperabat. Hoc ergo ſibi à Salvatore damnum illatum credebat, adeoque triginta denarios recuperandos, quâcumque etiam viâ. Quid faceret? Mira quædam excogitabat genera furandi, & tandem prodendo Dominum, fore compenſatum perſuadebat. * Dolens Judas, tempore Dominicæ Paſſionis quòd unguentum, quod trecentos denarios valebat, non fuerat venditum, ut illos etiam denarios furaretur, abiit, & Dominum triginta argenteis vendidit, quorum unuſquiſque valebat decem denarios uſuales: & ita damnum trecentorum denariorum recompenſavit. Apud Authores, triginta illi denarii noſtro hoc ævo triginta ducatos conficerent: & triginta iſti, quibus unguentum venumdari voluiſſet, triginta juliis jam valerent. Judas itaque videns, quod trecentos perdidiſſet, causâ quidem Salvatoris, illum triginta ducatis ſeu juliis vendidit, *& ita damnum trecentorum denariorum recompenſavit.* Rem omnem D. Chryſoſt. ita confirmat: *Præmiſſa eſt cauſa, quæ compulit Iudam ad vendendum Dominum: cùm enim fur eſſet, & vidiſſet unguentum ſuper caput & ſuper pedes Domini effuſum quod putaverat eſſe vendendum, & pretium ſibi eſſe tradendum, ut aliquid inde furaretur, quod perdiderat in effuſione unguenti.* Quid igitur? *Voluit recompenſare in venditione Magiſtri.* Nil dici poſſit meliùs. Unde etiã ſic Cajetanus: *Inde occaſionem ſumpſit vendendi Ieſũ.*

*Marc.14.*

*Marc. ibid.*

*D.Chryſ. Iacob. de Vorag in vita S. Matthiæ.*

** Iacob. de Vorag. ubi ſupra.*

*D.Chryſoſt. quem citat. Lyranus in Gloſſa ordi ibid.*

*Cajetanus in Ioan. 11.*

Audite, quod mirandum ſit magis. Aliquem ſcio qui fuit avaritiâ tam ardenti, tam effrænatis cupiditatibus, ut propterea Chriſtianus eſſe deſierit, fidem negarit & ipſummet Deum. Teſtis mihi eſt Tertullianus doctiſſimus Author & fide dignus, qui aſſerit: *Pilatus pro ſua conſcientia Chriſtianus.* Non enim ſolùm intendit baptizatum fuiſſe, quemadmodũ omnes nos, ſed & in profeſſione veræ fidei obſervatorem legis Chriſti, cujus ſanctitatem venerabatur, & miraculis fidem habebat. Sunt qui dicant quod & ipſe *erat diſcipulus occultus* ſicut Necodemus, Joſeph ab Arimathia, atque alii plures. Et nos ſcimus, quibus illum mediis à morte conatus ſit liberare. *Non invenio* (inquit) *cauſam in hoc homine.* Et cum inſtante jam Paſchate, abſolvendi

*Tertull. citatus à Chriſtophoro Avend.*

*Idem ubi ſupra. Luc.13.*

reum unum occaſio daretur & electio, Chriſtum
Hebræis proponit, ut commiſerationem prome-
Matt. 27. reatur, *quem vultis vobis de duobus dimitti?* Videns
autem, quia ad miſericordiam commovere non
poſſet, ſic concluſit: *Emendatum ergo illum dimit-*
Luc. 23. *tam*, Obſtinatiores fiunt & ad mortem urgent.
*Crucifigatur.* E contra Pilatus: Non facilè ſenten-
tiam dixero, quia ſine maxima mea culpa non
Marc. 15. fieret. Deus in me ulciſceretur, & homines: ad
alium veniatis, alioquin non condeſcendam ne-
que etiam poſſim aut velim. Satis ſigni habetis,
Matt. 27. me nil facturum: manus lavo, & vos, quotquot
hic præſentes, obteſtor, quia *innocens ego ſum à*
*ſanguine juſti hujus.* Cum jam ab Hebræis de-
ſperata res eſſet, neque viderent modum quo
Pilatum flecterent, denuò maligni ſatrapæ con-
veniunt? ſed Pilatus audire negat: Scio, in-
quit, ſcio quid prætendatis: non eſt quod ſpe-
retis, numquam faciam, aut certè potius aliud à
me petatis. *Inſtitit enim* (loquitur S. Auguſtin)
S. Auguſt. in pſ. 36. v. 2. *quantum potuit, ut illum ex eorum manibus li-*
*beraret.* Tandem illorum convictus precibus
& moleſtiis, iterum acceſſum permittit & al-
loquium. Quid de novo adfertis. Uno verbo
Ioan. 19. dicemus, ſed in aurem. *Si hunc dimittis, non es*
*amicus Cæſaris.* Perdam ego amicitiam Cæſaris:
(ſuſpirat Pilatus, grave hoc punctum eſt & ma-
Fr. Tolet. hic. ximæ conſiderationis. *Timorem Pilato gravem*
*incutiunt.* Si mecum Cæſar non eſt in gratia,
maximo meo incommodo detrimentoque erit,
Gratiam perdidero? Heu me, Pilate, miſerum!
Dignitatem auferet & officium, atque (quod
maximi ponderis eſt) non accipiam deinceps
munera illa regalia, quæ indies hactenus ſole-
bam. Verbo dictum, mihi commodum nullum
erit. Quid facio? Patiendum hoc, Chriſte, tibi eſt,
conatus ſum abſolvere omni quo poteram mo-
do, condemnare jam cogor. Pereat anima, pereat
fides, pereant omnia: imò etiamſi dereliquendus
ſit Deus, nil horum curo, ſi modò ſalvum mihi
ſit commodum. O vos viri, quàm benè commo-
Ioan. 19. do meo conſulitis; gratum eſt. *Cum audiſſet Pi-*
*latus hos ſermones* Quando de commodo ageba-
tur, & cupiditatis ſtimulos ſenſit, *tunc ergo tra-*
*didit eis illum, ut crucifigeretur.* O Pilate, quan-
ta eſt illa iniquitas! Quid? Juſtitiam iniquiſſi-
mus ipſe condemnas? an non ſine cauſa? ita fuſ-
ſus es ſtatim, cum innocentem dixiſti, & verè.
Nunquid ergo ejus Diſcipulus occultus es? Nun-
quid miracula vidiſti & credebas? Ubi jam Fi-
Toletus. des, & Chriſtiani nomen? *Succumbit Pilatus*
*huic oppoſitioni*: (dicit Toletus) *plus potuerunt*
*ſermones hi de Cæſare apud illum, quam illi quos*
*etiam audierat, & timuerat, quod Filius Dei eſſet.* Card. ubi ſupra.
O maledicta cupiditas! quò non hominem co-
gis? Sanctus Gregorius ſubſcribit: *Idcirco in Re-*
*demptoris mortem conſentit, quia oblationum lu-* L. Nemo ff. de reg. juris.
*cra amittere formidabat.* Lege quidem expreſſa
decretum eſt: *Nemo poteſt mutare ſententiam in*
*alterius injuriam.* Aliter tamen cupiditatis præ-
ceptum exegit, & fortiùs obligavit.

At mecum ipſe jam cogito, an mulieres et-
iam, ut viros dixi, cupiditatis ſitis incendat &
excitet. Verum quidem, non ſic adverti: ſi tamen
auditionibus credam, hoc vitio æquè mulieres
ac viri laborant. Sed quia *facta non præſumuntur* C. cum in jure de off. del. c. cum 10. de fide inſtru. Ioſeph poſſ. de defectibus femin.
*niſi probentur*, ex multis eventibus demonſtrabo.
Sophia Juſtiniani Imperatoris conjux *in aſpici-*
*endis nummis à ſe conſervatis vehementer delecta-*
*batur, in expendendis tamen pecuniis nimium*
*contriſtabatur.* Eriphyle eâ fuit cupiditate, ut
cùm monile vidiſſet ex auro (ut opinor) & gem-
mis à collo Adraſti Regis Argivorum dependens, Ioan Raviſ. in officin. f. 265.
pulchritudine ejus accenſa, Amphiaraum ma-
ritum latentem, ne ad bellum Thebanum, ubi
ſe moriturum ab Oraculo ſciebat, proficiſce.e-
tur, Polynici prodidit.

Hanc legem populus Romanus ſancivit, ut,
cùm cives deſtinabantur ad quaſdam regendas
Provincias, uxores minimè ad eas proficiſci poſ-
ſent (Obſervate rationem) *ne inſatiabili ſua ar-* L. Obſervare §. proficiſci de offic. pro.
*genti cupiditate illis ſuis divitiis expoliantes depau-*
*peraſcerent.* Demonica Epheſia mulier eo tem-
pore quo Galli Senones omnem Europam infe- Plutar. in Paral.
ſtabant, cupiditate auri oblati capta, Brenno ho-
ſtium Duci Epheſum nonue prodidit?

Ad ſacra & noſtra exempla tutiùs tranſeo.
Lazarus in febrim inciderat aſſiduam & ſatis
moleſtam: Medicus adducitur & ex tactu pul-
ſûs, gravitatem morbi indicat: ſperare tamen
facit, & ſolatur his verbis: animo bono ſis, mi
Lazare, à catarrho infirmitas tua & ab alte-
ratione febris erit, nec aliud malum. *His qui* Hippocr. Aphor. 27. lib 7.
*ob juſtam cauſam non leviùs ſe habent, non o-*
*portet fidere, neque multum formidare mala,*
*quæ præter rationem eveniunt, talium enim mul-*
*ta ſtabilia non ſunt, neque multum durare, &*
*permanere conſuevêre.* Alacrem eſſe oportet
& erectum, veſperi reviſam. Et vos puellæ,
nonne infirmi Sorores eſtis? Infirmitas gravis
eſt, periculoſa, ut video, & anceps curatio,
certa mortis indicia, labra ſunt livida, ungues Hippocr. Aphor. 12. & 14. l. 8.
nigri, & frigidi pedes. *Facies eſt Hippocratica*
*& tornatilis, mortem proximam eſſe portendunt.*

Quanto,

Quanto, putatis, in dolore ſorores ſunt vel mœrore potius, quem accipiunt ex infirmitate intolerabili Fratris ſui chariſſimi, De mutando Medico cogitant, litteras ad Salvatorem expediunt, ſupplicando, ut in Bethaniam dignaretur accedere, Fratrem infirmum curaturus. Cum autem ambæ ſorores ægrotantis (ait Nonnus Panopolitanus) vidiſſent Fratrem membrivoro flagello tabefactum, vicinum morti, commune verbum præmiſerunt ad Regem depulſorem malorum: Lazarus, quem amas, torquetur ardenti morbo: quem amas, viſita. Literas Salvator accepit, Lazarum graviter ægrotare intellexit, & licet in morâ fore periculum noſſet, non tamen ideò feſtinavit, ſic ut intereà mortuus ſit Lazarus & ſepultus. Cum in Bethaniam veniret jam Chriſtus, lugebant ſorores & gemebant, dolentes valdè fratrem extinctum, quòd Chriſtus tempore opportuno non adveniſſet. At ille addens animos, nil eſt, inquit, quod formidetis: dicite modò *ubi poſuiſtis eum? Veni* (inquiunt] *& vide:* non enim reſuſcitaturum credebant. Ubi verò audiunt dicentem: *Tollite lapidem*, muſſare cœperunt: Lazarum hac vice, niſi obſtemus reſuſcitabit. *Domine jam fœtet, quadriduanus eſt.* A ſepulchro hoc Domine cavendum eſt: putridus & malus odor eſt. Et quid mirum? jam à quatriduo vitam naturæ reddidit, Et ita mille injiciebant remoras, ne vivis iterum daret. Hic hærendum eſt & attentiùs factum hoc expendendum. Quando Lazarus infirmabatur, ſorores omni modo conatæ ſunt à morbo revelare: dolebant, plangebant & ejulabant, nil niſi fratris convaleſcentiam avidiſſimè expetentes. Et modò, cum Chriſtus adeſt, majorem gratiam præſtiturus, nempe mortuum reſtituendo, omnem movent lapidem miraculum impedire conantes. Ut quid ita?

*Nonnus Panop. T. 6. Biblioth. vet. PP.*

Huc Juriſperiti, adeſte, veſtrum conſilium eſt, ut ſententiam hic dicamus. Caſum ſic ponimus. Teſtamento facto quiſpiam moritur, ad conſanguineos hæreditas venit, tribus poſt diebus aut quatuor reviviſcit: Teſtamentum valebit, an non? Redivivo liberum erit redire ad hæreditatem ſuis relictam?

Reſponſio communis ea eſt, teſtamenti factionem nullam eſſe, adeoque ab hæredibus reſtituenda bona teſtamento relicta. Terminis utar Conſultiſſimi Julii Clari: *Pulchra quæſtio, ſed de rarò contingentibus. Si tamen contingeret, prout in Lazaro, quem Dominus à mortuis ſuſcitavit, tenendum eſt quod Lazarus à mortuis reſurgens, hæreditatem ſuam de jure recuperaverit & rupèrit teſtamentum: non enim videtur mortuus qui tam cito revixit* Lazarus teſtamentum fecit, jure quidem legitimo & uſu recepto: Magdalenæ Dominium Caſtelli, Marthæ vero etiam, bonorum reliquorum hæreditatem conſignavit. Jam nunc delectari lubet (ita eas loquentes audire videor:] Dominæ rerum ſumus, poſſeſſio nobis integra manet, nec ab ullo dependens: at ſi frater ad vitam revocatur, teſtamentum lege fit irritum, & nos iterum exhæredes Expedit omnino Domine, & melius nobis erit, mortuum manere, non ad vitam redire: plus namque hæreditaria bona cordi habemus quam fratrem. *Iam fœtet, quadriduanus eſt. Martha fratrem ſuum Lazarum non mediocriter diligebat: unde una cum ſorore ſua Magdalena nuncium miſit ad Chriſtum, ut infirmitati fratris remedium adhiberet. Cum autem audiret Dominum dicentem: Tolle lapidem? dicit ei Martha ſoror ejus, qui mortuus fuerat: Domine jam fœtet.* Verebantur enim, ne hæreditatem perderent & dominium.

*Iulius Clar. §. teſtam q. 98. tit. an rump. teſt. reſur.*

*Fr. Labata Tom. 3. verbo Avar prop 1.*

Et quid non auſit mulier etiam pudendum, quam ſemel abominanda cupiditas accendit? Scio tamen alias eſſe continentes valde, & in quas non cadit iſta paſſio, neque de iſtis jam loquor. *Frequenter conjugalis pudor pecuniæ taxatione vileſcit,* (verbis dico S. Valeriani Clemelienſis Antiſtitis) *& diu incontaminata Virginitas, ſub parvo auri pondere proſtituta, fidem integritatis amiſit. Tanta eſt apud aliquos cupiditas, ut venalis pudor pretium fœditatis inveniat Infelix profectò eſt qui plus cupiditati conſulit, quam pudori. Hic pecuniam dedit ut corruptionem emeret. Illa pudorem perdidit, ut pecuniam compararet.* Superſedebo. Intelligenti pauca. Et quidni ſatis ſint iſta cupiditati execrandæ?

*D. Valer. Epiſc. clemel.*

O Deus bone! quot in hominibus mala excitat maledicta cupiditas! Ubi hæc dominatur, fama exiſtimatioque negligitur, animæ ſalus non curatur & honor divinus contemnitur. Tot ſcelera fiunt & flagitia, ut dictu difficile, quanto in odio ſint apud Deum & homines. *Cupidus multa audet* (ſcribit S. Chryſoſtomus) *quæ neque Deo, neque hominibus placent, veritus ne quis hanc ſibi auferat ſervitutem. O amarum ſervitium! O diabolicam poteſtatem.*

Cupiditas limites neſcit, & ſic lucris inhiat, ut numquam ſatis: velit ex argento conflari, aut potius transformari in aurum: neque tum ſuffecerit. Verbis utor Beati Simonis de Caſſia, quàm benè, quàm verè depingit, *Aureari quæris,*

B. Simon de Caſſia l.8.c.50.

*argentari vult. Agrum copulat agro, domui connectit & domum. Non eſt terminus ejus, niſi cum pervenerit ad terminum, ultra quem non eſt terminus alius. Non contentatur habitis, inhiat acquirendis, nec quieſcit in acquiſitis: nam aut vellet DEUM plura creaſſe, aut alium conſtituere Creatorem plura creantem.*

Idem. ſup.

Amicos non agnoſcit, inopes averſatur: velletque eos carere linguâ, ne exponere neceſſitatem valeant, ex charitate requiſituri, quod ipſa indebitè retinere diſpoſuit. Dies noctesque torquetur: arctatur enim doloribus ut viam inveniat, ubi acquirat: perforatur timoribus, ne acquiſita perdat. *Amicum non quærit, faciem avertit à proximo, linguas loquendi beneficio vellet eſſe privatas. Æſtimat omne perdidiſſe penitùs, quod aliis, & non ſibi cedit in lucrum. Cum pax ſit ubique, ſemper ad ſuas pecunias ſuſpicatur inſidias: latrones æſtimat, qui non ſunt: fures conſtituit, qui furari odiunt: non habet æs, ſed habetur ab ære, & hæres eſt æris, inhærens in ære, cuſtos eſt æris, ligatus in ære.*

Cupiditatis unguibus ſubſtantiam proximi deprædari avarus laborat, pecunias in quæſtum & fœnerationem transferendo. Summoperè dolet cum peculii deeſt occaſio, & quod à naturâ terminatum, vellet per additionem quantitatis ad quantitatem in infinitum extendi: eò ſtudium omne intendit & induſtriam; optaretque nummos habere infinitos ideò, quia infinitum eſt illud, cui nulla poteſt fieri additio. An non ſic inferre voluit præfatus Author? Crediderim. Verba repono. *Cum ſibi nummus aut moneta fuerit ſepar, quærit addere par? cum fuerit par, non vult facere diſpar, ſed quærit ut expendat aliud ſepar: cum autem adfuerit, voluit ſibi conjungere par: unde ne paria fiant diſparia, & ut ſeparia fiant paria, creſcit in immenſum per avaritiam noxia cura.* Cui pro mobili facit cupiditas, ad centrum proprii commodi & lucri velociſſimè rapitur.

B. Simon ibidem.

Equidem ſive de principio agatur, aut medio, aut fine, ad quæſtum proprii omnia tendunt. Initium ejus eſt amor ſui ſine reſpectu proximi, medium ejus ſuperflua coacervatio, rerum finis verò negatio Dei. Ecce quò poteſt iſta pervenire maledicta, ut Deum neget in ſuarum creaturarum profeſſione jurata.

Idem Author.

Quid ergo? (Chryſoſtomus ait) Ideonè fortaſſis in mundo es, ut divitias accumules? An propterea Deus hominem fecit, & vitam indulſit, ut diſſipando cæleſtem ſubſtantiam, terrenis & fugacibus bonis totus incumbat? *Nunquid propterea in hunc mundum veniſti? num propterea homo factus es, ut æs & aurum accumules?* Ut proinde verè de te dictum ſit illud Poëticum.

D. Chryſ. hom.59. in Ioan. c.10.

*Infinitivo propè par modus optativus:*
*Optandi finem nam ſibi nemo facit.*

Ovvenus l.1. n.29.

Quid tandem divitiis fiet tam avidè congregatis? Cui inſervient? ad ſalutem animæ, aut cælum acquirendum? Ah miſer attende! Ad interitum pertrahunt & æternam damnationem. Semper duraturas credidiſti, aut te numquam moriturum? Falleris, inquit S. Gregorius, *quia aut nos illas moriendo deſerimus, aut illæ nos vivendo deſerunt pereundo.*

D. Greg. in Iob.9.

Abſit (NN.) abſit ut vobis dominetur hoc malum: uti, de quibus ſuprà audiſtis, & iis qui miſſi Hieroſolymam ad Joannem, acturi quidem de communi bono, ſed tamen privato magis intendentes, etiam præferentes. At Joannes, ut agnovit cujuſmodi eſſent, quid prætenderent, illos non fodit, neque honores oblatos admiſit: *Non ſum ego Chriſtus, non ſum Elias, non ſum, non.* Hanc Deus à vobis peſtem avertat, quam nec inimicis vellem imprecari.

Commune hoc vitium, parcos adeò & tenaces aliquos eſſe, ut ne vel aliorum illos miſereat ſed & depauperari reliquos vellent, ut etiam ſic alienis bonis ditiores ſemper fierent. Unde dicebat S. Abbas Antonius: *Divitias Deus nobis tribuit ut ipſas his, qui indigent, miniſtremus: at nos, qui divitias poſſidemus, pauperes è contrario ſpoliamus.* Si & vos hoc vitio non laboretis, contrario id opere comprobate, eleëmoſynam pauperibus erogando. Lubenter facite, & ſic non eſſe avaritiæ deditos oſtenderis. Et ſi qua vos cupiditas tenet, ſit acquirendi meriti, quod eleëmoſynæ merces.

D. Anton. Abb ſerm. de vanitate mundi in Biblioth. vet. PP. Tom.4.

*Quas Chriſti cauſa miſeris donabis egenis,*
*In cœlo æternas conciliabis opes.*

Ovvenus in monaſt. ethic. n.16.

## PARS SECUNDA.

QUandoque perſonas vidi pauperes, abjectas & quas à veſte lacera mendicas putaſſem poſt annos quatuor fortunam amplificaſſe in tantum, ut millia aureorum compararint, famulos, equos, rhedam, domum ampliſſimam & poſſeſſionem ingentem. Petite, undè tam ſubitò divites. Dei gratiæ eſt, (reſpondebant) tum mercaturæ & induſtriæ attribuendum, divitias nos accumulaſſe: ita Deus juvit, ita voluit.

Miratur moribundus Jacob tam brevi ſpatio à filio Iſaac captam eſſe ſylveſtrem feram.

Hæreo

*Gen. 27.*

Hæreo fili mi, quid cogitem? *Quomodo tam cito invenire potuiſti?* Obſervate reſponſum: *Voluntas DEI hoc fuit.* Fraudem quidem jam admiſerat, palliare tamen audet, in Dei voluntatem refundendo, Pete, ſit ita lubet, à divitibus ſæculi, *Quomodo tam citò invenire potuiſtu?* Quomodò inquam tam brevi temporis ſpatio tot divitias accumulaſtis, tot prædia, tot facultates conquiſiviſtis? Liberè pronunciabunt, Deo volente ſic factum: *Voluntas Dei hæc fuit.* Sub mentito Divinæ voluntatis pallio latrocinia, fraudes & furta abſcondunt.

*L. nam hoc natura ff. de condit. indeb. reg. locupl de reg jur. n. 6. L. ſerviand. ff. de præſer. ver.*

Si quis hoc illis objiciat ex legibus: *Aliquis non debet locupletari cum alterius jactura*, ita ſtatim interpretantur hanc legem: *Procedit regulariter.* Et, ſi verum hoc, *Nemo tenetur cum ſuo damno alteri ſubvenire*, quantò magis *tenetur quilibet cum ſuo lucro nulli obeſſe*: Sed modò leges obſervant, ubicumque lucri oblata occaſio, non quando burſæ vel in minimo detraheretur.

Antiquâ lege prohibitum Hebræis nedum commercium, ſed omnis familiaritas & converſatio cum Samaritanis: *Iuſſit quoque Dominus filiis Iſrael vitare familiaritatem & ſocietatem cum alienigenis.* Erat inter nationes illas duas antipathia, quam modò reperire eſt hæreticos inter & Catholicos, aut Chriſtianos & Hebræos. *Samaritani, ſicuti inter nos hæretici, reputabantur à Iudæis.* Samaritani namque idololatræ erant. Unde *Iudæi in aliquem convicium jactare volentes, Samaritanum appellare ſoliti erant.* Ea propter mulier Samaritana ad puteum Sichem, cum peteret aquam Salvator, *Mulier, da mihi bibere*, indignata eſt, & torvo vultu intuita ait: *Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Mulier ergo, ne contra legem faceret, aquæ potum Chriſto recuſat. Hoc eſto, ſed mente retinendum.

*Dionyſ. Carthuſ. in Ioan. 4. a. 2.*

*Fr. Card. Tolet. in Ioan. 4.*

*Idem ubi ſupra.*

*Ioan. 4.*

A Chriſto Diſcipuli abiverunt in civitatem Samariæ: quid facturi? Ut panem, & quod victui neceſſarium, curarent. *Diſcipuli autem ejus abierunt in civitatem, ut cibos emerent.* Sed quomodò victum inde ſperent Apoſtoli? an ignorant, quid ibi lex præcipit? an non viderunt, quid à muliere factum? nempe aquæ potum Magiſtro denegaſſe? Unde nec panem & quæ victui neceſſaria impetraturos ſperent. (Diſcipuli abierunt (*Interprete Cardinale Toleto*) in civitatem, ut emerent cibos: nec illi vendere, nec iſti emere tenuerunt: nam lex adhuc non ceſſaverat. Si ergo lege id erat prohibitum, referebat profectò non prævaricari eam. Si veniſſent ut panem gratis peterent, ex charitate aut amore Dei lege permiſſum non fuiſſet: ſed quia jam aderant *ut emerent*, paratâ, nulla lex obligat, ſed cupiditate diſpenſante, omnis jam ceſſat.

*Card. Tolet. in Ioan. 4. annot. 6.*

Vitium hoc regnate ſolitum in Curiis, ubi juſtitia adminiſtranda, quia miniſtri illius connivendo diſſimulant, ſuntque, ut Iſaias prædicit, *canes muti non valentes latrare.* Furunculum videas *Iſa. 56.* nocte, officinam infringit, ſed intus canem reperit latrare & mordere parantem: quomodò impediet? è ſacco bolum panis educit, projicit, & ita cani os obſtruit, habetque placatum ſibi, & latrociniis apertum campum. In loco iſto aliquo commiſſum eſt ſcelus, ſubitò canes, adminiſtri, dico, juſtitiæ, audiri faciunt, de facto inquirunt & teſtibus: verbo dicam, quidquid juſtitiæ debitum, rigidiſſimè curant. Vult quis placatos illos? litem & negotium omne ſopitum? Miniſtro panem objiciat, aurum donet & munera, ſtatimque abſolvent, virum bonum & innocentem declarando, *Sic donum datum pro ſubverſione juſtitiæ* (notat Liranus) *Iudicem tacere & à punitione mali ceſſare.*

*Liranus in Gloſſa ordin. ad litt.*

Quiſquis ad cupiditatis recurrit patrocinium, litem ipſe luctatus eſt, nummis utitur pro ratione, quæ contra ſit, etſi nullam habet. Ubi aurum loquitur, reliqua in ſilentio, & obmuteſcet juſtitia, ubi argentum dicet. Bene alluſit Poëta:

*Barthol. Caſſ. de gloria mundi.*

*Nummus honoratur, ſine nummis nullus amatur:*
*Nummus ubi loquitur, Tullius ipſe tacet.*

Ad penetrandas aurifodinas Aſtrææ gladius prævalet, argento legibus ferreis imperant, & innocens ab eis habetur qui divitias habet, quibus illorum cupiditas ſatietur. Ferro juſtitiæ ſanguinem exprimunt, à quibus non è burſa nummos, & ita innocentis rationem, adverſæ partis auro ſupprimere ſatagunt. Illorum cupiditas nebula eſt, rationis objecta radiis, impedit juſtitiæ ſplendorem: caligo eſt, quæ lucem æquitatis obtenebrat. Unum *Ita* fiet *Non* (denariis ea virtus eſt) *Plutarch.* & *Non* in *Ita*, cùm voles mediantibus illis, erit mutatum. Hinc Lycurgus, juſtitiam à Republica Spartatum propulſatam & abjectam ut revocet & erigat, monetam auri & argenti prius eliminat.

Miniſtros illos juſtitiæ, cupidos ſemper & appetentes, meritò comparem plantis, eò plerumque vergentibus ubi fructus abundantior: aut verò ſtateræ, quæ in partem ſemper propendet, ubi gravius eſt pondus. Alluſit doctiſſimus Au-



thor?

chor? quod ex hoc metro retrogrado intelligendum.

*Mutnegra cum murva faciunt rectiſſima curva.*

*Corn à lapide in Exod. 23. fol. 495.*

Leges jam nummis explicantur & inſtar pellis extenduntur (quod utinam non hoc noſtro ævo ſit verum!) æquitas rejicitur & ratio nulla curatur. O factum malè! O miſera pupillorum conditio, quos neceſſitas in Advocatorum hujuſmodi manus impellit! Quis eſt qui pro rerum atrocitate deplorare tantas miſerias queat? De injuriis quas derelicti vos ab omnibus ſuſtinetis. S. Lucas juſtè conqueritur, dum ſtatum veſtrum calamitoſum mundo exhibet in perſona ejus qui *incidit in latrones, & ſpoliaverunt eum.* (*Luc. 10.*) Quid? an non bonis omnibus ſpoliant litem dum protrahunt, & tandem iniquiſſimam Sententiam ferunt? *Et abierunt ſemivivo relicto.* Ad mendicitatem miſeros redigunt, ut diutius vitam ſuſtinere non valeant, & ſic exſugunt ſanguinem, imò eviſcerant, ut mortuos potius, quàm vivos relinquant. *Sed quod cum maximo animi dolore proferimus* (Titelmani verbis deploro) *ita ſunt plerique auribus corrupti, ut libentius nummuli unius tinnientis ſonitum exaudiant, quam cæleſtium retributionum ſuaviſſimas promiſſiones, ſuam quoque operam & ſtudium libentiùs viliſſimo obolo divendant, quàm pro ampliſſimo æternæ hæreditatis præmio collocent.*

*Franc. Titelman. in Pſalm. 81. v. 3. & 4.*

Omne vitium ſphæram habet activitatis: at verò cupiditas ens eſt tranſcendentale, ubique eſt mortis imitatrix & nullo diſcrimine ferit, & invadit omnes. Si ad portas ſingulorum, quos vexat iſte ſtimulus, plantata ſit arbor, ſylvam faciet civitas. Si avaritia febris ſit, eâ jam laborabunt omnes: *nemini parcit.* Credite, Cives Veneti, credite: quærere poteritis, ſed neminem reperietis qui beneficus ſit, & gratis abſque ulla prætenſione diu obſequatur. Verùm hoc puto:

*Ovvenus in Eth. n. 58.*

*Munera qui mittit, ſperat majora remitti.*
*Nemo ſuas vellet perdere gratis opes.*

Ingreſſus eſt Chriſtus in atrium Pontificis, & Petro, quia *ſequebatur eum à longe,* non datur acceſſus, quia ſerius venit cum clauſa eſſet janua, adeoque foris manendum. (*Luc. 22. Ioan. 18.*) *Petrus autem ſtabat ad oſtium foris.* Serius veniſſe doluit: nam quia Magiſtrum amabat, diu abeſſe durum illi erat. Audacter pulſat fores: ſed per feneſtrellam ancilla reſpiciens, januam aperire negavit, acriter alloquendo: nemini jam acceſſus permittitur, vade, ſervet te Deus, & conducat. Cui iterum Petrus: Obſecro, id facias gratiâ, aperi, vel certè hic frigore moriar. Vade (reddit illa) fruſtrà petis ingreſſum non aperiam, dixi. Aderat caſu Joannes, altercantes audivit, & ab ancilla ingreſſum illi impetravit. (*Ioan. 18.*) *Exivit ergo diſcipulus alius, & dixit Oſtiariæ, & introduxit Petrum.* Cur ad prima Joannis verba ſtatim ancilla aperuit, cum tamen anteà multis precibus Petrus inſtiterat, nec potuiſſet? Non videatur id mirum, dicit S. Vincentius Ferrerius. Obſervaſtis de Joanne, quid dictum? *Erat notus Pontifici.* Et unde ſic notus? ſæpè ſæpius pater ad palatium miſerat Joannem, qui gratis & pro munere piſces offerret. *Cauſa fuit notitiæ cum Pontifice, qui fortè miſſus à patre ſuo, plures portaverat piſces ad domum Annæ.* Ita Liranus, cui D. Dionyſius Carthuſianus adſtipulatur, ubi ſic loquitur: *Cauſam notitiæ diverſi diverſimodè tradunt: quidam quod frequenter portavit piſces ad domum Annæ.* Nil Joanni facilè recuſandum, quia multoties viſus eſt cum muneribus venire ad aulam. Petrus non erat notus? munera, dico, non adferebat, adeoque non intromittitur ab ancilla. *Petrus, cum non eſſet familiaris Pontifici* (inquit Toletus) *non eſt permiſſus intrare, ſed manſit foris prope oſtium. Aperto igitur oſtio ad preces Ioannis, Petrus ingreſſus eſt atrium Pontificis.* S. Vincentius Ferrerius hanc rationem allegat: *Erat ſibi (id eſt Pontifici) notus, quia portaverat ſibi encænia piſcium, quæ pater Ioannis ſibi mittebat: quia tamquam malus judex libenter recipiebat illa.*

*Liranus in Gloſſa ibid. Dionyſ. Carthuſ. in Ioan. 18. art. 43.*

Supponamus tamen (etſi non ſit conceſſum) reperiri, qui gratis obſequium præſtet, nil omninò ſperando concludendum, hunc non fore hominem, ſed è cælo Angelum in ſpecie humana. Cum è carcere Petrus educitur, liberatorem ſuum agnoſcere non potuit, cui tamen *lumen refulſit in tabernaculo.* Aperitur carcer, dirumpuntur vincula ferrea quaſi cerea fuiſſent, nec tamen in mentem ſemel incidit, ut Angelum crederet, ſed *exiſtimabat ſe viſum videre.* (*Act. 12.*) Egreſſus è carcere, cum jam ab Angelo eſſet receſſurus, Petrus non hominem fuiſſe, ſed Angelum concluſit. *Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & liberavit me de manu Herodis.* q. d. v. Agnoſcere numquam antè poteram, dubius utique ſemper hæſi: at ubi jam diſcederet, nunc, nunc, & non anteà Angelum agnovit. Dic modò, Petre, unde tandem eum noſti? Quid ſigni vidiſti? Quid ſigni? Gratiam præſtitit, & maximam fatebor. Quid? vinctum catenis ferreis è carce-

carcere liberavit, gratis quidem ne vel obolum requirendo, obſequii collati mercedem: & illicò inde collegi Angelum eum eſſe: ſi enim homo id obſequii exhibuiſſet, vendenda hæc mea tunica, neque compenſando ſatis fuiſſet. Ita ſpeculatus eſt modernus Author. (Perſona que me libra de la carcel, y ſe va ſin pedirme algo, Angel de Dios es, que ſi fuera ombre, el vendiera caros ſus paſſos.)

*Aug. Nunnez.*

*Delgad. ſer. 7. ſer. 3. Dom.*

Angelus qui Petrum eripuit & catenas ſolvit, (ita Deum obteſtor,) à cupiditatis peſſimæ nexibus ille ipſe vos liberet, ut verâ animæ libertate potiri mereamini in cælis. Faveat & faxit Deus.

---

# IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

## ARGUMENTUM.

Miſerrima eſt peccatoris conditio, eaque ſanguineis lachrymis deploranda. Chriſtus omni modo liberare conatur: & quàm ſolicito & anxio amore curet, in Apoſtolo Thoma evidenter oſtenſum eſt.

## THEMA.

*Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit* JESUS. S. Joan. cap. 20.

HIc ſtatus eſt totius mundi atque naturæ ut homines, in quocumque etiam ordine, miſeriis & ærumnis premantur: atque hoc ipſum Solis videatur luce clarius. *Semper malum aliquod viget, alterum verò præterit, & quod novum ſecuturum eſt deinceps, nondum apparet.* Ita dixit Euripides: & conformiter Publius: *Bona memini hora eſt quæ non alicui ſit mala.* Subditque alibi: *Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.* Seneca ſic loqui ſolebat: *Quemcumque miſerum videris, hominem ſcias.* Aliquis propriam calamitatem ita deploravit:

*Euripides.* *Publius.* *Seneca Herc. furent. v. 463.*

*Hei mihi miſero! quam miſere perii nunc miſer!*
*O ter me miſerè miſerum, & quater, & quinquies!*
*Men' obrui tam multiplici infortunio!*

*Sycophanatus.*

Et, quod longè peſſimum eſt, vix cùm malum deſinit, accedit majus. *Nec mihi Parca malorum finem adfert,* (inquit Stobæus) *ſed manent conſtanter, & præſentibus accreſcunt alia.* Nec aliter Seneca: *Exoritur aliquod majus è magno malum.* Euripides concludit: *Alia poſt alia ſuccedunt mala in longo tempore.*

*Stobæus.* *Seneca in Troade v. 425.* *Eurip.*

Ixionis ſtatum conſidera, quàm eſt rotæ cruciatu perpetuò miſer!

*Impius Ixion fatali volvitur orbe.*

*Titus Strox.*

Prometheum videas in monte Caucaſo ad ſaxa religatum: quantus ei dolor eſt, cùm adhibita aquila cor ſemper exedit!

*Hìc miſerum Scythica ſub rupe Promethea radat.*
*Carnificem nudo pectore paſcat avem.*

*Martial. l. 11. Epigr. 45.*

Siſyphi maximus labor eſt, dum ad montis verticem ſaxum ingens provolvere cogitur, quod, ubi ad ſummum extulerit, ad ima dilabitur, relevandum.

*nec inquieta*
*Laſſi marmora Siſyphi videbit.*

Quis non Tityi acerbiſſimam ſortem deploret, cujus jecur vulturibus appoſitum, crudeliſſimè lancinandum?

*Idem. l. 5. Epigr. 77.*

*Incontinentis nec Tityi jecur.*
*Relinquit ales.*

Neque hìc ſilentio prætereunda infelix conditio Tantali: in aquis eſt, & ſiti perit: fructus habet appoſitos, & fame enecatur. O fata aſpera!

*Heu! miſer in mediis ſitiens ſtat Tantalus undis,*
*Et poma eſuriens proxima habere nequit.*

*Ovidius. Alciat. Emb. 84.*

Nihilò

Nihilo feliciores Belides, quæ perforatis urnis aquas haurire numquam ceſſant, ſibiipſis deſperando.

*Ovid. in Ibin.*

*Quæque parare ſuis lethum patruelibus auſæ,*
*Belides aſſiduâ colla premuntur aquâ.*

Mihi credite (NN.) nemo de iis omnibus, quos infeliciſſimos dixi, anteponendus eſt Peccatori, qui hodiè nobis exhibitus in perſona Apoſtoli Increduli, qui *non erat cum eis quando venit Ieſus*, ille, ille miſerrimus eſt: Status omnes percurrite, dum lubet, neque magis deplorandum umquàm deprehendetis. Mali ſunt reliqui omnes, at verò iſte peſſimus. Non mihi, ſed Auguſtino credendum iſtud. *Nihil infelicius infelicitate peccantium, quâ pœnalis punitur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur.* O verè ſummas peccatoris ærumnas! De miſero hoc peccantium ſtatu loquendum, in quo etiam Thomas reperitur, cùm *non erat cum eis, quando venit Ieſus.* Et quantum laboret Deus ut peccatorem eripiat! *Infer digitum tuum huc, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Dum breviter dicam, quæſo, diligenter attendite.

*S. Aug. epiſt. 5. p. 25. Tom. 2.*

*Ioan. 20.*

## PARS PRIMA.

THomas non erat cum eis quando venit Ieſus. Quot & quanta orta ſint mala ex equo Diomedis, plures expertos refert Gellius. Eo enim fato is equus fuit, ut quiſquis eum poſſideret, cum omni familia interiret: primus namque hujus equi Dominus à Marco Antonio damnatus, miſerando affectus fuit ſupplicio. Deinde emit Cornelius Dolabella, qui & ipſe à Caſſio victus in prælio occubuit. Ab hoc ad Caſſium victorem equus pervenit, qui ab Antonio victus ſibi manus intulit. Nec multò pòſt Antonius victor, qui equum abſtulerat, ab Auguſto victus ſimili mortis genere periit. Idem anteà Cneio Seio evenerat, & inde dicitur Equus Seianus, & apud Græcos proverbium eſt in calamitoſum quemcunque. *Equum habet Seianum.* Major tamen eſt peccatoris calamitas, & longè plura, ex caballo peccati exorta ſunt mala. Hinc illæ lachrymæ, & omnis infelicitatis origo. Non ignorabat id Urbanus IV. cùm ſuſpirans exclamavit: *Heu! quàm miſera poſſeſſio peccati, quæ ſuum facit miſerum poſſeſſorem!* Diſtinctius dixit S. Archiepiſcopus à Villa Nova: *Si quis à Tyranno quantumvis ſævo & crudeli deſerviat, & diebus ac noctibus, catenis & ferro ligetur, quantum eſt hoc? Manus & pedes ligare poteſt, ſed mens & voluntas libera ſunt. In peccatorum mancipio non ſic: ſed mens, ſenſus, ratio, voluntas, judicium, affectus, deſiderium, & quicquid in homine præcellit, ligatum eſt. Amiſit quod eſt hominis, & ferè totus obbrutuit.*

*Aul. Gellius lib. 3. cap. 9.*

*Vrban. IV. in Pſ. 50. in Bibliot. vet. PP. Tom. 13. D. Th. à Villa N.*

*Conc. 2. Dom. Quadr.*

Quiſquis in eo ſtatu verſatur, ſenſu caret, ratione ac intellectu. Juriſperitis conſuetudine id quaſi innatum: *Erubeſcunt quando ſine lege loquuntur.* Nec auſim ego, quod paradoxum eſt, loqui, niſi ex Sacro Codice probem. Regem propono, quo ſapientiorem mundus numquam habuit, & in quem ſtatum à peccato redactus ſit, vos, obſecro, contemplamini, tandem pœnitentiâ ductum videte ad Deum revertentem, & corde contrito clamantem audite: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Quomodò David? An ergo anteà non cognoviſti? Nunquid ſciviſti priùs ſuperbiam, adulterium & homicidium ea eſſe, quæ occidunt animam? Peccatum de mente Regem deturbârat. Unde Agellius: Poteſt (cognoſco) ſic accipi, id eſt, non adverti, neſcivi: nam eo tempore quo tantum crimen admiſit, impetu quodam & æſtu concupiſcentiæ raptus animus, quantum mali perpetraret, non cognoſcebat, & velut faſcino quodam voluptatis conſopitus erat. A peccato intellectus obſcurabatur & ceu tenebris offundebatur. *Vbi verò Nathan Propheta verbis admonitus quaſi verbere quodam reprehenſionis excitatus eſt, tum tandem magnitudinem peccati ſui advertit, atque cognovit.*

*L. Illam C. de col. l. fin. ff. de pœnit.*

*Pſal. 50.*

*Anton. Agell.*

Quis Regem tam ſapientem, qualis fuit David, à peccato ita obcæcatum & dementatum credidiſſet, prout ipſemet ore proprio fatebatur, niſi actionibus ſuis comprobaſſet? Acceſſit ad aulam Propheta Nathan, ut poſt officia venerationis plena, de caſu cum Rege expoſtularet & ita affatur: Crede mihi, Rex magnanime, ſi non in Regno puniantur delicta, quis illud ab excurſionibus tueatur & latrociniis? quis tutus incedat? cum hujuſmodi hominibus dum connives, emendandi occaſionem aufers, & indies pejus faciunt, ubi tam facilè ſe indulgentiam obtenturos ſperant. Liberè dico, quia honor divinus impellit ut audeam: nec aliud movet, quàm ut ſub ſceptro tuo inclyto juſtitiam, in qua virtutis ſplendor eſt maximus, vigentem omnes intueantur. Inſolitum eventum refero. Duo homines erant, copioſus unus & dives, alter inops & pauper adeò, ut poſſeſſiuncula ejus ovicula unica, eamque ceu pupillam oculi conſervabat, menſa eadem utrumque paſcebat & idem fovebat lectus. *De pane illius comedens & de calice illius bibens, & in ſinu illius dormiebat.* Dives aggreſſus

*2. Reg. 2.*

eſt

eſt & abſtulit: an non hic ſupplicio dignus? Si
hoc in Regno meo ſcelus ſit factum a ſubdito,
per coronam meam & ſceptrum hoc juro. *Ovem
reddet in quadruplum.* Hic mecum (NN.) tanti-
ſper hærete. Credat è vobis aliquis hominem
hunc reperiri, qui oviculam ad menſam admittat
ut comedat, & ex eodem ſcypho bibat, atque no-
ctu in amplexu obdormiat: mihi perquam mi-
rum videtur, eoque magis, Regem ſapientiâ præ-
ditum probè ſingulari, tam facilè adduci, ut cre-
dat, & nugas ſibi veras perſuadeat. Non jam mi-
ror ſtultos & credulos, qui in flumine imaginem
lunæ intuendo, quam ex improviſo nubes den-
ſas ab oculis removeat, à jumento ſimul cum a-
qua abſorberi exiſtimabant, & quo certiùs appa-
reat, aquas dividunt, in corpore detecturi illud,
quod tam fortiter imaginati. Sultitia hæc indu-
biè & inſipientia eſt maxima, errare tamen cum
excuſatione hi poſſunt, ſimplices enim ſunt &
ruſticè faciunt: at verò David ſapientiorem in
Regno aut certè parem dari non putabat, adeo-
*Pſal. 118.* que de ſe dixit: *ſuper ſenes,* (aut potiùs) *ſuper om-
nes docentes me intellexi.* Et perſuaſum habere po-
tuit: verum ille inquam & evidens credidit,
quod fictum eſſet & adumbratum. Dicam quod
res eſt: Ubi peccare auſus cum Bethſabee, miſer
eſſe cœpit, & ſenſu privari: quid verum aut fal-
ſum, ignorabat, neque jam atra & alba diſcernere
poterat: lunam eſſe in flumine, imò Aſinos vo-
lare facilè Nathan perſuaſiſſet: Non tamen id fi-
ctum aut adumbratum: veritas Catholica eſt, ubi
D. *Ambr.* cum S. Ambroſio loquor: *Sciebat Nathan, quod*
*in Apolog.* *David neſciebat, adeò caligat animus obumbratus*
*David* *quâdam nube vitiorum.* Sententia hæc D. Chry-
D. *Chryſ.* ſoſtomi: *Peccatum inſipientes facit eos, qui anteà*
*hom. 17.* *intellectu & ſapientiâ multâ præditi erant.*
*in Geneſ.* Petrus ad littus maris Dominum vidit & ela-
tâ voce exclamavit, ne appropinquaret: *Exi à me*
*Luc. 5.* *Domine, quia homo peccator ſum.* Alii quærunt,
Petrus Deum repellit, cùm tamen peccati infir-
mitate gravatum ſe ſentiat & fateatur. *Homo pec-
cator ſum.* Medicum videt, & non accedit: Infir-
mus ille qui medicum abhorret, delirus eſt &
mente captus. Delirabat Petrus, & mens ei per
*Didac* peccatum emota. (Imò quia peccator es, debe-
*Penſer.* bas petere ut tibi Agnus appropinquaret, qui tol-
*Tom. 2. c.* lit peccata mundi. Infirmum te fateris, & medi-
*4. §. 9.* cum ablegas? Quid times in medico, quando ab
ipſo ſolo potes ſalutem adipiſci?
S Lucas de Filio prodigo ſcribit, cùm extre-
ma jam ei neceſſitas eſſet, tandem deliberavit &
ſtatuit ad patrem reverti: ideoque obſervat S. E-

vangeliſta: *In ſe reverſus dixit: Vadam ad patrem*
*meum.* Ubi ſubtiliter, ut ſolet, S. Petrus Chryſo- *Luc. 15.*
logus reflectit ad dictum, *in ſe reverſus,* pro-
priumque ſignificatum exponit, quod aliud non
ſit, quàm redire ad ſe. Erat igitur extrà ex ſe. Ne-
mo domum redit, quin priùs egreſſus. Et quis
neſcit extra ſe idem ac extra mentem eſſe? ſyno-
nyma enim ſunt & termini convertibiles: & re-
dire in ſe, aliud non eſt quàm recuperare ſenſus
anteà perditos. *In ſe reverſus.* q. v. d. Inſolentiæ D. *Petr.*
meæ & peccata extra me rapuerunt. *In ſe rever-* *Chryſol.*
*ſus,* (ait ille Sanctus) *qui priùs per peccatum receſ-* *ſerm. 2.*
*ſerat à ſe.*
Ordinariè peccatores in circulum aguntur, ut
Propheta teſtatur: *In circuitu impii ambulant.*
Vertendo in circum & revertendo, delirium ori- *Pſalm. 11.*
tur. Qui in circuitu ambulant, facilè capite tur-
bato in terram cadunt: ſic peccator, ac ſi in cir *Labata*
cuitu diu ambulaſſet, capite turbato inſenſatus *Tom. 1.*
remanet. Unde Cain cùm fugitivus eſſet, neque *prop. 6.*
unquam ſecutus, terram meditatur, ubi ſedem
figat, & abit in Eden, quod ſtabilitatem ſignifi-
cat, illic conſtantiã ſperans & firmitatem, cùm ta-
men ibi nihil ſtabilitatis aut ſecuritatis invenerit.
An deſiperet ille & mentis inops cenſeretur,
qui Principem volens placare, verbis aſperis &
odioſis tentaret, & quaſi pugnis contenderet?
Abs dubiè magis iram accenderet, & ad ultionem
protitaret. Quid minùs ille ſervus in figura pecca-
toris, ſub diaboli jugo? Domino citante compa-
ret, negligentiæ admiſſæ excuſationem allatu-
rus, & quem benignitate vincere oportebat, duro
& inſolenti verbo offendit. *Scio quia homo auſte-*
*rus es.* Artem Rethoricam non curat, imò om- *Luc. 19.*
nino invertit. Dixiſſet, *Scio quia homo pius, benig
nus, placabilis & manſuetus es.* Excuſandus eſt, in-
quit Eucherius, à mente deſeritur, peccato detur-
bante. Peccatores, amiſſo intellectu, quo malè uſi D. *Euch.*
fuerant, dum ſe excuſare poterant, dicunt: Scio *hom. de*
quia homo durus es: ſi enim intellectum ha- *Nat. Coff.*
buiſſent, nequaquam durum & inviſum voca-
rent, cujus benevolentiam captabant. Benevo-
lentiam velle mereri ab aliquo, duriùs alloquen-
do, moris Rethorici non eſt, ſed ruſticitatis. O
quanta eſt peccatoris veſania! Nil niſi abſonum
loquitur & abſurdum.
Timebant Hebræi ne Apoſtoli ex ſepulchro,
Magiſtri corpus efferrent, & reſuſcitatum nun-
ciarent, ideoque ſtatutum eſt, ut cuſtodiretur, la-
pide ſuper impoſito ac ſigillato *Ite cuſtodite, ſicut* *Matt. 27.*
*ſcitis, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus.*
At tertiâ die reſurrexit glorioſus & immor-

talis, ut jam toties Apoſtolis prædixerat & Hebræis, *Reſurrexit ſicut dixit.* Ex ſubito & impro-
*Matt. 28.* viſo hoc eventu attoniti ac territi ad Synagogam properant, rem omnem, prout acciderat, narraturi. Stupebant Phariſæi & ſtatim congregato concilio, quid agendum, deliberant, atque unanimi conſenſu ſtatuunt, ſpargendum eſſe in vulgus Apoſtolos veniſſe, & abſtuliſſe, atque hoc dormientes vidiſſe. *Diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.* Locum hunc verſibus ſic Juvencus Presbyter expendit, & Synagogæ Hebræorum conſilium.

*Iuvencus Presb. in Hiſtor. Evang. l. 4. in Bibl. vet. PP. Tom. 4.*

*Præmia militibus certatim magna rependit,*
*Et famam argento redimit, quod lumine rupto*
*Furtim ſuſtulerit corpus defenſæ tenebris*
*Occultò rapiens audacia Diſcipulorum.*

O quàm ſtulti vos & vecordes! facilè eſt videre, ſenſibus deſtitui & ratione, ait S. Auguſtinus. Dicite verum: Dormiviſtis, & oculis clauſis? Quomodo ergo Apoſtolos vidiſtis, & oculis clauſis? Si non vidiſtis, quod teſtimonium allegatis? Et
*S. Aug. in Pſ. 63. v. 7.* tu Pilate, magni utique conſilii cùm ſis & juſtitiæ adminiſter, quid ad hæc? *Teſtes debent eſſe de viſu.* Et *Teſtis probat, quando dicit: Scio, quia vidi.* Teſtes illos admittis qui dormierunt, cùm factum eſt illud de quo teſtantur? *Dormientes teſtes adhibes? Si dormiebant, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo teſtes ſunt?* Excuſare, (inquit Auguſtinus) peccato imputandum eſt, illud turbavit, & intellectum faſcinavit. *Verè tu obdormiſti, qui talia ſcrutando defeciſti.* Fictum à Poëtis, aqua Lethes fluminis memoriam perdi: hoc certum, in peccato exiſtentes intellectum perdere & uſum rationis.

Videor mihi Jonam triſtem videre hederæ ſub umbra languentem, accedentem nautas, qui eum ſecum in navim admittant. Dabis veniam, mi Propheta, quòd curioſè nimis & impudenter interrogem: ad iter maritimum diſpoſitum credo, & de hoc petere intendebam. Dicam tibi, ſed verbo unico quia tempus non patitur, ait
*Ion. 1.* Propheta. Fugam meditor, ne Deus aſſequatur, videat, aut fugitivum me deprehendat. *Fugio à facie Domini.* Iterum veniâ tuâ dixerim, mi Jona, falleris. Quomodo enim à Deo declines cùm ſit in omni loco ſemper præſens? Quomodo abſcondas ut te non videat, ſi omnia aperta ſunt oculis ejus? Quid facias ne te reperiat? immenſus enim eſt Deus & infinitus. Quòcumque aufugeris, aut ocultaveris, aderit. Crede mihi, inſania illa eſt. Hoccinè tibi perſuaſum ſit, ut Deum ignorare aliquid cogites, & neſcire ubi degas? cæcum eſſe & non videre ubi lateas? impotentem eſſe, neque aſſequi poſſe quò fugeris? auſim jurare; peccatum commiſiſti. Nunquid ita eſt, ut dixi? Rectè conjeciſti: tranſgreſſus ſum præceptum Domini. Itane? non ergo mirum eſt, quod inſenſatè nunc loqueris & deſipis: peccatum hoc facit, turbatum eſt cerebrum, neque intellectus liber, ſed intricatus & faſcinatus. Nolo mihi id credas, Chryſoſtomum audi affirmantem: *Quò fugis ô Iona? Nunquid non alium* *D. Chryſ. Tom. 5. hom. 1. de pœnit.*
*Prophetam audis dicentem? Quò vadam à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Qui corruunt in peccatum, veluti pravâ ebrietate, actionis deſiderio detenti, neſciunt quid faciunt.* Unde meritò tibi hoc applicetur:

*Quò fugis Encelade? quaſcumque aſcenderis oras,*
*Sub Iove ſemper eris.*

Recordor verbi quod primis parentibus dixit diabolus, ut ad peccandum alliceret. *In quocumque* *Gen. 3.*
*die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Neſcio quid prætendit infernalis hæc larva. Oculis erant apertis, & videntes: ut quid ergo dicit, *Aperientur oculi veſtri?* Si plenum habebant intellectum & cognitionem in genere ſuo perfectam, cur tamen ait, *Scientes bonum & malum?* Quaſi verò antehac neſciviſſent? *Inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantum ad corpus:* (Angelici Doctoris eſt ſen- *D. Thom. in Sum. q. 94. a. 3.*
tentia) *ſed etiam in ſtatu perfecto quantum ad animam, ut haberet omnem ſcientiam, in quibus homo natus eſt, inſtrui.* Itaque ſciebat quid malum, quid bonum. Etiam cognitionem habuit rerum ſupernaturalium, quanta ad præſentem vitam rectè inſtituendum ſecundùm illum ſtatum ſufficeret. Et tandem ſic concludit: *Rectitudo primi ſtatus* *Idem ib. q. 9. a. 3.*
*exigebat, ut homo aliqualiter omnes virtutes haberet.* Unde concipere non poſſum, quid Serpens ſomniet, aut quid velit his. *Aperientur oculi veſtri: eritis ſcientes bonum & malum.*

● Scitis, ut dixi alias (N N.) diabolum mendacem eſſe & mendaciorum inventorem. Quid verò mendacem eſſe aliud indicat, quam hoc proferre quod directè eſt veritati contrarium? Ah quam fallax eſt diabolus & vafer? Ex verbis ejus ſemper contrarium intelligendum eſt, idque verum. Ubi dicit *aperientur oculi veſtri*, mentitus eſt, adeoque contrarium erat verum, *claudentur, excæcabuntur oculi veſtri.* Ubi ait, *ſcientes*, id eſt, *neſcientes & non cognoſcentes bonum & malum.* Itaque interpretativè idiomate ſuo ſic voluit dictum: Si peccaveritis, excæcabimini & delirabi-

tis

tis in tantum ut inter bonum & malum diſcernere non poſſitis. Euſebii Gallicani eſt meditatio: Cùm enim primo homini lignum vetitum comedere diabolus ſuaderet, dicens: Comedite & aperientur oculi veſtri: nònne eum cæcum eſſe monſtrabat? cæcus tamen adhuc non erat, ſed comedendo cæcus factus eſt.

*Euſ. Gallica hom. de cæco.*

Sed quomodo factus cæcus, ſi numquam oculos perdidit? De cæcitate corporali diabolus non intellexit, ut quòd oculos corporis, ſed quòd lumen intellectûs eſſent perdituri, fierentque adeò rerum omnium ignorantes, ut bonum non cognoſcerent aut malum: *Neſcientes bonum & malum* Hoc eſt nimirùm, quod Deus volebat, cùm in Paradiſo occurrens Adamo, dixit: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum.* Quæ verba ironicè à Deo prolata, docent Interpretes. Quis non videat hæc Dei verba per ironiam intelligenda, & irridendo magis dicta eſſe, quàm ridendo. Et Pierius: Hoc ferè Interpretes cenſent dictum eſſe à Deo per ironiam, ut intelligatur quantâ irriſione & ludibrio dignus ſit peccator.

*Gen. 3.*

*Moyſ. Barceph. de Parad. p. 1. c. 27. in Bibl. v. PP. Tom. 10.*

Quid autem propriè Ironia ſignificat? Figura eſt in pronunciatione vim omnem habens, quam potiùs *diſſimulationem* dixerimus vel irriſionem: cum ſcil. pronunciatione ipsâ nos diverſum oſtendimus ſignificare ab eo, quod ipſa verba ſonare videntur. Aliud dicimus atque ſentimus, ut ſi per ironiam loquar: Vir ille probus eſt, magni nominis & virtutis, hoc dico: Improbus ille eſt, abjecti nominis & malæ vitæ. Si itaque Adamo per ironiam dixit Deus: *Factus eſt ſciens bonum & malum*, ſic intendit: Mente turbatus eſt ex peccato, ita ut jam vecors & amens neſciret bonum & malum. Eò cæcitatis, & amentiæ præceps ruit, quiſquis ſe peccato obſtringit. Ex tunc craſſa quædam & pellicea fortaſſis tunica effuſa eſt ſuper mentis noſtræ oculos.

*Guil. Hamer. in Gen. 3. Bened. Piere. in Gen. v. 22 Calepinus.*

*Theophil. de nat. cæci miſeria.*

Thomas in infidelitate dicebat: *Niſi videro & tetigero, non credam.* Si videre detur, Thoma, an tunc credes? Omninò, ait: firmiter credam. Quâ ratione? Credere enim & videre ſimul eſſe non poſſunt, eò quòd unum excludat alterum. Fides auditum patitur, non viſum vel tactum. *Fides eſt de non viſis. Fides ex auditu Quid eſt Fides aliud, niſi credere quod non vides?* Crediturum dicis, cùm videbis: fidelem fore, quando tanges. Inconſideratiſſima ac dementiſſima hæc locutio eſt: attamen compatior Thoma, quia peccato intricatus intellectum perdidiſti, in infidelitatis profundo incurrendo naufragium.

*D. Aug.*

Plura dicam (NN.) & pejora. Intellectu extincto homines in bruta peccatum transformat; ut proptereà S. Thomas à Villa Nova prædicaret: *Peccatores humanitatem exuentes in brutales verſi ſunt: longâ enim peccandi conſuetudine ratio in eis depravata & corrupta, lumine judicii amiſſo, ferè totaliter obbrutuit, & in aliam naturam degeneravit.* Simul atque in peccatum lapſi ſunt Adam & Eva, recordati ſunt, quia nudi eſſent, ac ad tegendum *conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata.* Vidit Deus & miratus ait: Quid hîc video? Veſtes induiſtis inſolitas? exuite: non enim ſtatui veſtro conveniunt, neque decentes ſunt: exuite ſtatim & hanc ipſam, quam vobis contuli, induite: videte an corpori veſtro proportionata ſit: menſuram juſtam accepiſſe arbitror, probate. Quid eſt? Materiam hanc non nôſtis? duæ pelles animalium ſunt. *Fecit quoque Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas.* Scio Domine, nil caſu à te factum, ſed in ordine ad finem omnia: nec ſine myſterio. Ut quid igitur Protoparentum hanc è pellibus fieri curas tunicam? Cur non æquè aut potiùs ex tela, panno vel certè ex palmæ foliis, ut Anachoretæ olim geſtare ſunt ſoliti? Non, inquit Deus, per peccatum enim intrinſecùs in beſtias mutati ſunt, utque tales in omnibus & per omnia ſint, ſolùm deeſt extrinſecùs pellis. Quare, ne ad eſſe beſtiæ pelles deficiant, ecce contuli. *Fecit eis tunicas pelliceas.* Ita hîc obſervat D. Gregorius. *Vt foris pelle belluinâ uterentur, qui intus belluinâ cupiditate animum transformarunt: & qui aſpirârant ad Divinam naturam ſuperbiendo, intelligerent ſe peccando degeneraſſe in belluinam.* Item Arnoldus Carnotenſis: *Intelligebat Adam pellem ſuam pelli belluinæ conſimilem, imò pellibus nudo corpori ſuperindutus homo beſtia videbatur.*

*B. Thom. à Vill. N. tr. 6. poſt 1. Dom. Quadr.*

*Gen. 1.*

*Ibid.*

*S. Greg. Nyſſenus in vita Moyſis:*

*Arnold. Carnot. de oper. ſex dier.*

Et qua de cauſa in ſtatu innocentiæ beſtias homini obediſſe exiſtimatis, prout à Domino erat præceptum? at verò poſt lapſum, non ſolùm non paruiſſe, ſed nec ut Dominum agnoviſſe, quinimò cœpiſſe abalienari & feraliter inimicari? Cum ecce erigere pilos, ſtridere dentibus, rugire Leo, ululare lupus, inſultare urſus, ſævire tigris, mugire taurus & elatis terrere cornibus, horrendum in modum ſibilare ſerpens & venenum ſpargere: verbo uno, quotquot animalia ſilveſtria, rebellare omnia, & homini jam miſerrimo indicere lethalem pugnam. Sed unde iſta in beſtiis mutatio tam ſubita? domitæ erant & manſuetæ omnes: at jam feriſſimæ ſingulæ, neque facilè aliquis domet.

Fabuloſus Actæon curioſitatis pœnas dedit, à Diana in cervum converſus: & cùm puderet in publicum venire, latebras quærit, ſed in ſilvis à propriis canibus deprehenditur, qui non dominum, ſed feram agnoſcentes, ſubmiſſionis obliti & fidelitatis, latrando ferociter invaſerunt & dentibus diſcerpſerunt, nil curantes aut attendentes Heri lamenta & clamores:

Ovid. lib. 3. Metam.

*Actæon ego ſum, Dominum cognoſcite veſtrum.*
*Prima Melanchætes in tergo vulnera fecit:*
*Cætera turba coit, confertque in corpore dentes.*

Poſtquam lapſus eſt Adam in peccatum, videntes humanam effigiem in belluniam degeneraſſe, feram aliquam eſſe ſilvaticam æſtimantes, concitatæ ſunt beſtiæ & protitatæ in illum non ſecus ac in Actæonem canes. Ex quo jam liquet, in ſtatu peccati non hominem eſſe, ſed beſtiam. Chryſoſtomum aſſerentem audiamus. *Vide Adam, cùm nondum peccaſſet, beſtias tamquam ſervos & obedientes habebat: poſtquam autem aſpectum peccato commaculavit, tunc beſtiæ eum non cognoſcebant: & quæ ſervæ erant, ei hoſtes evaſerunt.*

D. Chryſ. Tom. 1. in Pſal.

Dedecori id fuit Patri Noëmo, à filio Cham verenda nudari, impudenter quidem, ſed non impunè, dum pænas Chanaan filius tulit. *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Sit Chanaan ſervus Sem.* Juſtè quidem multis de cauſis ea impudentia punitur. Neque hìc jam inquiro, cur filius innocens luat, & non, qui deliquerat, Cham pater ejus, in alium id locum reſervo expendendum. Hoc ſolùm inquiro, cur Noë maledixit tantùm, neque aliud ſupplicium exegit. Cur non ædibus expulit, ne ſub aſpectum rediret, in exilium relegando? Cur non paternam hæreditatem abſtulit, aut ſimile majus malum inflixit? Nihil horum voluit, ſed hoc ſolùm, ut ſervus fratribus ſuis eſſet. Certum eſt: *Pœna debet commenſurari ad delictum:* ita ut *ubi majus delictum, ibi major pœna requiritur.* Et quid ſupplicio ſervitutis cum irreverentia patri facta? Reſpondet ſanctus Chryſoſtomus: dominari eſſe homini proprium, illique ſoli convenire dictum in S. Scriptura, *Dominamini,* juxta illud, *Præſit piſcibus maris & volatilibus cæli & beſtiis, univerſæque terræ omnique reptili, quod movetur in terra.* Servire enim proprium tunc erat brutis: ideóque Noë, dum filii delictum ſervitute caſtigat, beſtiæ naturam peccando induiſſe declarat. *Peccatum autem* (verba ſunt D. Chryſoſtomi) *ubi intravit in hominem, homo libertatem perdidit, & corrupit poteſtatem naturæ datam. Peccando filius Noe in brutorum ordinem tranſivit, & hominis dignitatem amiſit.*

Gen. 9.

C. Non afferamus, 24. 1. P. ſanc. c. de pœn. D. 5. non affer. & ibi. not. gloſſ.

Gen. 1.

D. Chryſ.

Cain, ubi fratrem occidiſſet, proprio ore ſic mentem expreſſit: *Ero vagus & profugus in terra.* Cur ſilvas meditatur & deſerta in quibus habitet, ædes patrias derelinquendo? Quid ergo Cain? Aëris intemperiem non curas, aut noctis horrorem non times, ut ferarum more deinceps in nemoribus vivas? Quid faciam (ait) dum cogor? Peccato deformatus ſum, non jam homo, ſed beſtia, adeoque ut locato conveniens ſit locus, ſilvas quæro, non domum: deſerta jam volo, non ædes paternas: in nemore vepribus abſcondar, cum beſtiis impoſterum converſabor, in ſpelæis ferarum anxius ero, & inquietè illic obdormiam, ſi tamen potero. *Repulit eum à facie & à parentibus abdicatum ſeparatæ habitationis quodam relegavit exilio, eò quòd ab humana manſuetudine tranſiſſet ad ſævitiam beſtiarum.*

Gen. 4.

D. Ambr. l. 2. de Cain. & Ab. c. 10.

Quis hoc neſciat, etiam extrinſecùs membra concurrere, quò à brutis homo diſtinguatur. Cain igitur cùm jam ab homine ſituatione loci differret, voluit etiam externâ perſonæ apparentiâ, & membrorum transformatione, utique totus ipſe ex homine in belluam mutatus. Occurrit illi Deus, & ait: O quantùm mutatus es Cain! Facies in te non eadem, quæ priùs ſerena erat & elata. *Cur concidit facies tua?* Fortaſſis vultum attollere pudet? Aut iratus, quòd Sacrificium deſpexerim, oculos avertis, & vindictam ruminas? Hoc è cæteris unum, quo à brutis homo diſcerni queat, Ovidius adfert, hominem creatum eſſe capite ad cælum erecto, feras vero in terram demiſſo.

*Pronaq; cùm ſpectent animalia cætera terram,*
*Os homini ſublime dedit, cælumque tueri*
*Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.*

Ovid. 1. Metam.

Undè Cain vultu in terram depreſſo demonſtrat membra illa, quæ humana acceperat à natura, per peccatum belluina jam facta. *Quoniam igitur per iracundiæ atque livoris peccatum Cain ex homine in brutum tranſierat, idcirco deinceps, quod brutorum proprium erat, os atque lumina ad terram convertebat.*

Paulus Manap. T. 1. Antilog. 6. ſec. 12.

De Goliath aliquando audiſtis, ô Deus bone! quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aſpectu! fortiſſimos quoſque exercitûs Iſraëlitici duces terrebat, & ſeſe in fugam generoſiſſimi milites dabant. Neque hoc

mirum:

micum: fulgurare oculis, tonare voce, ſolâ manu permiſcere totam Iſraelis terram poterat. Et quis fulgura & fulminum ictus non metuat atque declinet? militem armatum turris hæc animata timidum ac trementem reddebat, vel ſemel etiam intuendo, & certamen hic quilibet abhorrebat. Unus inventus eſt, qui id auderet, quod omnium fugiebat & formidabat audacia. Paſtorculus ille, & quia ſtatutâ parvâ erat ac juvenis, maximam omnibus admirationem movit. Ad luſum fiſtulæ maximè natum aptumque putaſſent, ad dirigendos ovium greges in campis Bethlehemiticis, ubi non auditur tympanorum murmur, aut turbarum ſtrepitus. Quid? audebit ille, qui nunquam caſtrorum aciem, vix arma vidit, audebit inquam, ubi robuſtiſſimus quiſque & inter milites Saulis expertiſſimus trepidat & fugit? At illi omnes unâ voce quantumcumque diſſuadeant, animis conſtat, & magis magiſque

**1. Reg. 17.** accenſus ad certamen anhelat, dicitque nil videre, quod timeat *Leonem* (inquit) *& urſum interfeci.* Quid tamen animalibus illis crudelius dari queat? Adeſt hic D. Chryſoſtomus, & Davidis juvenculi expendit audaciam, ubi leonem occidiſſe & urſum, memorat:

**D. Chryſ.** *Erit igitur Philiſtæus hic quaſi unus ex eis?* Si cum beſtia iterum pugnandum illi ſit, bene concluderet, eſſetque pariformitas: Illas diſcerpſi & interfeci, neque huic faciam minùs. Non tamen potuiſſet aptior inveniri ſimilitudo: Gigas ille idololatra, & homo ſceleratus ac peſſimus, virtutibus atque Deo hoſtis infenſiſſimus, adeoque non cum homine, ſed cum immaniſſima beſtia certaturum conſiderat. Chryſoſtomi addo verba *Nocentes beſtias interfeci, hoc exemplo etiam iſtam immanem belluam provocem, pugnâ aggrediar, Dei populum de ejus manu eripiam & ipſum ut nocentiſſimam belluam Dei virtute percutiam.*

**Iſa. 50.** In Metropoli Judeæ Iſaias prædicabat, & peccatoribus iniquitates exaggerabat: *Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſit matrem veſtram, quia veni & non erat vir, vocavi & non erat, qui audiret.* Obſtupeſcit hic iterum Chryſoſtomus. Quomodò non erat vir? Millia hominum dicentem audiebant, & virum non fuiſſe quis credat? Non eſt (ait) mirum: erant peccatores omnes & ſceleſtiſſimi neque jam homines, ſed truculentæ feræ apparebant.

**D. Chryſ. in Iſa. 50.** *Audi Prophetam clamantem & dicentem in media Ieroſolymitarum Metropoli, ubi tot millia millium & tot multitudines innumeræ: Veni & non erat homo; vocavi & non erat qui audiret. Non dixit, qui non aderant, ſed quia præſentes nihil meliores erant, quàm ſi non fuiſſent præſentes.*

Quærunt ſancti Scriptores, cur Verbum caro factum ſit, non Pater, non Spiritus ſanctus. Reſpondent iidem. Cùm Pater improductus ſit & innaſcibilis in Divinis, & Spiritus ſanctus procedat non ut genitus, ſed ſpiratus, non ut Filius, ſed ut Amor, neque productio ejus generatio ſit, ſed ſimplex emanatio, nec Patri, nec Spiritui ſancto incarnatio conveniebat. Unde Verbum, cùm procederet à Patre ut Filius & genitus, convenientiùs caro factum eſt.

Opinionem hanc veneror, ſed ſalvâ illorum pace, cum Job Monacho ſentiam, & rationem hanc ſequar: *Quia verbum eſt eſſentialiter imago, ut homini imaginem Divinam imprimeret, Verbum quod eſt imago Patris, caro factum eſt.* Maneamus: Deus homini imaginem impreſſit **Gen. 1.** quando creavit. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Non ergo neceſſe erat incarnari, ut imaginem homini daret: jam enim acceperat. Verum hoc fateor, ſed per peccatum amiſerat, & ſimilitudinem beſtiæ induerat, *Comparatus eſt jumentis, & ſimilis factus eſt* **Pſalm. 48.** *illis.* Quapropter in Sanctiſſimæ Trinitatis Concilio decretum eſt, ut Verbum, *quod eſt imago Patris,* carnem aſſumere, ut deletâ ſimilitudine **Iob. Monachus.** belluinâ, imaginem Dei reimprimeret *Homo imaginis Dei honore olim cohoneſtatus, à feliciſſimo excidens ſtatu, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Ideò nimirùm Verbum & imago ad eos, qui in irrationabilitatem lapſi erant, acceſſit, ruinam noſtram reparans, & nos in priſtinam libertatem poſtliminio jure revocans.* Ita Monachus ille. Conformiter modernus aliquis Doctor: **Andr. Pont. Ramir in Cant. l. 3. c. 4. v. 8. §. 5 num. 13. 37.** *Brutorum cum moribus brutam etiam quodammodò faciem induerat anima, Dei, ad quam creata fuerat, imagine deletâ. Accedat ergo potiùs Filius, qui inter ceteras perſonas, quia Verbum eſt, eſſentialiter eſt etiam imago, & evertens brutam effigiem, illam primam refingat iterũ, quaſi obſcuræ jam ceræ denuò ſigillũ reimprimatur.*

Unde ſanctus Joannes Evangeliſta de myſterio hoc ineffabili ſcribens, his utitur terminis, *Et Verbum caro factum eſt.* Si à Verbo aſſumpta eſt caro, anima & corpus, ex quibus conſtituitur homo, & in quibus natura humana conſiſtit, **D Athan. in ſymbol.** cur potius non dicit, *Verbum homo factum eſt? Ex anima enim & corpore conſtituitur homo,* ait ſanctus Athanaſius. Reſpondet & reſolvit citatus **Andr. Pont Ramir ubi ſuprà.** Author: *Cùm revera natura humana ex carne & anima conſtet, cur dicitur aſſumpſiſſe carnem, & non*

*& non naturam humanam? Quia ſic jam natura bruteſcebat, ut nihil ſpiritualis animæ, ſed totum carnalis conditionis ſortiri videretur.* quia in carne illa (obſervandum tamen eſt, non fieri mentionem de ea quam Verbum aſſumpſit, perfectiſſima namque erat, & nullâ culpæ labe fœdata, ſed de carne humana ut ſic, & in genere) indicium non erat, neque ullum humanitatis veſtigium.

Ut ſummatim dicam, quæ diſtinctio ſit inter hominem & beſtias, non video, niſi quòd magis ad brutalitatem homo ipſe accedat: illæ enim etiamſi ratione carentes, ſentiunt tamen & dolent, cùm objectum calamitoſum movet, & cruciat. Quid dico de homine peccatore? Pejor eſt ipſiſmet creaturis inſenſitivis, quæ licet non ſentiant, ex inſtinctu naturæ ſaltem ſigna compaſſionis oſtendunt: nec hoc ipſum peccator præſtat.

*Matt. 27. Marc. 1. Luc. 23. Num. 14. Ioſue 7. 1. Reg. 4. 1. Reg. 1. Iudith. 14. Eſt. 14. Iob. 1.*

Cum penderet in cruce Chriſtus, tam vehementer cruciabatur, ut dicant Evangeliſtæ: *Velum templi ſciſſum eſt.* Quid ſibi vult hæc ſciſſio? Ex ſacra Scriptura habemus, ſciſſuram veſtium eſſe luctus indicium. Sic Nun & Caleb *ſciderunt veſtimenta ſua.* Joſue, eò quòd tria millia militum perdidiſſet, *ſcidit veſtimenta ſua,* Benjamita arcam à Philiſtæis eſſe captam denunciat *ſciſſâ veſte.* David Saulis mortem intelligens *veſtimenta ſua ſcidit.* Vagao Holofernem Dominum ſuum occiſum videns, *exclamavit voce magnâ cum planctu, & ſcidit veſtimenta ſua.* Et alibi paſſim. Unde velum templi in paſſione Servatoris noſtri ſciſſum eſt defectu alterius veſtis ad expreſſionem doloris, quem non ſentiebat: attamen Hebræi nullum dederunt triſtitiæ ſignum: erant enim duriores ipſis petris, ex quibus templum conſtructum. † *Hac Iudæorum conſuetudine* (ſcribit ſanctus Cyrillus) *templum Dei quodammodò uſum, cum Chriſtus expiraſſet, velum quaſi veſtem ſuam ilicò ſcidit, quod divinitùs ideò dixerim eſſe factum, ut ſanctum Dei Templum populi cauſam lugere videretur.*

*Timoth. Presb. in Orat. de S. Sim. Proph. in Biblioth. vet. PP. Tom 4. † lib. 12. in Iob. c. 37.*

Citiùs numeret aliquis arenas maris, aeris atomos, aut cæli ſtellas, quàm exponat omnia mala quæ peccatum excitat in anima peccatoris. Non jam perpendam quid dicat Prudentiùs:

*Hym. 3. per iſt.*

*Peccante nil eſt tetrius,*
*Nil tam leproſum, aut putridum:*
*Cruda eſt cicatrix criminum,*
*Oletque ut antrum tartari.*

*In c. 4. Matth.*

*Peccata dicuntur umbra mortis,* (ait Hugo Carenſis) *quia ſicut umbra ducit corpus, ſic peccata ad mortem æternam. Et quia ſine corpore non eſt umbra, ſic nec peccata ſine morte æterna. Qui ergo vult fugere hanc mortem, evitet hanc umbram.*

*Apud Novar. 3. ſelect. n. 232.*

Faſcinum eſt, ſi Agellio credimus, ubi de Davide peccatore ſic loquitur: *Et velut faſcino quodam voluptatis conſopitus erat.*

*Lib. 2. in Matth.*

Venenum, & hoc mortiferum, ut habet Paſchaſius de peccatore ita diſſerens: *Veneno iniquitatis ilicò peremptus eſt.*

*Hugo Carenſ. in Pſ. 59.*

Scorpius eſt caudâ enecans, aſſerit Hugo, qui ſuprà Scorpionum modum & naturam habet peccatum, facilè blanditur, & caudâ pungit & venenat.

Gladius eſt anceps teſte Iſaiâ Prophetâ. *Iſa. 30. Romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Sauciat corpus & occidit animam.

*Homo 28. in Epiſt. ad Rom. Item Hom. 17. ad popul.*

Dæmonium eſt, & tyrannidem exercet in homine. *Voluntarius dæmon eſt peccatum, ſpontaneaque inſania,* Chryſoſtomus & alibi concludit: *Magnus dæmon peccatum eſt.*

Miſeret me, Thoma, quod in miſeriarum abyſſum per infidelitatem incideris, quando non *erat cum eis.* Quis ærumnoſum hunc ſtatum attendens, non moveatur & horreat, imò toto etiam corpore contremiſcat? O te ferreum dixerim, qui periculis iſtis non es commotus! Eheu! quot tamen ſunt qui tanto in diſcrimine lætantur, exultant & epulantur! Sordibus immerſi ſcelerum fæce paſcuntur: ſpinis undique circumdati jacent, neque tamen aculeos ſentiunt: in tenebris ſedent, quia impediunt, ne Lux divina illuminet: concupiſcentiis illaqueantur & ſuffocantur, eò quòd aerem divinæ gratiæ puriſſimum, ſpiritu non ducant; ad cæleſtem patriam non aſpirent, Paradiſi gloriam non ambiant neque divitias æternas exquirant. Et, quod ſanguineis deplorandum lachrymis, dicit impius in corde ſuo: *Infernus domus mea eſt.* (*Iob. 17.*) Parùm refert. Quid mihi cum gloria? Deus ſibi ſervet & Sanctis ſuis; nil horum curo, neque Deum ipſum: ſenſualitatibus meis indulgendum, libidini ac luxuriæ meæ parendum eſt. Hic petræ duriſſimæ conterantur, ſi non ſenſu careant. Lugete vos vos, inquam, beati ſpiritus, deplorate hujuſmodi hominum cæcitatem & veſaniam maximam. O Deus! In inferno propemodùm verſari, & non agnoſcere! Cælum prodegiſſe, nec pœnitere! Hoſtem Dei capitalem ſemper eſſe ſecundùm præſentem juſtitiam,

& vi-

& videre, non dicam ſiccis oculis, ſed vultu lætiſſimo & in cordis lætitiâ pertranſite!

D. Ant. Abb. ep. 4. ad Fratres Tom. 4. Bibl. vet. PP.

Audite quomodò deploret Magnus Ægypti Abbas S. Antonius: *Eos defleo, qui intuentes longitudinem temporis, puſillanimes effecti ſunt, & ſpoliaverunt ſe pietatis amictu, facti ſicut beſtiæ.*

S. Thom. à Villa-Nova in Dom. 3. Advent.

Non moveat modò, ſed confundat zeloſiſſimus Verbi Dei prædicator Valentiarum Archiepiſcopus ſanctiſſimus Thomas à Villa Nova: *Non te pudet, homo cùm ſis, vitam agere belluinam, comedere, bibere, dormire, luxuriari ut brutum. Homo in te mortuus eſt, ſolum brutum vivit, ſolam hominis effigiem habes: nam in reliquo bellua es.*

Certum hoc mihi eſt, ſi miſerandi peccatoris ærumnas attente penſatis, vel ſola peccati cogitatio ſpecieſque perturbabit. Cavete ergo & malorum hanc iliadem fugite. Fortaſſis Thomam ſecuti eſtis errantem, non pigeat eundem proſequi & imitari pœnitentem.

Quidam ſancto Thomæ trullam in manu appingunt, quòd Rex Indiarum ingentem auri ſummam illi dediſſet, ut palatium extrueret. Pecuniam acceperat ſed pauperibus liberaliter erogandam duxit & fecit. Elapſo jam biennio tranſiit & indignatus eſt Rex, quòd nè vel primum laterem poſuiſſe cerneret: at ei ſtatim Apoſtolus ait: Erectum eſt in cælo: ſtructum videbis ex argento, auro & lapidibus pretioſiſſimis. Ecce quid præſtent illi tui nummi, quos in eleemoſynas pauperum ſcito à me converſos. In cælo palatium fortè prætenditis, cùm hinc migrandum? Egenis & miſeris amore Chriſti, viſcera charitatis exhibete, date eleemoſynam. Ad alteram partem jam imus.

## PARS SECUNDA.

Eckius ſerm. 2. de S. Thom.

*INſer digitum tuum huc, mitte manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. O ingentem Domini miſericordiam! ô immenſam pietatem Chriſti! qui labi quidem permiſit Diſcipulum in incredulitatem, ſed ipſum in ea non deſeruit, dicente Davide: Cùm ceciderit Iuſtus, non collidetur: Dominus enim ſupponit manum ſuam.* Et verè quibus non utitur mediis, quâ non explorat viâ, ut hominem è ſtatu peccati eripiat? Velit iterum crucifigi, clavis transfigi, lanceâ perforari, ut peccatorem unicum liberet, paratus pro illo ſolo de novo incipere omne, quod pro toto mundo redimendo peregit. An non idipſum in Thoma effectum videmus?

Fr. Tolet.

Quid, putatis inferre volebat, cùm reverſus ad Apoſtolos intuitus eſt Thomam? dicens: *Infer digitum tuum huc*; Vide Thoma, quàm tui me miſeret, cùm in hoc ſtatu intueor: ut te liberem, ſi opus erit, de novo crucis tormenta ſuſtineam, non modò patienti, ſed & gaudenti & libenti animo perferam. *Fiat ſicut dixiſti & ceſſet tanta crudelitas.* At jam Hebræorum furor ſedatus eſt, neque clavi ad manum, adeoque, ſi iubet, tu ipſemet tortorem agas: ecce vides humanitatem meam, ut placet, hanc tracta: ſi deſint clavi, ut manus has perfores, digitis utere: *Infer digitum tuum huc.* Et ut latus aperias, pro lancea manus tua ſit: *Mitte manum tuam in latus meum*, & de novo inſtinge, dummodò ſic iterum priſtinæ libertati ſis reſtitutus, infidelitatis malum deteſtando. *Cur en vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera ſic reſultat? Cur latus quod impii militis lancea patefecit, refodere manus nititur obſequentis? Vt Thomas Chriſtum crederet, iterum pati compulit.* Ita S. Petrus Chryſologus.

D. Petrus Chryſol. apud Avendagno.

S. Aug.

*Oſtendit latus & manus.* Thomas in infidelitate infirmus jacebat: Chriſtus autem ut peritiſimus Medicus adeſt, ut erigat & ſanet. *Magnus de cælo deſcendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.* Vas illi offert plenum unguento pretioſiſſimo proprii Sanguinis: ut meritò alluſerit Poeta.

*Pharmaca ſunt potiùs, quàm vulnera, vulnera Chriſti,*
*Curat enim plagis vulnera noſtra ſuis.*

Pſal. 78.

D Bern.

D. Chryſ.

*Oſtendit latus & manus.* Thomas pauper erat & mendicus, poteratque jam cum Pſalmiſta precari: *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, quia pauperes facti ſumus nimis.* Ut eum theſauris cæleſtibus ditet, ærarium Sacratiſſimi Vulneris pandit: quia *Arca totius boni eſt*, ait S. Bernardus, S. Chryſoſtomus nominat *Marſupium Divinitatis.* Ab aliis dicitur *Apotheca Divinorum munerum.* Omne itaque bonum illi exhibet, argentum & aurum proprii Sanguinis largiendo. *Felix manus, quæ Dominici pectoris ſecreta rimavit!* (exclamat S. Thoma à Villa Nov.) *quas divitias non intus invenit? An illo pectore Thomas grandes theſauros reperit ſcrutando?*

Io. Lanſp. ſerm. 3. Paſch.

D. Thom. à Villa N. in octava Paſch.

Pſal. 118.

*Oſtendit latus & manus.* Erat Apoſtolus ovicula errabunda. *Non erat cum eis*, ut meritò cum Propheta dixiſſet: *Erravi ſicut ovis quæ periit.* En ſollicitus Paſtor, qui ut ad Catholicæ fidei

ovile

ovile reducat, ſacratiſſimorum vulnerum paſcua oſtendit. *Mitte manum tuam in latus meum.*

*Oſtendit latus & manus.* Scipio Africanus, ut gratiam à Senatu impetret, pectus nudat ut cicatrices oſtendat vulnerum, quæ pro tuenda patria ab hoſtibus exceperat. Sapientia incarnata, quò Thomam ſibi devinciat & ad veram fidem aliiciat, pectus aperit, in manibus & latere cicatrices oſtendit *Mitte manum tuam, &c.*

*Oſtendit latus, & manus.* Machabæi ut elephantes ad bellum provocarent, ſanguinem oſtendebant. Ecce Thomas velut Elephas, timidus & trepidus ob mortem Salvatoris, qui ut ad conflictum contra infideles accendat, ſanguinem monſtrat, & adhuc recentes plagas. *Mitte manum tuam in latus meum.*

*Oſtendit latus, & manus.* Redemptor noſter Thomam expedite intendebat ad lucrandas uſquequaque in mundo animas: ideò ei Diploma Authoritatis ampliſſimæ exhibiturus, ſigillum prius Redemptionis humanæ imprimere voluit, vulnera, inquam, adhibere. *Mitte manum tuam in latus meum.*

*Oſtendit latus, & manus.* Falco, ubi è manibus aucupis avolavit, oſtenſo corde revocatur & paret. Ut Thomas ad fidem redeat & ad Apoſtolicum cœtum, cùm *non erat cum eis.* Salvator nudo pectore cor nedum oſtendit, ſed manibus dat contrectandum. *Mitte manum tuam in latus meum*: & ſic donato corde Apoſtolum ab errore revocavit.

*Monſtrando Chriſto dal coſtato il core.*
*Traſſe Tomaſo dal paſſato errore.*

*Oſtendit latus, & manus.* Thomæ refrixerat manus ab opere, Dominus autem calefacit, dum manum in ſinum extendi jubet, ut ab ardore fornacis incaleſcat. Ad quem modum pia mater cum puero facit, quem frigori expoſitum cernit manum ejus ad pectus admovet, ut citò caleſcat.

Io. Bapt. Mar.

*Coſi del ſuo tremante Pargoletto*
*Nella fredda ſtagion madre pietoſa*
*Si pon' la man' per riſcaldarla petto.*
*Mitte manum tuam ad latus meum.*

*Oſtendit latus, & manus.* Diſcipulus ille adhuc in hyeme infidelitatis, refrixerat in amore, cùm non crederet, nunc eſſe ver glorioſæ Reſurrectionis. Ideò etiam apertè dicebat: Niſi ipſemet antè videro & hiſce manibus in horto floridiſſimæ Humanitatis ego ipſe roſas purpureas decerpſero, non credam, neque facilè umquam mihi aliter perſuaſum ſit. Ecce, mi Thoma, hortum habes floridum, manus extende, roſam collige pulcherrimam: plagam dico, lateris mei continge. *Mitte manum tuam in latus meum.* Et, videre, ſubitò depulſis mente dubitantis tenebris, ver eſſe credidit Dominicæ Reſurrectionis. *Dominus meus, & Deus meus.*

*Oſtendit latus, & manus.* Salem Agrigenti in Sicilia in aquam projicias, ſtrepet & ſtridebit, ſed (quod mirum eſt) in igne liqueſcit inſtar ceræ. Pro ſale ſunt Apoſtoli. *Vos eſtis ſal terræ. Matth 5.* Thomas itaque ſal Apoſtolicus in aqua infidelitatis ſtrepebat & ſtridebat: *Niſi videro & tetigero, non credam.* At ubi repoſitus in ardenti fornace vulnerum Chriſti: *Mitte manum tuam in latus meum*, ad modum ceræ liqueſcit: *Dominus meus & Deus meus!* Petr. Dam. opuſc. 36. c. 10. Alex. Taſſ l. 3. q. 5.

*Oſtendit latus & manus.* In Epiro fons eſt frigidiſſimus, facem tamen extinctam immitte, & accendetur. An non meritò Thomam dixero facem (*Vos eſtis lux mundi*) ſed extinctam & ſine lumine fidei? *Non credam.* Accenditur in fonte, in vulneribus inquam Chriſti, ſic ut amore ſtatim ardeat & fide. *Dominus meus, & Deus meus!* Petrus Dam ib. Matth. 5.

Unde Apoſtolo tantum deſiderium videndi & tangendi vulnera Chriſti? Perſuaderi mihi non difficulter hoc poſſit, de Reſurrectione Magiſtri non dubitaſſe, utpote cùm toties antè dictum & repetitum, *poſt tres dies reſurgam*, & ab eo quidem promiſſum, in quo nihil eſſe falſum poſſe, nil ſimulatum, conſtanter tenebat. Sed hoc faciliùs credam, deſiderio quodam tentum, & piâ cupiditate videndi plagas Salvatoris & tangendi, ac, ne diutiùs premeret anhelantem, ſic in ſe cogitaſſe auguror: Dicam me reſurrectionem non credere, & illâ viâ Dominum movebo, ut me certum reddat, vulnera oſtendendo: & hoc eſt quod velim. Ita ſciens prudenſque fecit Dalila. De Samſonis amore non dubitabat, ſed ut ab eo ænigma intelligeret & explicatum problema, atque ita à Philiſtæis promiſſum obtineret, hoc modo proceſſit: Tu me ames? Non credo. Samſon, ut fictâ credulitate Dalilam liberet, ænigmatis propoſiti dat ſtatim ſolutionem. Audite ſimulata verba. *Odiſti me & non diligis, idcircò ploblema propoſitum filiis populi mei, non vis mihi exponere.* Id ipſum liceat de Thoma piè opinari. Sed in curioſitate ſum & cupiditate ulteriùs inveſtigandi, quid ſic Apoſtolum movit & cupidum reddidit. Attendite (NN) an veritatem aſſequar, & rem (ut ajunt] acu tangam. Matt. 27. Iudic. 14.

Vene-

Venerat in hunc mundum Æterna Sapientia, ut fideles gratiæ gigneret, quo modo ex equo Trojano producti ſunt tot generoſi milites, aut verò quomodò Paulus Evangelio Galatas ſe pariturum dixit. *Filioli mei quos iterum parturio.* *Galat. 1.* Cardinalis Seripandus interpretatur: (Putabam ego Evangelii prædicatione jam Chriſto vos me peperiſſe : ſed veſtræ ſalutis causâ, ſummos iterum ſuſtineo labores atque animi cruciatus, non aliter ac gravida mulier, quæ laborat, ut pariat. *In hunc loc.* Singularem amorem, ſummum dolorem, ſanctiſſimam æmulationem his verbis expreſſit Primaſius ſic : (Per Evangelium in lucem producti, & per doctrinam geniti) *Ibid. Tom. 6.* S. Hyeronimus in hæc verba Iſaiæ : *A timore tuo Domine concepimus, & parturivimus filios ſalvationis tuæ,* *Idem Tom. 4. fol. 123.* hoc ſenſu exponit : *Concepimus, parturivimus & peperimus, non carnis liberos, ſed ſpiritus.* Unde ſicut mulieris gravidæ deſiderium vehemens in fœtum uteri imprimitur & connaſcitur: antequam in ligno crucis nos gratiæ gigneret Chriſtus moriendo, maximo plagarum deſiderio æſtuaverat : ita ut meritò in ejus perſona loqueretur Propheta : *His plagatus ſum in medio eorum, qui diligebant me.* *Zacha. 13.* Et alius : *Foderunt manus meas & pedes meos*, *Pſal. 21.* non quantùm ad effectum tunc, ſed quantùm ad affectum & deſiderium. Deſiderium hoc plagarum magis in Thomam quàm in Apoſtolos reliquos à Chriſto transfuſum : adeoque (piè ſic liceat) credidit Thomas, ſed non credere ſimulavit, ut ſic ardentiſſimo deſiderio ſatisfaceret, plagas illas veneranter attingendo : *Niſi videro & tetigero, non credam.* Animum ejus ſatiavit Redemptor & contentum reddidit, cùm ait: *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum.* O quantum Thomæ hoc gaudium ! quanta ex contactu vulnerum Chriſti reſuſcitati conſolatio ! Quàm læto animo eructat hoc verbum, *Dominus meus, & Deus meus* ! An non ita cum Auguſtino, *Per has rimas licet mihi guſtare quàm ſuavis eſt Dominus Deus meus?*

Si hoc me Dominus dignaretur favore, ut plagas oſtenderet, de me ſic illi promitterem, me fore præ reliquis diſcipulum fideliſſimum. *Didymus* mihi nomen eſt, id eſt, *Geminus*, & ut ſic confiteor in Salvatore meo duas eſſe naturas : *Dominus meus*, ecce humanam : *Deus meus*, ecce & Divinam. *Iord. de Saxon. ſerm. 2. de S. Thom.* *Appellatus eſt Didymus, id eſt, geminus, propter geminam naturam, quam cognovit in Chriſto, Divinam ſcilicet, & humanam. Et cognovit Chriſtum eſſe ſuum Dominum, & ſuum Deum, quorum unum erat ad humanitatem, & aliud ad divinitatem referendum.*

Ex vulneribus Chriſti ceu Areopago ſummam Theologiam hauſit & profeſſus eſt Catholicam fidem. *Qui priùs infidelis fuerat, poſt tactum lateris optimum Theologum ſe oſtendit : nam duplicem naturam Hypoſtaſi Chriſti aſſeruit, dicens, Dominus meus & Deus meus! Confeſſus eſt unum eundem Deum & Dominum* *Theophil. apud Iord. ubi ſuprà.*

Obſervaſtis unquam [NN] quo loco ſit ab Eccleſia poſitus Thomas in Miſſæ Canone inter *Communicantes*? Inter alios Apoſtolos ſexto: nec ſine myſterio inſtinctu Spiritus ſancti ita factum. Chriſtus duodecim diei horis Apoſtolos comparavit. *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* *Ioan. 11.* Et quis neſcit, ſextam diei horam eſſe luminoſiſſimam & ſplendidiſſimam? Eoque adducor ut credam, non ſolùm ex Solis conſtitutione, ſed magis ex irrefragabili S. Joannis Evangeliſtæ teſtimonio : *Hora ſexta diei clarior eſt.* *Ioan. 1.* Et cùm apud nos hora diei ſexta tempus meridianum ſit dicente Iſaiâ, *Meridiana lux clara eſt*, non puto tamen hîc poſitivè intelligendum : nam etiam reliquæ horæ diei claræ ſunt, ſed comparativè ad alias horas q. d. *Clarior eſt lux meridiana.* *Iſa. 18.* Thomam ergo ſexto loco eſſe poſitum, horam ſextam repræſentante, quæ eo quòd in meridie ſit, clarior eſt & ferventior, an non hoc expreſſum à Spiritu ſancto indicium nobis eſt, cum ſic inter Diſcipulos aliquando futurum? S. Vincentius Ferrerienſis affirmat : *Inter Apoſtolos B. Thomas, quia ore confeſſus eſt fidem, fuit clarior.*

Ecquæ, putatis, eſt ratio, cur Thomas cum lanceâ depingatur? Reſponderet quis veſtrûm, nec malè: Apoſtolus hic in horto Humanitatis Chriſti rubentem collegit roſam ex vulnere lateris, unde lanceâ, ſpinâ inquam, pungi debuit, *Pierius lib. 55.* ut verum ſit : *Roſa rubet & pungit. Quiſquis roſas colligit, aculeos ſpinarum neceſſariò patitur.* *Hugo Card. in Cant. 2.* Thomas itaque lanceâ trucidatus, martyrium ſubivit, & in ſignum, manu lanceam geſtat. Reſponſio hæc bona eſt, ut dixi : poſſet tamen retorqueri in Apoſtolum Petrum, qui in cruce martyr effectus, non tamen crucem manibus geſtat, ſed claves. Audite quò mea tendat conſideratio. Antiqui fidem olim ſic exprimebant : Hominem pingebant & in manu lanceam, adjecto verbulo *Fides.* Eo modo Commodus Imperator monetam cudebat & in hâc civibus monitum, principibus fidem deberi, eamque ſervandam, & erectâ ſemper lanceâ pro ea moriendum. Hunc Thomæ honorem S. Mater Eccleſia

detulit, antonomaſticè Defenſorem fidei declarando.

Mira leguntur de ſancto hoc noſtro Apoſtolo, eoque credenda, quòd à gravibus Scriptoribus ſunt relata. Et hoc è ceteris unum, quòd in Civitate Malipurenſi factum erat in colle Sacellum, eò quòd affirmarent incolæ, in eo loco Thomam fuiſſe à Religionis hoſtibus interfectum. In illo colle invēta eſt crux in lapide inciſa, in cujus faſtigio columbæ imago inſidebat: baſis verò erat in ſpecie quadam herbarum, quæ diffundi latiſſime videbantur, collocata: & tam veſtigia quàm baſis & brachia in liliorum formam deſinebant. Crux verè prodigioſa, non modò quantum ad formam, ſed & miraculoſos effectus. Octo diebus ante Natalem Chriſti, ſanguis ex illa incredibili copiâ dimanabat, idque in annos ſingulos. Et ſi quandò fluxus ille ſiſtebat, prognoſticō erat infortunii quod civitati jam im̄inebat.

*Baronius Tom. I. ad Ann. Ch. 57. Hieron. Oſorius Silven. Epiſc.*

Sed hoc paradoxum, quod addo ex D. Dionyſio Carthuſiano. In civitate Ulna Eccleſia eſt excelſa in ſummitate montis, in qua corpus Apoſtoli tamquam vivens & erectum cernitur. Ante ipſum lampas pendet aurea, balſamo plena cum catena argentea, quæ ſemel accenſa, ab anno in annum ſine diminutione luminis ac balſami reperitur, quo omnes ægri ſanantur. Eſt autem Apoſtolus talis formæ, qualis adhuc vivens fuerat. Facies ejus ac ſidus rutilat, capilli rubei uſque ad humeros deſcendunt: barba ruſa & criſpa, veſtis dura & integra. Mons ipſe lacu circumdatur profundiſſimo, neque ulli tranſitus liber eſt, niſi ſemel in anno, idque diebus octo ante Feſtum ejus cùm aqua decrevit, ut acceſſus adventantibus pateat, qui undique in maxima frequentia confluunt. *Die itaque ejus ſolemni Patriarcha cum ſuffraganeis pontificalibus indutus ingrediens, poſt celebrationem Miſſæ, hoſtias conſecratas in patena genibus flexis offert Apoſtolo, qui miraculosè manum aperit & ſingulis porrigit. Si accedit infidelis vel peccator mortalis, manum retrahit, donec ille convertatur vel ſubitò moriatur.* Peracto officio & Corpore Apoſtoli repoſito, populus ad propria remeat, & lacus redundans, montem, ut priùs, circumdat. Hæc Patriarcha Joannes in propria recitavit perſona: & eadem à Rege Indiarum poſtmodùm Calixto II. Pontifici relata: quibus auditis ſanctiſſimus Pater cum Clero & populo Romano qui aderat, manibus in cælum extenſis Chriſtum benedixerunt, qui tanta miracula per beatiſſimum Apoſtolum Thomam annue operari dignatur. Ideò, putem, ut populus ille, qui facile à fide Chriſti declinare ſolitus, conſtet, & indies accreſcat: ut pro excellenti & ſingulari hoc zelo meritò ſit vocandus Fidelis Apoſtolus, utpote qui fidem in vita, in morte, & poſt mortem conſervavit & miraculis promovit.

*Dionyſ. Carth. ſerm. 3. de S. Thom.*

Audiviſtis, Auditores, repeti toties idem nomen, ſemper *Thomas, Thomas*: monuiſſetis ſaltem, ut litterulam unicam primam variarem in N. & loco *Thomas* fuiſſet *No mas*, quod eſt non ampliùs. Itaque ſatis, *No mas.* Ite in pace.

# DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

## ARGUMENTUM.

Ea eſt pœnitentiæ dignæ virtus, ut non ſolùm amiſſa per peccatum reparet, gratiam redintegret, innocentiæ ſtatum reſtituat, ſed peccatores pœnitentes hominibus juſtis (ſi fas eſt dicere) anteponat & gratiores Deo reddat: non tamen eſt differenda.

## THEMA.

*Venit Ioan. in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptiſmum pænitentiæ.* S. Luc. c. 3.

PEſſimis, & extremis Noemi temporibus, tam enormia erant ſcelera, tantæque hominum libidines, ut eas capere ac ſuſtinere non rerum natura poſſet, neque Author ipſe Deus diutiùs vellet. Quare iratus eſt, & juſtè, qui ut merita compenſat, æquè delicta caſtigat: cælum armavit & terram, ut neſaria & infinita crimina ulciſceretur: cataractas cæli diſrupit, & non jam fulmina, ſed horribili ſtrepitu aquarum immiſit inundantiam, adeò ut mare redundans rapidiſſimis crudeliter ſæviret fluctibus, non modò agros & integras civitates abſorbens, ſed etiam pecora & homines: non jam terra benigna parens, at noverca immitiſſima hominibus moribundis, non herbas,

bas, non flores germinans, ſed flumina evomens, mundum univerſum penitus ſubmerſura, ut ita pro graviſſimis delictis non levius fieret ſupplicium. Verumtamen quo rigidiùs tunc urgebat Divina juſtitia, hòc jam benigniùs invitat clementia, cùm non ad mergendos homines diluvium immiſit, ſed Joannem Baptiſtam præcurſorem expedit, qui peccatores ad pœnitentiam invitet & ex ſtatu vitæ perditiſſimo ad bonam frugem reducat. *Erat Ioannes in deſerto prædicans*

Luc. 5.

*Baptiſmum pœnitentiæ.* Pœnitentiam Joannes prædicabat: illam, inquam, quam Chriſtus exhibuit, Prophetæ commendarunt, Patriarchæ obſervârunt, & Sancti omnes amplexati ſunt. Ad illam hodie vos adhortor, quæ ex ſervitute diaboli liberat, & filios Dei reſtituit: ex inferni abyſſo reddit cœlo, & cives conſtituit: æterna tormenta in gaudia tranſmutat numquam terminanda. *Si ſemel aliquis vel ſecundò peccaverit* (S. Auguſtini

S. Aug. Tom. 10.

doctrina eſt] *& ſine aliqua diſſimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora, & forſitan ſine aliqua fœlicitate recipiet.* S. Chryſoſtomus idcirco ad pœnitentiam provocat his verbis: *Peccaſti: Pœnitere. Millies peccaſti? millies pœnitere.* Et ego Præ-

Hom. 2. in Pſ. 10.

curſoris verbis ſingulos moneo: *Facite fructus dignos pœnitentiæ* S. Auguſtinus etiam conſulit: *Non erubeſcat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere.*

Tom. 10.

Interea dum vos ad illam diſponitis, clarè oſtendam pœnitentiam illam eſſe, quæ totum reſtituit, quod per peccatum ablatum, majuſque per eam accedere lucrum & commodum, quàm per culpam antè fuerat illatum damnum: periculoſam tamen eſſe & ancipitem ejus dilationem. Materia ſanè utilis eſt & hominibus omnino ad ſalutem neceſſaria, atque adeo dicentem attendite: ne graviter feratis, agam quàm breviſſimè potero.

## PARS PRIMA.

V*Enit Ioannes in omnem regionem Iordanis.* Magna vis pœnitentiæ: Si peccatum animas maculet, pænitentia purificat: ſi illud debilitet, iſta vires deperditas reſtaurat: ſi febris ſit maligna animam dejiciens, illa eſt antidotum præſtantiſſimum quod eam curet & ſervet. *Hic eſt fons pu-*

Fer. 6. poſt Dom. 1. Quadr.

*riſſimus* (ait S. Thomas à Villa Nova) *& potentiſſimus tantæ virtutis, ut omnes animæ maculas tollat, & illam purificet, & mirabili potentia renovet, & rejuveneſcere faciat.*

Peccatum eſt ſerpens, è latibulis emergit inferni, ſeu potiùs pravæ noſtræ concupiſcentiæ, dixerim: linguâ tricuſpide lædit & perimit: quia facit nos languidos debilitando, leproſos inficiendo, & mortuos, gratiam & charitatem, per quas vivimus, tollendo. Pœnitentia verò quæ omninò adverſaria eſt, languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat: nam contra hæc tria, videlicet languorem, lepram & mortem, ſanitatem dat, auget & conſervat.

Ægid. Card. de lau. Div. Sap. c. 8. Idem.

Peccatum eſt Cerberus triplex, & ore triplici immaniter dilaniat. Facit nos claudos ne in bonas actiones tendamus: aridos, ne ex bonis actionibus fructum faciamus, cæcos, ne hujuſmodi bonas actiones videamus. Pœnitentia autem damna reſarcit, & quicquid deperditum, reſtaurat. Pœnitentia ergo omnibus his, quæ conſequuntur per culpam, ſe opponens, claudis reſtituit greſſum, aridis copiam bonorum fructuum, cæcis reſtituit viſum.

Idem ubi ſuprà. Idem.

Numquam peccatum approximat animæ, quin crudeliter feriat: ſed neque pœnitentia adeſt, quin curet & ſanet. S. Chryſoſtomus ita teſtatur: *Peccatum vulnus eſt, pœnitentia impacti vulneris medela: quemadmodum in corpore medicina & vulnus: ſic in anima peccata & pœnitentia: In vulnere ſanioſa eſt putredo, & in medicamine expurgatio putredinis.*

In Iſa.

Confirmat S. Auguſtinus. *Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat: omnia ſanat, omnia redintegrat, omnia lætificat: ſanitatem auget, claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum: temperat ſucceſſus, conſtringit impetus, moderatur exceſſus.* Si temetipſum non noſti pœnitentiæ ſpeculum intuearis, & tuam deformitatem videbis. Si ſenſuum illecebris abſtractus per vias iniquitatis aberras, pœnitentia ex hoc te labyrintho educet & diriget. *Ignorans ſe per hanc ſe recognoſcit: quærens ſe, per hanc ſe invenit.*

Tom. 4. c. 1. fol. 511. Idem ſuprà.

Pœnitentiæ vis major eſt, quàm aquarum Scotuſæ, de quibus ſcribit eruditus Author. Scotuſæ fontem eſſe peculiarem, qui non hominum modò, ſed & pecoris vulnera valeat ſanare.

Antig. Caryſt. Hiſt mi. c. 157.

Quis neſciat innocentiæ ſtatum deſtrui per peccatum? Pœnitentia reſtituit, eoque reponit loco, ut lapſum nemo percipiat aut unquam offenſum Deum. Non ſine myſterio S. Evangeliſta hodie de Pœnitentiâ, quam Joannes prædicabat in deſerto, commemorans, baptiſmi titulo nominat. *Baptiſmum pœnitentiæ.* Quid Pœnitentiæ cum Baptiſmo? Sacramenta ſunt diſtincta: nec enim in forma, nec in ipſa materia conveniunt.

Luc. 3.

Unum eſt prima tabula, alterum ſecunda poſt naufragium. Ut quid ergo non dixit: Prædicans pœnitentiam? Non hîc S. Lucas intendit, unum & idem ea eſſe quantum ad entitatem, ſed quantum ad effectum, quem eundem producunt. Sit infidelis aliquis, & peccator maximus, baptizetur, non ſolùm à peccatis omnibus erit abſolutus quaſi numquam Deum offendiſſet, ſed & innocentiæ ſtolâ amictus. Neque minus pœnitentia efficit in anima Peccatoris, ſanctitatem ei reſtituendo, quam peccando antè perdiderat.

*In Luc.*

Cardinalis Toletus ita explicat: non quòd baptiſmus Joannis propriâ vi haberet remiſſionem peccatorum, ſed quòd per eum inducerentur homines ad pœnitentiam, per quam obtinerent peccatorum remiſſionem, Et cùm effectus illi non videantur, Theologorum aſſertione comprobantur.

*Caleſtin. Brun. quod lib. 16. in ſacr. §. 4. 8. Adam.*

Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum per ſe ad remittenda peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, & addandam primam gratiam ſanctificantem. Origenes ſic habet: *Agite pœnitentiam, ut in remiſſionem peccatorum, babtiſma quoque conſequamini.* Concludit S. Nilus: *Si ſordidum quid à nobis commiſſum eſt, pœnitentiâ id lavemus.*

Iſaias Propheta, neſcio utrum de malitia

*Iſa. 1,*

peccati loquatur, an de efficacia pœnitentiæ, ex animo frequenter peccatores monere & excitare ſic ſolitus: *Si fuerunt peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quomodò hoc ſit? Peccata, quæ ex deformitate nigerrima, naturam mutent, factaque candida inſtar nivis? Impoſſibile id eſſe in pardo

*Ierem. 13.*

aut Æthiope Jeremias credidit. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas.* Quis hîc verba interpretetur S. M. Eccleſiæ de baptiſmo Chriſti dicentis, *in Iordane lavit Chriſtus noſtra crimina?* Thadæus Peruſius exponit: Hoc enim intelligitur non ſecundum ſenſum quem verba faciunt, ſed juxta ſenſum in quo fiunt. Animæ ſunt, quæ purificantur, quæ lavantur. (lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.) *Et laverunt ſtolas ſuas* (id eſt animas ſuas) *in ſanguine Agni:* Et hoc

*Apoc. 1. Item. 22.*

Iſaias intendit: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, Animæ noſtræ dealbabuntur quaſi nix i. e. non apparebit ampliùs illa fœditas & macula: ſed anima veſtra erit pura, innocens & munda velut nix.* Poſt hæc idem Doctor concludit ut peccatoribus animos addat, faciatque bene ſperare. Nemo eorum, qui in profundum iniquitatum devenerunt, de ſe ipſo deſperet: quandoquidem pœnitentiâ ductus, ſi habitum vitiorum inveteratum contraxeris, non ſolùm ſalvaberis, ſed ſicut lana candida dealbaberis. Ubi vides quanta ſit vis pœnitentiæ, quòd ſi fueris iniquiſſimus, ſicut nivem te dealbabit. Neque aliter Haimon Epiſcopus Halberſtatenſis hunc Iſaiæ locum explanat: Quod intelligitur per coccinum hoc & per vermiculum, grave ſcilicet peccatum, ut eſt homicidium, furtum & ſimilia. Quod etiam ſignificatur per nivem, hoc & per lanam, nimirum purgatio delictorum & ablutio ſcelerum, Quod eſt dicere: Si hæc, & hæc quæ præcipio feceritis (de pœnitentia intellige) graviſſima vobis peccata dimittentur, & quaſi vertentur in albedinem, dum converſi eritis: quia gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatere pœnitentiam agente.

*Thad. Perus. ubi ſuprà.*

*In Iſa. 1.*

Medicus poterit ſanare in facie vulnus ab hoſte inflictum, non tamen deformitatem cicatricis tollere, etiamſi adhibeat quidquid remedii ab Hippocrate excogitatum aut Galeno. Sed ubi diabolus tentationis & peccati gladio animam læſit & vulnus inflixit, Deus utpote cœleſtis medicus remedium pœnitentiæ applicat, atque non ſolùm ſanat, at etiam cicatricem delet, ne vel peccati veſtigium relinquendo. S. Chryſoſtomus teſtatur his verbis: *Quamvis Medicus adnitatur delere cicatricem, eamque de medio tollere, non poterit tamen: Deus autem quando pœnitentiâ tua peccata abolet, nullam relinquit cicatricem, nullum ſinit manere veſtigium, ſed una cùm ſanctitate eximium etiam confert formæ decus.*

*D. Chryſ. procem in Iſa.*

Ad magis particularia veniamus, Eccleſiaſticus Reges Judææ ſingulos enumerat, & ſtudio inquirit cujuslibet geſta, etiam vitam diſcutit, tandemque fuiſſe peccatores omnes exceptis tribus denunciat. *Præter David & Ezechiam & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt.* Omnes tranſgreſſi ſunt ſanctas Leges, Deum offenderunt, Prophetas occiderunt, & iniquitatem fecerunt: tres excipiendo, qui ſemper puri & ſancti. Veniâ tuâ Eccleſiaſtice, dicam: Non rectè computatum: certum enim hic & notum Regem Joſiam fuiſſe ſacrilegum, res ſacras uſurpando, & templi reditibus abutendo. Nunquid Ezechiæ Regis ſuperbia maxima, adeò ut arroganter & temerè nimis, debellato exercitu Sennacherib victoriam ſibi attributam volebat, quaſi ſuis ipſe viribus obtinuiſſet, & non ſolius Dei favore & auxilio? cum tamen ipſe Angelum miſiſſet qui hoſtem profligaret? Ne dignatus eſt quidem

*Eccli. 49.*

Deo

Deo acceptam referre gratiam, quare ut ingratitudinis luat pœnas, à Propheta arguitur & mortis ſententiâ conſternatur. *Diſpone domui tuæ, quia morieris & non vives.* Iſa. 38. & 4. Reg. 20. Et David, cùm Joab duci exercitus præcepit ut militem luſtraret, omneſque ſubditos, an non vanè gloriatus eſt & viſus ſuperbus? Nònne iniquiſſimè Uriam occidit, militem fideliſſimum? Cum Bethſabee quid fecit? De adulterio publicum eſt: & hujuſmodi Eccleſiaſticus Sanctorum catalogo inſcribit? Meo quidem judicio reliqui omnes dici poſſint ſancti, ſaltem reſpectivè, & tres iſti peccatores: adeòque verius ſic loqueretur: *Nullus peccavit preter David, Ioſiam & Ezahiam.* Non inquit Eccleſiaſticus: quod ſcripſi, ſcripſi, neque aliud quam verum. Scio, ſcio Regis filios de facto peccaſſe & graviter: quia tamen pœnitentiam egerunt, converſi ſunt & effecti ſancti priſtinoque innocentiæ ſtatui reſtituti, ac ſi numquam ingratifuiſſent, ſacrilegi aut adulteri. Pro Eccleſiaſtico ſcribit Janſenius (Dicuntur peccatum non commiſiſſe, quia condignâ pœnitentiâ peractâ in eum ſtatum repoſiti ſunt & reſtituti, ac ſi numquam peccaſſent: hoc enim eſt inſigne privilegium pœnitentiæ,) Unde S. Chryſoſt. ſic hortatur: *Curet peccator pœnitendo quod fecit, ut poſſit recipere quod amiſit.* *Apud Labat. de pænit.*

*Apoc. 14.* S. Joannes Evangeliſta in Apocalypſi teſtatur vidiſſe in cœlo animas omnes Beatorum & incontaminatam in ſingulis virginitatem: *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati? Virgines enim ſunt.* Dicite NN. Quis credat inter tot animas, ne vel unius corruptam virginitatem? Aderant indubiè homines qui peccatis obnoxii, uti Rex David aliique promiſcui tam viri quàm mulieres. Et hi dicentur virgines omnes? Movet hanc quæſtionem D. Ambroſius, & certè, difficilem fatebor. *Oritur quæſtio: nam ſi in illa beatitudine diverſi ordines ſunt, ut Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines quomodo omnium Sanctorum animæ Virgines dicuntur, & in tantum Virgines, ut cum mulieribus coinquinati non fuiſſe dicantur?* Ad rem noſtram aptiſſimè ſic reſolvit: *Fuerunt multi, qui multa ſcelera commiſerunt, ſed cùm per pœnitentiam & lachrymas, mala quæ geſſerunt delere ſtuduerunt, Domino veniente, virgines reperti ſunt.* Atque ita tandem doctiſſimè concludit: *iſtorum igitur animæ rectè virgines vocantur, quia ſi quas ſordes ex conjunctione fœminarum traxerunt, pœnitentiâ deletum eſt.* Quid ergo per peccatum deperditur, quod non per pœnitentiam recuperetur?

Videtur Deus non tam velle favere homini juſto, quàm peccatori pœnitenti. Inficiari veſtrûm nemo (NN.) poterit nobilitatem primogenitorum ubique gentium magnæ ſemper conſiderationis fuiſſe & in honore habitam. Rami arboris, quam non roſit infamiæ vermis, neque infamiæ fulgur percuſſit, viridiores ſunt: ſi non ſolem inficiat macula, ſplendidior inde radius. *Frequenter videmus labem ſanguinis ad poſteros derivari.* *Io. Fabri in rubr. inſt. de nupt.* Actiones primogenitorum indignæ lineam ipſam poſterorum contaminant. Idcircò Lucretia Romana proprio ſanguine maculam eluit, à Tarquinio honori ejus illatam, ne in ſucceſſorum vultu pudenda hæc labes appareret. Hoc ergò certum cùm ſit, mente aſſequi non poſſum, quamobrem Dei Filius ingreſſurus hunc mundum, de ſtirpe David voluerit naſci. De Davide loquor, qui tam iniquè egit & proditoriè, cujus adhuc manus plenæ ſunt ſanguine innocentis Uriæ. De illo intelligo, qui Bethſabee ſubmiſſus, factus autem Deo rebellis, ſuperbus & contumax. Itane verò Deus qui tam acerbè peccatum & penitus odit, ex progenie peccatoris maximi dignatus eſt naſci, ut loquitur Apoſtolus, *ex ſemine David ſecundùm carnem?* *Rom. 1.* An non glorioſum hoc magis, ſi dixiſſet Apoſtolus, *ex ſemine Abraham?* Vir fuit in omni genere virtutum probatiſſimus, ſanctitate celebris & nobili ſanguine. Certum quidem eſt, Chriſtum æque ex utroque traxiſſe originem? ſed tamen ſemen David exprimi voluit, taceri Abraham, quòd ille peccator fuiſſet & pœnitens, hic verò juſtus & innocens: quaſi ad gloriam magis faceret, cognationem habere cum peccatore per pœnitentiam converſo, quàm juſto & innocente. (Cùm facta ſit repromiſſio Abrahæ, ſicut & David (ſcribit Ægidius Columna) quare dicit Apoſtolus Chriſtum factum potius ex ſemine David, quàm ex ſemine Abrahæ? Dicendum eſt quòd volens Apoſtolus commendare gratiam, maluit Chriſtum dicere factum ex ſemine David, qui criminoſus erat, quàm ex ſemine Abrahæ, qui juſtus fuit.) *In Epiſt. ad Rom. c. 1. lect. 1.* Davidem honoris causâ nominari voluit, & ex eo peccatore pœnitente ductam originem, quod glorioſum ſic foret, & æternum illi decus.

Pœnitentiâ redit ad illum gradum ex quo per peccatum deturbatur. Et ut ad unum iſtud deveniam recuperatu difficillimum, at quo nihil faciliùs, perditur (de ſtatu virginitatis loquor) Abbas Theon in hæc Pſalmiſtæ verba: *Si ceciderit non collidetur, quia &c.* ita exponit: (Id eſt nequa- *De noctur. illuſ. col. 12. cap. 13.*

 quam

quam diu opprimetur incurſione peccati, ſed licet ad præſens videatur eliſus, tamen divino erectus auxilio, celeri reſurrectione ſtabilitatem juſtitiæ non amittit: vel, ſi per fragilitatem carnis aliquid amiſerit, ſuppoſitione manûs Domini reparabit: nec enim ſanctus eſſe deſinit poſt ruinam.) Homo vitiis & ſceleribus contaminatus, Sinope aut Cyrene argutior: Caligulâ aut Cambyſe Perſarum Rege impudentior: Ptolomæo Philaldelpho, aut Herode Agrippâ perverſior: Rodope, aut Phtyne, Aſpaſiâ aut Meſſalinâ, Philene aut Florâ, Glycerio aut Cleopatrâ, Thaide, Aphrâ cum tribus ancillis, Dymnâ & Eugeniâ & Eutropiâ meretricibus omnium cupiditati expoſitis ſordidior: Nicetâ & Aquilinâ ſororibus, Bethſabeâ aut Magdalenâ infamior, in priſtinum virginitatis ſtatum (moraliter loquendo) reſtituetur. Non mihi, ſed Divo Ambroſio credendum. *Hac enim virtus Chriſti eſt Domini, ut quantumvis peccator, qui ejus undâ ſe laverit (ſcilicet Pœnitentiæ) denuò in virginem reparatus, non meminerit, antè quod fecerit, & rediviva nativitate infantiæ, innocentiam præferat, juventutis ſcelera non agnoſcat.* Et ecce concluſio: *Sicque virgo fide Chriſti evadit, qui fuerat adulter corruptione peccati.*

*In Bibl. vet. pp. Thom. 5. p. 2.*

*Serm. 30.*

Sponſa in Canticis, an de deformitate queratur, an de pulchritudine ſua glorietur, neſcio? ita dixit: *Nigra ſum, ſed formoſa, Filiæ Jeruſalem.* Adeſte Filiæ Jeruſalem, & ſciatis velim nigram eſſe me (neque hoc negem) videtis tamen pulchram eſſe & facie decoram. Non capio, Sponſa non intelligio: Si nigra ſis, quomodo pulchra? Dixiſſes: *Candida ſum, rubicunda & formoſa.* In ſenſu quidem litterali bene loquitur: pulchritudo enim à colore aliquo ſingulari non pendet, neque ſolùm cum candido conſiſtit aut purpureo: coloribus illis, dico, à Poëtis quondam mirificè deprædicatis, cùm ſub variis metaphoris lactis, cinnabaris, lilii aut roſæ efferebant: verùm etiam nigredinem admittit ſic & eminentior. Nigra eſt & formoſa, ſed reſpectu diverſorum, (ut interpretatur S. Thom. à Villa Nova) *foris quidem nigra, ſed intùs formoſa.* Qui oculo maligno intuentur, iis nigra videor & deformis, iis verò qui benigno contemplantur obtutu, pulchra ſum & formoſa. Rupertus Abbas ita explicat: (Secundùm opinionem malè videntium nigra, ſecundum fidem rectè credentium formoſa.) Angelicus Doctor per ſponſam intellexit Eccleſiam. *Hic loquitur Eccleſia ad ſanctas animas: Nigra ſum, quia perſecutiones patior, ſed formoſa virtutibus.* Neque aliter ſenſit Hugo Cardinalis: (Nigra ſum exteriùs preſſuris tribulationum, ſed formoſa intus virtutum decore.) Lyranus etiam ſubſcribit: Nigra ſum, id eſt, vilis quidem in oculis perſequentium appareo, ſed ante Deum veritatis confeſſione glorioſa refulgeo.) Nigra in oculis hominum, ſed decora in oculis Dei oſtenditur, teſte D. Bernardo: *Hanc vos dicitis nigram? Nigra veſtro, formoſa Divino Angelicoque judicio.* D. Hieronymi hæc eſt opinio: *Nigra ſum, pro eo quòd non deſcendo de ſtirpe clarorum virorum: habeo tamen pulchritudinem meam mecum: Ego ſum illa Æthiopiſſa, ego ſum nigra quidem pro ignobilitate generis, formoſa verò propter pœnitentiam & fidem.* Neque male per hanc ſponſam Eva intelligatur, ut aptè illi quadret iſtud Aurelii Prudentii.

*Cant. 1.*

*B. Thom. à Villa N. in Cant. 1.*

*Ibid.*

*D. Thom. ibid.*

*Ibid.*

*Serm. 25. in Cant.*

*Homil. 1. in Cant.*

*Prudent. in Ench. vet. Teſt. de Adam & Eva.*

*Eva columba fuit, tum candida, Facta deinde nigra.*

Interpretationes has laudo omnes, tamen præ cæteris, placet illa Originis, paraphraſi Chaldææ conformis, ubi per ſponſam anima noſtra, per nigredinem peccatum intelligitur, quo deturpata eſt. *Facies ejus ſicut nigredo ollæ: Denigrata ſuper carbones facies ejus.* Et econtrà per pulchritudinem ſanctitas animæ in ſtatu gratiæ deſignatur. *Ecce tu pulchra es, amica mea. Hoc eſt* (ait D. Thomas) *in bonis operibus perfectè & ſanctè, juſtè & piè vivendo, mundam & ſimplicem habens cordis cogitationem atque intentionem.* Et S. Thomas à Villa N. ita interpretatur: *Pulchra in natura, pulchra in gratia, pulchra in naturalibus, pulchra in gratuitis,* ſic ut non capiam, quomodo dicat Sponſa nigram ſe eſſe per peccatum, & pulchram per ſanctitatem ac gratiam, cùm contraria ſint, quæ ſimul in eodem ſubjecto eſſe non poſſunt.

*Nahum 1.*

*Thren. 4.*

*Cantic. 1.*

*Angelicus Doctor ibid.*

*B. Thom. à Villa N.*

Crediderim, ſponſam hîc indicaſſe effectum pœnitentiæ, q. d. Nigra eram & deformis per peccatum, ſed facta ſum pulchra & formoſa poſtquam egi pœnitentiam: decorem ſanctitatis recuperavi, & gratiæ: adeò ut ſi prius dixi dolens: *Nigra ſum,* nunc lætabunda proclamo, *ſed formoſa,* pœnitentiæ vigore, pulchritudinem innocentiæ amiſſam & gratiæ recipi. *Sed formoſa, quærimus,* (dicit Origines) *aut quomodo nigra ſine candore ſit pulchra. Pœnitentiam egit à peccatis, ſpeciem ei largita eſt converſio, & ideo ſpecioſa cantatur.* Per ſponſam ibi, paraphraſis Chaldæa Plebem Iſraëliticam intelligit, nempe quæ per idololatriæ peccatum in deſerto, fœdata eſt in anima & denigrata. (Quando fecerunt domus Iſrael

*In Cant. hom. 1.*

*Paraph. Chald.*

vitu-

lum, denigratæ ſunt facies eorum ſicut filiorum Æthiopiſſæ, qui commorantur in tabernaculis Cedar: & quando egerunt pœnitentiam, dimiſſum fuit eis peccatum & multiplicatus fuit ſplendor vultus eorum ſicut vultus Angelorum.) Et Philo Carpatius: (Nigra propter delicta, formoſa ob pœnitentiam.)

*In Cant. 1. in Bibl. vet. PP. Tom. 4.*

Quantum homo per peccatum dejicitur & deprimitur, tantum per pœnitentiam elevatur & exaltatur: atque hoc piè credi poſſit: magis favebit aliquando Deus ei, qui pœnitentiâ ductus, quàm qui juſtus ſit. De filio prodigo notum eſt, quomodo in extremis miſeriis tandem ſanctè propoſuit, atque firmiter reſolvit ad ædes patrias reverti. Sordes animalium quæ cuſtodiebat, derelinquit, ſylvas deſerit, curas fugit, & fame preſſus nil niſi patris menſam recogitat, atque ita loquitur: *Vadam ad patrem meum.* Cum redeuntem vidit Pater, in occurſum venit: & quantumlibet rebellis antè fuiſſet, amantiſſimè nihilominus excipit: brachiis amplectitur, & oſculatur, famulis præcipiens ut honorem omnem exhibeant, pretioſas adferant veſtes, convivium parent & muſicam, ſintque paterni affectûs evidentia argumenta. *Citò proferte ſtolam primam, induite illam.* (Stola prima (ait vetus Interpres, beata veſtis & innocentiæ quam protoplaſtus Adam, bene à Deo conditus, accepit: ſed a diabolo malè deceptus perdidit.) De annulo etiam refert S. Petrus Chryſologus: (Paterna pietas contenta non eſt innocentiam reparare ſolam, niſi priſtinum reſtituat & honorem. Date annulum in manus ejus, & calceamenta in pedibus ejus: adducite vitulum ſaginatum.) Complexu & oſculatione amorem oſtendit: *Cecidit ſuper collum ejus & oſculatus eſt eum.* Sic honorat & favet, ut pro deſiderio ſatisfacere numquam poſſe videatur. Mirum ſanè & neſcio an ita pater ei feciſſet. Et hoc obſervans filius alter, indoluit ac ait: *Ecce tot annis ſervio tibi & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dediſti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.* Me nec verbo bono, nec oculo benigniori conſolatus es unquam. Ille verò verecundiæ & honeſtatis fines tranſgrediens, *diſſipavit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus.* Huic tamen honores habes & favores, hunc amas, hunc lautè excipis, ideò ſolùm, quia pectus tundit, vultum demittit, genua flectit, ſuſpiriis & lachrymis orat.

*Luc. 15.*

*Ibid.*

*Eric. in Biblioth. vet. PP. Sabbath. poſt Dom. 2. Quadr. Beda.*

*D. Chryſ. ſerm. 3.*

Me ſortis tuæ miſeret, fili, innocentiam tuam video. Quid facias, aut quomodo mutes? patiendum eſt, ut leviùs feras. Sed amabo te, dic ſemel: Antequam à patre aufugiſſet, an tam honorificè unquam excepit? Numquam quid ſimile ei fecit tunc ſolùm, *poſtquàm diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.* Poſtquàm, & non antequàm: poſtquam peccator & factus eſt pœnitens, & non, cùm juſtus & innocens. O quanta eſt pœnitentiæ virtus! (D. Chryſoſtomum audite.) *Per te, O pœnitentia! filius prodigus regreſſus eſt ad patrem, & non ſolùm amplexum oſculumque paternum, ſed etiam epulum vituli ſaginati veſtemque inſignem promeruit adipiſci.*

*S. Ioan. Chryſoſt. de pœnit.*

Egreſſus foras. Petrus quantum à pœnitentia facta poſt trinæ negationis peccatum profecerit, evidenter oſtenſum eſt. Antequàm deliquiſſet Petrus, Joanne erat inferior & ſubditus: at contra, ubi peccatum commiſit, factus eſt major, & Joannem præceſſit. Ex ſacra pagina probationem audiamus. Aderat in cœnaculo cum Apoſtolis Chriſtus & in menſa præſidebat, reliquis ordine dignitatis aſſidentibus, erantque digniores iſti, qui proximè erant collocati. *Nobilius eſt, quod eſt propinquius optimo. Qui ſedet immediatè poſt Epiſcopum, dicitur eſſe in eminentiori loco.* Hic erat ordo aſſidentium in convivio Aſſueri: *Erant autem primi & proximi ſeptem duces Perſarum atque Medorum, qui videbant faciem Regis & primi poſt eum reſidere ſoliti erant.* Et illi erant nobiliores, quos Rex proximos habebat. Ita fuit in cœna, dignior ille qui Redemptori propinquior. *Qui ſedit prope Dominum, tantò major dicitur, dignior & altior.* Et Joannes is fuit, quod verificatum eſt à Chriſto, cum dixit: *Vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Si enim Joannes Salvatori proximè non aſſediſſet, non ab illo petiiſſet, ut de traditore Magiſtrum interrogaſſet. *Innuit ergo huic* (id eſt Joanni) *Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt, de quo dixit?* Atque ex hoc clarè deducitur, Joannem præceſſiſſe, adeoque & Petro majorem fuiſſe ac digniorem. *Qui præcedit, major eſt illo, qui ſubſequitur.* Pergamus igitur, & quid prætereà Joanni factum, expendamus. Cùm jam Apoſtolis tertiò appareret Filius Dei ad mare Tiberiadis, poſt mirabilem illam capturam piſcium centum & quinquaginta trium, qui adeò magni erant, ut miraculo aſcripſerint, non ruptum eſſe rete: poſtquam cibo refecti Diſcipuli, Dominum comitati ſunt, ordine incedentes. Colligo tamen hic Petrum Chriſto proximum eſſe, illumque modò præcedere, non verò Joannem, cùm Petrum à tergo ſequatur: atque hoc certum, quia Petrus, ut

*Ariſt. 2. cal. text. 66. Car. in conſo. 32. Eſth. 1.*

*Cl. not. §. aliam verb. altiori inſtit. de bon. poſſ.*

*Matth. 26*

*Ioan. 13.*

*Tex. in l. 1. in fic. de prop.*

ut in Joannem intenderet, retrò ſe convertit. *Converſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.* Toletus ſic exponit: *Convertitur petrus: jam enim cæteros condiſcipulos ſequentes habebat.* Conferamus igitur utrumque S. Scripturæ locum. In cœna Petrus erat Joanni ſubditus & inferior: poſt Reſurrectionem fit Petrus ſuperior, præceditque Joannem. Ut quid, Petre, locum alterius occupas? Joannis iſte eſt: (Si inferior temerè intrudat ſe in loco majoris, majorem honorem, quàm ei debetur, aſſumendo, ſeu uſurpando, debet ſuo honore privari, & à loco proprio expelli, ultimuſque poſt alios in opprobrium poni.) Minimè mirum id vobis (NN) debet videri. In Cœna Petrus erat juſtus & ſanctus: poſt Reſurrectionem peccator pœnitens. De jure itaque locum iſtum occupabat, & virtute pœnitentiæ reliquos jam præcedebat. S. Thomæ verbis confirmo. *Petrus poſt negationem & pœnitentiam oſtendit ſe habere majorem fiduciam ad Chriſtum: qui enim in cœna non audebat interrogare, ſed Ioanni interrogationem commiſit* (utpote cùm retrò tùm ſtaret Petrus) *huic poſteà & præpoſitura fratrum credita eſt, & non ſolum non committit alteri, interrogare quæ ad ipſum pertinent, ſed de reliquo ipſe pro Ioanne* Magiſtrum *interrogat.* Hic enim ad Chriſti latus conſedebat. Et S. Ambroſius conſentit ita loquens: *Major gradus redditus eſt ploranti, quam fuerat ablatus neganti.*

*Ioan.* 21. *Ibid.* *C. præcipimus.* 93. *diſt. facit. l. neminem C. de off. mag. off.* *D. Thom. in Sum.* 3. *p. q.* 83. *ar.* 3. *in reſp. ad* 3. & *D. Ioan. Chryſoſt. ibid. citat.* *D. Ambr.*

Altera de S. Petro reſtat conſideratio. Ibant tres Mariæ ad Chriſti ſepulchrum, ut ſacratiſſimum corpus inungerent liquore pretioſiſſimo. Cùm jam perveniſſent ad locum, viderunt ad ſepulchrum Angelum ſpecioſum valde, cui veſtis erat candidiſſima, atque ex illo Salvatorem reſurrexiſſe intelligunt, juſſitque ut reverterentur & nunciarent Apoſtolis & Petro. *Ite, dicite Diſcipulis ejus & Petro, quia ſurrexit.* Si & Petrus Diſcipulus non fuiſſet, dixiſſet rectè Angelus, *& Petro:* ſed cùm & ipſe Diſcipulus eſſet æquè ac alii, clarè ſatis expreſſerat, quando ait: *Dicite Diſcipulis ejus.* Quorsùm igitur ſpectat hæc repetitio? Et aliunde non facilè crediderim erraſſe hic Angelum, utique cùm dicat S. Baſilius: *Ingens blaſphemia eſt, dicere, verbum aliquod in ſcripturis redundare.* Quinimò perſuaſum potiùs, Angelum hic penicillo oratorio uſum, & Rhetorum coloribus ſic adumbraſſe laudem S. Petri atque exaggeraſſe.

*Marc.* 16. *S. Baſil. hom.* 10. *in Exam.*

Ubi de Græcis Virgilius commemorat, ait:
*Reliquias Danaum, atque immitis Achilli.* Cùm & Achilles Græcus eſſet, dictum ſatis: *Reliquias Danaum.* Et alibi eandem uſurpat Phraſim.

*Virgil.* 3. *Æneid.*

*Dii me terrent & Iupiter hoſtis.* Si etiam Jupiter ſit Deus, cur additur *& Iupiter hoſtis?* Non abſimili modo uſus eſt David Deo gratias referens quòd de manu hoſtili liberaſſet. *Eripuit me Dominus de manibus inimicorum meorum & de manu Saul.* Non erat opus exprimere ſingulariter Saulem, cùm & ipſe de numero eſſet inimicorum: eò tamen factum, ni fallor, quia Saul omnium inimicorum David erat infenſiſſimus: Jupiter autem Deorum reliquorum Deus: Achilles verò Græcorum facilè princeps & maximus.

*Æneid.* 22. *Pſalm.* 17.

Atque hæc eſt ratio quare Angelus expreſsè nominat Petrum. Per pœnitentiam, quam fecerat de peccato, adeò magnificatus erat & exaltatus, ut indecens exiſtimaret Angelus, & dedecus, communi ſolùm ordini reliquorum Apoſtolorum aggregare. Particulariter itaque exprimit Petrum, utpote qui cæteris excellentior ſit, & per pœnitentiam actam dignior inter Apoſtolos & princeps. *Specialiter nominat Petrum* (ſcribit Dionyſius Carthuſianus) *quia inter Diſcipulos extitit principalis.*

*Dionyſ. Carth. in Dom. Paſſionis ſerm.* 1.

Præeminentia, quâ gaudent pœnitentes effecti, quaſi bonum ſit hæreditarium, in poſteros diffunditur. Duos habebat filios David, quando moriebatur. Adoniam ſcilicet, qui primogenitus erat: & Salomonem, *ex ea quæ fuit Vriæ.* Quis neſciat Regnum deberi Adoniæ, utpote primogenito? & tamen hoc ſortitus eſt Salomon. Cur hic, obſecro, contra hæreditatis leges primogenitus excluditur, & in hæreditatem ſuccedit qui natu minor?

*Matth.* 1.

Quid ergo mali fecit miſer Adonias, ut honore iſto reddatur indignus, & regio ſceptro privetur? nimia eſt iſta Patris in filium iniquitas. Lege conſtat & manifeſtum. *Pater non poteſt præjudicare filio.* Privilegium hoc fuit ſingulare in favorem Pœnitentiæ à Deo conceſſum. Adonias natus eſt ex parente utroque juſto, Salomon verò ex patre & matre, utroque quidem peccatore, ſed jam pœnitente. (Deus ita rem diſpoſuit, ut hic junior potius quam ille ſenior Regnum obtineret. Ratio fortaſſe eſſe poteſt, quia Adonias filius erat Davidis adhuc innocentis: at verò Salomon filius Davidis jam pœnitentis. Sicut autem pœnitens ſæpè innocenti præponitur: ita pœnitentis filii, filiis innocentis aliquando præferuntur.)

*L. de re ſilior. ff. de trans. l. non debet ff. de reg. juris.* *Fr. Mendoza in lib.* 1. *Reg. c.* 7. *n.* 6. *Annot.* 25. *ſect.* 1. *n.* 20.

Mirum quod dixi, nunc Paradoxum addam, non ut juſtis tædium excitem, ſed peccatoribus animos, ad amplectendam pœnitentiam: velim tamen, ut quod pia licentia dicere aggredior, ſic etiam interpretentur & piè credant benevoli

audi-

auditores. Videtur quodammodò Chriſtus pluris
æſtimare peccatorem unicum quàm ſimul om-
nes juſtos. Docet Ariſtoteles, dum comparatio fit
inter ſpecies ut ſciatur exceſſus, non eſſe opus
conferre ſingula utriuſque individua, ſed hoc ſa-
tis, adducere quod maximum unius eſt ſpeciei
cum eo quod maximum alterius. Exemplo cla-
riùs dicam: Scire velim uter ſtatura ſit major, vir
an mulier? non conferam ſingulos viros cum
mulieribus ſingulis, ſed accipiam è viris maxi-
mum, & ſimiliter è mulieribus, & ſic facilè exceſ-
ſum ſcivero. Si Venetiis id fiat, viri perdant &
minores ſint. Ita etiam ut conſtet, utrùm plus a-
met & æſtimet Deus, hominem juſtum, an verò
peccatorem jam pœnitentem: unum & alterum
utriuſque ſpeciei individuum, ut dixi, expendiſſe
ſufficiet. Sumamus igitur ex parte peccatorum
jam pœnitentium Latronem, & ex parte juſto-
rum ſeu innocentium Virginem Deiparam. Si
nunc oſtendam (obſervanda hic pia locutio)
Chriſtum pluris æſtimaſſe Latronem quàm Ma-
trem, an non probavero rectè intentum? Atten-
dite obſecro, & fatebimini verum. Pendebat in
cruce afflictiſſimus Salvator, ad pedes plangebat
& ſupirabat Mater, ad latus in cruce altera pende-
bat latro, peccator & pœnitens. Videbat pius Re-
demptor deſolatam Matrem, Latronem ſummis
doloribus cruciatum intuebatur: Matri ex inti-
mo effectu compatiebatur: etiam Latronis in-
tuitu in viſceribus commovebatur. Audiri pete-
bat Mater, etiam precabatur Latro. Quid hic fa-
ciat Salvator, & cujus petitioni primum annuat?
Matrem exaudiat priùs, an Latronem? Ancipiti
conſideratione diſtrahitur: movit fortiter qui-
dem innocentia Matris, ſed prævaluit Latronis
*Luc. 2.* pœnitentia: dicit priùs Latroni: *Hodie mecum
eris in Paradiſo*, quàm det Matri ſolatium his ver-
bis *Mulier ecce filius tuus*, q. d. Mater, patientiam
habeas: pœnitentem præfero innocenti. An non
hic videtur pluris æſtimaſſe latronem quàm ma-
trem? Reſpondet & ſic paradoxum dictum con-
*Ioan. 14.* firmat Cardinalis Viguerius. *Steterat à principio
*ſuper illa* Mater juxta crucem: priùs Latroni crucifixo ſola-
*verba:* tium præſtare voluit Chriſtus, quàm alloqui Ma-
*Hodie me-* trem, quàm illam Diſcipulo, & illi chariſſimum
*cum eris in* Diſcipulum commendare: & in mortis articulo
*Paradiſo.* conſtitutus, peccatori providit, antequam Matri,*
ut propterea dictum ſit ab Epiſcopo Halberſtat-
*Aimon in* tenſi: *Ampliùs placet miles, qui poſt fugam ho-
*Iſa. 1.* ſtem duriter ferit, quàm qui nunquam terga ver-
tit, & nunquam tamen fortiter facit.* Eiſdem ferè
verbis loquitur Alexander Aleſis: *Dux in præ-
lio eum militem plus diligit, qui in fugam converſus
hoſtem fortiter premit, quam qui nunquam fugit,* *Pſ. 1. q. 32.*
*& qui nunquam fortiter egit.*

Angelicus Doctor omninò conſentit & men-
tem noſtram confirmat. Sit juſtus aliquis qui *D. Thom.*
Deo fidelis & ſemper armatâ bonis operibus ma- *in Sum. 3.*
nu in militia Chriſtiana ſtrenuè certet, neque de- *p. q. 89.*
liquerit unquam, Cælitibus ille placet & gratus *art. 3.*
eſt valdè, quis dubitet? Sit peccator, qui juſto-
rum certamen deſerat aufugiendo, terga Deo
vertit: *Avertitur à bono incommutabili, & con-
vertitur ad bonum commutabile*, delicti tamen
pòſt recordatus, pœnitet facti & contritus ve-
niam implorat, ſynceram vitæ emendationem
promittens, peccatum abhorret, odio crudeli per-
ſequitur, & is Deo non placeat? Imò magis quàm
juſtus, illoque fit gratior: in tantùm enim pœni-
tentiâ profecit, ut cæli favorem meritus ſit &
maximos honores, ſuperior effectus ipſis Ange-
lis, qui tamen aulæ cœleſtis cives ſunt, ante Dei
Thronum propè adſtantes. Mirentur hoc omnes,
niſi probem.

Dicite (NN.) Uter major eſt, homo, an Ange-
lus? Ego reſpondeam: Si de homine juſto ſit
mentio, qualis fuit unus Abel, unus Joannes &
alii plurimi hujuſmodi, non reſtat controverſiæ
locus, & lis iſta deciſa eſt in Tribunali Davidis,
*Minuiſti eum* (id eſt hominem) *paulò minus ab
Angelis.* At verò ſi homini pœnitenti Angelus *Pſalm. 8.*
conferatur, dicendum: Minuiſti Angelum paulò
minùs ab homine. Similitudine clarius dicam.
Partem panni accipe ex auro plurimùm, ſitque
pretii maximi, & Angelum eſſe puta, utpote auro
gratiæ efformatum: deinde aliam habe partem
vilioris telæ, puta ex cannabe, & hominem pec-
catorem eſſe dicito, cannabaceum quidem ratio-
ne humanitatis, & viliſſimum ac ſordidiſſimum
ex fœditate peccati. Agedum mulieres, vos hic te-
ſtes volo, dicite quænam ex vobis tanti ſit inge-
nii & induſtriæ, ut telam iſtam ex viliori materia
contextam efficiat majoris pretii & valoris quàm
ſit pannus ille ex auro artificioſiſſimè elaboratus?
Pater, impoſſibile eſt quod proponis, neque ulla
noſtrum hoc præſtet, quantumvis gnava ſit, in-
duſtria, & experientiſſima. Acu-pictor non ſum,
hoc tamen modò licitũ ſit, arte ipsâ expendamus.

Cedat tantiſper (NN.) lingua, operetur ma-
nus, ut labore acus exprimat, quod diſertæ vo-
cis illa coloribus non poteſt. Hoc mulieris acu
pictricis ſtudium eſt, & ſeria occupatio in tex-
trina, dum induſtriæ ac ingenii dat experimen-
tum. Telam parat atque extendit: ſericum pro-
fert

ſert cujuſvis coloris, acu filum ſubtiliſſimè ducit, auro non parcit, & ne à ſola arte & induſtria ſit operis valor, lapides tariſſimos interſerit & gemmas exquiſitiſſimas, tam nitidè, tam induſtriè facit, ut quiſquis videt, miretur, ac dubitet ſitnè tela acu picta, an penicillo veriſque coloribus adumbrata: verbo dicam, naturam hic erubeſcere & ab arte vinci.

Judicium facite, Auditores, & ſententiam veram hic vos proferte. Quid majoris eſt pretii, pannus iſte ex auro, quem diximus, an tela ex cannabe multis diſtincta gemmis? Acu pictam telam indubiè omnes extollent & præferent: pluris enim eſt hujus pars etiam minima, quàm pannus integer quantus ille ſit.

Telam cannabaceam hominis in ſtatu peccati jam expendite, acu pictrix adſit pœnitentia, eamque acu contritionis pungat, acurata punctione ſericum purpureum Divini amoris interſerat: niveum, concipiendo firmum emendatioris vitæ propoſitum: cæruleum immiſceat, meditando cæleſtia: nigrum componat, mortalitatem attentè penſando: neque deſit Smaragdus viridis confidentiæ in Deum, quia miſericors eſt & peccata remittet. O quanta hic pulchritudo eſt! Nil excogitari poſſit ornatius. Si pretium velis auctum, lucidiſſimis gemmis diſtingue lachrymarum, & diſciplinarum ictibus rubrum exprime, opuſque digniſſimum efficies, cui Angelicæ naturæ aurum cedat, ſicque major erit peccator factus pœnitens. Agellii ea obſervatio eſt, ubi Pſalmos Davidicos interpretatur, & ait cum Chryſoſtomo, Hieronymo, &c. *Minuiſti eum (id eſt Angelum) paulò minus ab homine (ſciliset peccatore pœnitente)* Interpretes alii ſubjungunt: *Ab Angelis, præ Angelis, ultra Angelos, ſupra Angelos gloriâ & honore coronaſti eum.* Et noſtri ævi etiam Scriptor: *Quæ verba* (Davidis) *Minuiſti eum &c. ſic legenda ſunt, ut punctum ponatur poſt ly paulò minus: non autem poſt ly ab Angelis: & ſic particula ab non cum antecedentibus, ſed cum ſequentibus nectenda eſt, in hunc modum: Minuiſti eum paulò minus à quo? à Deo Comparans autem hominem ad Angelos, ſubdit, ab Angelis, id eſt præ Angelis, vel ſupra Angelos & ultra Angelos, gloriâ & honore coronaſti eum.*

*Pſalm. 8. Chryſoſt. Hieron. Pagnin. citati à Mendoza feria 6. poſt cineres. Mendoza ubi ſuprà.*

Videte igitur (NN.) quantum ſuis pœnitentia deferat, ut in cæleſti etiam aula faveat Tandem ſic concludit B. Bruno: *Minuiſti eum paulò minus à Deo.*

*In Pſal. 8. in Biblioth. vet. pp.*

Summatim ut loquar, pœnitentia eſt acus, quâ rupta innocentiæ veſtis reparatur. Alberti Magni audite verba. (Quid faciendum eſt peccatoribus, ut recuperent gratiam? Certè neceſſe eſt, ut accipiant acum, per quam pœnitentia figuratur: quia per pœnitentiam ſicut per acum, veſtis innocentiæ, quæ per peccatum diſrupta eſt, reſuitur.)

Pœnitentia navis eſt ex mari mundi hujus procelloſo ad portum ſalutis perducens & ad gloriam tam ardentibus votis concupitam. S. Iſaacus ita ſcribit: (Pœnitentia eſt navis, timor verò gubernator ejus, charitas portus Divinus. Facit ergo timor nos ſedere in navi pœnitentiæ, & transfretare mare mundi fœtidum, & ad portum Divinum perducit nos.)

*L. 5. de mundi contem.*

Pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula, cujus ſubſidio ex æternæ damnationis erepti naufragio, ad portum paradiſi ſecurè pertingimus. (Si quis poſt Baptiſmum patiatur naufragium, id eſt, incidat in peccatum, debet recurrere ad tabulam pœnitentiæ, per quam poſſit conſequi ſalutem & ad portum pervenire.) Ut meritò dicat Hugo Victorinus: *Pontem nobis facimus, cum pœnitentiam agimus.*

*Ægid. Colom. de ſum. Tri. & fide Cat. p. 1.*

Accedit S. Chryſoſtomus & pœnitentiæ virtutem mirè deprædicat, atque extollit, cùm ait: *Pœnitentia eſt medela delictorum, prævaricationum ſolutio, adverſus diabolum armatura ſimul & gladius caput ipſius præſecans, ſalutis ſpes, evaſio ignorantiæ: ipſa homini cælum aperit, & in paradiſum introducit.* Et Gualfridus Abbas:) pœnitentia more fidelis oſtiariæ gerens officium, oſtium paradiſi peccantibus clauſum quomodò vult, aperit, & quos pœnitentes agnoſcit, recipit intrà: impœnitentes verò nec prece nec pretio intrare permittit.

*Ser. 1. de N. Dom.*

Pœnitentia eſt ſcala Jacob, quiſquis per eam aſcendet, ad æternam felicitatem perveniet. Hæc eſt cælorum ſcala, reconciliatio pacis, acquiſitio vitæ, vitiorum abolitio)

*Petrus Bleſ.*

Bacchiarius ad aſcenſum ſcalæ hujus ferventer monet. (Eia, eia, quid dubitas? Scalam illam Jacob, unde delapſus es, dum velis, aſcendere, adhuc poſita, nondum ſubtracta eſt.)

*De rec. lap.*

Plantas in Hybernia reperiri (narrant aliqui) ad ripam fluminis, quarum fructus in aquam delapſi, mutantur in aves & alarum remigio cælum petunt: (Dicitur enim de miraculis Hyberniæ, ibi eſſe quaſdam aves ex arboribus quaſi fructus pendentes, qui cum in aquam ceciderint, ſtatim vivunt.) Certiſſimum hoc eſt, peccatores mortuos gratiæ, per aquam pœnitentiæ reviviſcere & ad cælum evolare. Teſtis nobis eſt S. Pater

*Ale. Taſſ. l. 3. q. 10. Albert. Palau. in conc. quadr.*

ter Auguſtinus. *Hæc eſt quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit Creatori.* Et inde ſic proſequitur: *Pœnitentia Chriſto quærenti ovem perditam monſtrat: drachmam amiſſam Chriſto inquirenti offert: diſſipatorem filium ad patrem reducit: vulneratum à latronibus & expoliatum cuſtodiendum & curandum tradit. In hac omne bonum invenitur, & conſervatur: quantum ad effectum: iſta fugit tenebras, inducit lucem.*

S. Auguſt. Tom. 4. c. 1.

Dicite mihi verum, ſi qui forſitan in peccato eſtis: cum tanta ſit pœnitentiæ virtus, & tam uberes inde fructus emanent, ut quid inviti eſtis & recuſantes, ad illam cogendi? An quòd forte delicta veſtra nimis ſint enormia, majorque malitia, quam pœnitentiæ virtus? hoccinè vos induxit ut quod incredibile eſt & falſum, verum putetis? Quàm longè aberratum eſt? An non homines vixerunt multò ſceleratiores vobis & ſine comparatione pejores? Deo tamen (quæ pœnitentiæ virtus eſt & favor) reconciliati ſunt, & in ſtatum gratiæ reſtituti. Auguſtinum audite aſſerentem: *Dominus David poſt tam grave peccatum indulſit: Achab ſacrilego Regi pepercit: Manaſſen poſt innumerabilia peccata pœnitentiam agentem, inter amicos ſuos reputavit, & meretrici, quæ lachrymis pedes rigaverat & capillis terſerat, totum condulſit* (attendite & obſervate quod ſequitur) *Qui ergo iſtis tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus eſt & nobis non ſolum peccata dimittere, ſed & æternam beatitudinem dare.* Eſto: peccata veſtra gravia ſint, ideòne deſperanda ſalus? Quàm meliùs facietis cum Magdalena plangendo, quàm cum Juda deſperatè pereundo! *Sperate de venia, etſi maxima ſit iniquitas: quia ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Hæc S. Auguſtinus, & conformiter Arnoldus: *Sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat.*

S. Auguſt. Tom. 10.

S Aug. T. 4. c. 1.

Arnold. tract de 7. verbis Domini in cruce.

Pœnitentiæ virtutem & efficaciam Angelicus Doctor etiam adſtruit & hoc argumento evidenter oſtendit. Si non poſſit deleri per pœnitentiam quodlibet peccatum etiam graviſſimum, *vel eſſet ex parte hominis, vel ex parte Dei: non hominis, quia habet liberum arbitrium flexibile ad bonum & ad malum: non ex parte Dei, quia derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cujuſcumque hominis ad pœnitentiam: vinceretur enim quodammodo Deus ab homine ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet.*

D. Th. p. 3. q. 76. a. 1.

Tandem disertè Chryſoſtomus etiam prædicat: *Si lapſus es, poteris reſurgere: periſti, ſed poteris ſalvari: fornicatus es, ſed poteris continere: mœchatus es, ſed poteris liberari. Et quomodo? Tantum vel parva incipiat eſſe converſio, paululum pœnitere, etiam animam efflans (ſi dici poteſt) ut jam de hoc mundo exeas, pœnitere: non impeditur temporis anguſtiá miſericordia Dei.*

D. Chryſ. hom. 2. in Pſalm. 50.

Quid magis? Diaboli peccata etiam remitti queant, ſi poſſit ipſe velitque recurrere ad pœnitentiam. Sed quia, ut ſubtiliſſimè docet Divus Thomas, *ad remiſſionem divinæ offenſæ, requiritur quod voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis prædictæ & propoſito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ ſecundum quod eſt virtus.* Dæmones autem actus pœnitentiæ facere non poſſunt neque volunt, *quia affectus eorum ſunt confirmati in malo, ita quod non poteſt eis diſplicere peccatum in quantum eſt culpa, ſed ſolum diſplicet eis pœna, quam patiuntur.* Indè ergò procedit & non ex Deo, quod peccatum hujuſmodi remitti non poſſit. S. Gregorius Turonenſis ita exprobrat. *Si tu ipſe, ô miſerabilis, ab hominum infeſtatione deſiſteres, & factorum tuorum pœniteres, confiſus in Domino, Chriſti miſericordiam pollicerer.* Nec deſunt alii, qui idipſum confirment. *Auſim dicere quod etiam diabolum ipſum ſervaturus fuerit, ſi reverti ad Deum voluiſſet.* Quid ergò gravitatem & multitudinem peccatorum prætexitis? nihil vos excuſat, aut ſuffragatur.

p. 3. q. 86. art. 2.

Idem ſup. art. 1.

Apud Mendozã in 1. Reg. 7. num. 25.

Pœnitentiæ rigor fortaſſis abſterret, ut ſic pati refugiat animus? Sed quomodo inferni cruciatus & ardores ſempiternos ſuſtinere poteritis? ſi ciliciolum terreat, quomodo non infernus?

Verum hoc, (quod ad confuſionem noſtram hic dico) beſtiæ cùm infirmantur, remedia exquirunt. Cervus, ut vulneri medeatur inflicto, an non dictamnum quærit? Hirundo, ut pullis det viſum, nonne chelidoniam reperit? Talpâ cæciores ſumus: malum enim non videmus quo infeſtamur: in anima lædimur venenato peccati aculeo, & pœnitentiam eſſe veram chelidoniam, quâ illuminemur; dictamnum eſſe, quo curemur, non ignoramus: & tamen (quod S. Pacianus deplorat) [nos ignita Diaboli ſpicula, nullo pœnitentiæ ſucco, nullo exomologeſis gramine repellimus: nos lumina mentis amiſſa nullâ malæ tractationis radice curamus.] Si ſic non facimus, beſtiis ipſis erimus deteriores.

In paræn ad pænit. in Biblioth. vet. pp.

Attendite obſecro, quàm ſalubriter monet S. Archiepiſcopus Valentianus, dum inevitabili hoc dilemmate premit: *Peccavimus Fratres,*

S. Thom. à Villa no-

*va conc. I. de judicio.* Quid inde? *aut pœnitendum, aut ardendum.* Dicite modò, & liberè judicium veſtrum adferte. *Quantò melius modicum pœnitere, quam perpetuò ardere?* Quis non potiùs pœnitentiam, non dico levem, ſed graviſſimam æquo & prompto animo ferat?

Non longè à vero aberraſſe reor, ſi dixero, ideò pœnitentiam à vobis differri, quòd in votis habeatis, in fine vitæ amplecti dilatam, credentes in extremis quemlibet poſſe ſalvari, ſi modò actum contritionis eliciat, vel ſemel ſuſpiret, aut verbulo dicat: Peccavi. Ah inſenſate & infelix peccator! An ergò te latet S. Patris Auguſtini ſerium dictum: *Pœnitentia ſera, rarò vera.*

Hippocratis conſultum eſt, (Medicare in valdè acutis, ſi materia turget, eâdem die: tardè enim in talibus malum eſt.) Conſonat illud Poëtæ inſignioris.

*Ovenus.*

*Cras, inquis, faciam: conceſſaq; labitur hora:*
*Fac hodie: fugit hæc non reditura dies.*

*Tom. 10. ſerm. 57.* Sed ne primæ hujus partis limites excedam, verbis S. Auguſtini concludam quod jam obſervandum erit: *Ad emendanda crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit, ſed in ſatisfactionem ingentium peccatorum non verba tantum, ſed opera quæruntur.* Quod opus Deo gratius, & animabus veſtris utilius, quam ſubvenire pauperibus in extrema neceſſitate eleëmoſynam requirentibus? Verè hic eſt fructus pœnitentiæ, ad quam Præcurſor invitat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

## PARS SECUNDA.

Miratus eſt S. Auguſtinus, neque bene unquam capere potuit, quomodò ita temerè peccator & nullâ ratione pœnitentiam differret in ultimum vitæ diem. *Tom. 10. ſerm. 57.* *Quomodo agit pœnitentiam, in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ à moriente tantum petitur, timeo ne in ipſa moriatur.*

O Pater, & quiſquis unà Prædicatorem agit, quid niſi terrorem incutitis? Redditis difficillimum quod alioquin eſſe facillimum credebatur. An non unicus pœnitentiæ & contritionis *Halisgar. Tom. 9. Biblioth. vet. pp.* actus ad ſalutem ſufficiat? (Oportet ex fide credere indubitanter (Epiſcopi Halisgarii ſunt verba) pœnitentia aboleri poſſe peccata, etiamſi in ultimo vitæ ſpatio commiſſa.)

Latro, cui nomen Diſmas, nunquid in extremis converſus, & duobus verbis ſalutem conſecutus? *Memento mei Domine.* Hoc etiam nos præſtabimus, & remiſſionem obtinebimus atque cœli gloriam. *Luc. 23.* In hoc confiditis? In legibus, video, verſati non eſtis: diſcite, quod jure contentum: *Privilegia paucorum non faciunt legem communem.* Nunquid aliquando audiſtis: *Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum?* Nonnè & hoc notum eſt: *Quæ à jure communi exorbitant, & diſcordant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda?* Et commune eſt. *Allegare ſpeciale eſt refugium miſerorum.* *c. Quod alicui de reg. juris. c. de Ep. & C. lit. c. Quæ à jure de reg. juris.* Navis una aut altera ad portum venit, non tamen inde ſequitur, reliquas omnes eò perventuras. *Et ideò* (inquit Sanctus Auguſtinus) *quicumque invenire vult miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ut ſanus eſſe valeat in futuro.*

Quid tamen objicitis, Latronem converſum eſſe per pœnitentiam in ultima vitæ hora aut etiam momento? Fallimini peccatores: non ſic eſt, non ſic. Hora illa, quam vos ultimam dicitis conſiderari poteſt vel in ordine ad vitam, vel in ordine ad cognitionem, quam de Deo habuit latro. Et quidem ultima eſt reſpectu vitæ: at vero intuitu cognitionis de Deo habitæ, prima eſt, cum priùs Dei Filium non agnôrit: atque illâ primâ horâ converſus eſt, neque Pœnitentiam diſtulit: ita ut unâ & eâdem horâ Deum ipſe cognoverit, & à converſione ſtatim delicti pœnituerit. *Ergo ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad conſequendam fidem non fuit extrema illa hora, ſed prima.* *S. Auguſt. ſerm. 120. de tempore.* Ita Divus Auguſtinus. Godefridus Abbas expreſsè etiam addit: (Ille ſi Chriſtum anteà cognoviſſet, credidiſſet utique, & in illo felici Apoſtolorum conventu non eſſet noviſſimus.) Et ita in exemplum potiùs adducendus eſt bonus Latro atque in præjudicium veſtrum & magnam confuſionem. *Godefrid. Abb. ſerm. 10. de bono latr. in Biblioth. vet. pp. Tom. 12.* A quanto enim tempore vobis innotuit, ex fide Catholica tenuiſtis, didiciſtis & firmiter credidiſtis Chriſtum eſſe verum Dei Filium? An forte jam demum noſtis, & hora hæc, quâ audiſtis, prima eſt? O Deus! tam diu ſciviſtis, nec ad Deum converſi eſtis per pœnitentiam. Audi peccator Sanctum Ambroſium urgentem: *Nonnè ſi vis, hodie? Nonnè, ſi vis, hodie fit?* *D. Ambr. in pſ. 63.* Quid difficile fit & remoratur? An fortaſſis media & ſumptus deficiunt? An mare tranſeundum eſt, ad Indos penetrandum, aut certè montes transferendi? *Quid empturus es, ut facias? ad quos Indos navigaturus? quam navem præparaturus?*

Adesdum, & tuis te rationibus ſtatim convincam. Nunquid cum Chriſto crucifixi ſunt duo latrones? Hærebat impiùs unus in lecto crucis agonizans: aderat ei Chriſtus ad pœnitentiam invitans, etiam Deipara Virgo pro ſalute animæ ejus ſollicita. Crucifixus Salvator pro eo patiebatur, & pro ejus, æquè ac pro totius mundi peccatis moriebatur. [*Luc. 23.*] A bono latrone monitus eſt & reprehenſus: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione?* neque tamen convertitur. Solem obſcurari vidit, & non conterebatur: terra movebatur, & ipſe obſtinatus permanſit: Centurionem audivit, qui fatebatur: *Verè Filius Dei erat iſte*: Hebræos intuebatur, [*Luc. 23.*] qui delicti pœnitentes, *revertebantur percutientes pectora ſua*, & tamen ipſe damnatus moritur, & in infernum impœnitens deſcendit æternis ignibus cruciandus.

[*Ad 1 ad C. Monac. c. 5. in Biblioth. vet. pp. Tom. 11.*] Dic modò verùm: nonnè utique auxilium offerebatur ſufficiens? Unus tamen ſalvatur, alter damnatur. *Æquales hi duo in pœnis inventi ſunt.* (dicit Philippus Solitarius) *aſt in extrema prudentia pares cogniti non ſunt: nam ille in paradiſum, hic ad inferos profectus eſt, ille bonus, hic improbiſſimus apparuit, & cum maledictis ſuis damnatus eſt.*

Ut quid igitur non ſimiliter dicis: Non ſalvatur ille, neque ego ſalvari potero in ultimo vitæ, ſi eò pœnitentiam differam? [*D. Athan.*] *Alter regnum hæreditavit, alter in gehennam dimiſſus eſt*, inquit S. Athanaſius. Mirum ſanè: in latronem bonum omnes intendunt, in malum nemo.

Velle te quidem & meditari Paradiſum potiùs quàm infernum, non dubito: poſt offenſam Dei intendere te pœnitentiam ut Chriſtianum oportet, facilè credam, quia juxta doctrinam S. Thomæ, *impoſſibile eſt peccatum actuale mortale ſine pœnitentia remitti.* Sed in differentia temporis in *quando* nodus eſt. [*D. Tom. p. 3 q. 86. a. 2.*] Dic mihi, quando veniet illud momentum? quando erit illa hora, cùm volet Deus. Scias pro certo, Deum velle modò, jam jam & non poſteà, non ſeriùs.

Cùm de latrone ſit ſermo, curioſum mihi dubium incidit. Sancta Mater Eccleſia ne vel ſemel in toto anno de Latrone bono commemorat in Divinis Officiis. An quia fortè de Sanctitate ejus dubitat, quod in ultimum vitæ tempus diſtulerit bonum operari? nil omninò, cùm ab ipſomet Dei Filio ſit Sanctorum numero aggregatus & ut Sanctus celebratus: *Hodie mecum eris in paradiſo.* [*Luc. 23.*] Et S. Dionyſius ſcribit à Chriſto in aſcenſione aſſumptum eſſe etiam bonum Latronem, ut eſſet ingreſſus in cælum glorioſior: *Sacratiſſimam ingrediens patriam, ſecum Latronem introduxit, non conculcans, ſed honorans paradiſum.* [*D. Dionyſ. & D. Chryſoſt. hom de Cruce & Latr.*] Deindè, quandoquidem de tot aliis Sanctis Eccleſia officia celebret, aut ſaltem commemorationem faciat, cur non etiam de magno iſto Sancto? Miror valdè, neque hanc difficultatem quis facile explanet, ſi non ad SS. Patrum doctrinam refugiat. Sanct. Auguſtinus inquirit, cur Eccleſia Feſta Sanctorum celebrari præcipiat? nil enim caſu agit; ſed, cum à Spiritu ſancto directa ſit, myſterosè diſponit omnia ad certum aliquem finem, particularis ille ſit vel univerſalis. Proponitur ex. gr. Joannes prædicans in deſerto: in quem finem? ut ab ipſo diſcant ſinguli pœnitentiam. Proponitur Joſeph & Maria, ut vivendi normam dent conjugatis. Acta Apoſtolorum nobis exhibentur, ut eos imitemur in Dei obſequio, in moribus, in ſanctis operibus, quæ viventes illi exercuerunt. Atque ita de aliis Sanctis dicendum. [*D. Auguſt. ſerm. 47. de Sanctis.*] *Solemnitates Martyrum exhortationes Martyriorum ſunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Ab eis enim ſanctorum Martyrum in veritate feſtiva gaudia celebrantur, qui ipſorum Martyrum exempla ſequuntur.* Hæc Sanctus Auguſtinus, & quod ſequitur: *Quando celebrabitis natalitia Martyrum, imitamini Martyres*, Sanctus Gregorius conſentit: *Debemus imitari quod colimus.* Itaque ab Eccleſia celebrantur Sanctorum Feſta, ut ſic eorum vita & geſta miranda ob oculos verſentur & omnibus commendata ſint ut imitentur. Proinde S. Mater Eccleſia, quam Spiritus ſanctus illuminat, Feſtum boni Latronis non inſtituit, ne vel mentionem facit, non ſecus ac ſi in Sanctorum Kalendario non eſſet: quia ſi feſtum hoc celebret, adeoque Latronis boni vitam imitandam proponat, meritò conqueri poſſint reliqui Sancti. Omnes enim hoc feſtum unicè colerent, iſtum ſinguli patronum vellent, ut imitarentur, ad ultimum vitæ pœnitentiam differendo. *Exemplo iſtius Latronis nullus debet ſuam pœnitentiam differre uſque ad mortem* (Monet Ludolphus Carthuſianus) [*Cart. p. 2. c. 63.*] *quia privilegia paucorum non faciunt legem communem, & pauci ſunt, qui in morte pœniteant verè. Nam ſicut monſtruoſum eſſet, quod lupus caudam ovis haberet, ita monſtruoſum videtur, quod vita mala bono fine claudatur.*

Expectas ergo & pœnitentiam ad ultimum vitæ procraſtinas? Neſcis tamen ultimum iſtud quando erit, mors enim incerta eſt, neque tibi

Deus, puto, revelavit. Ut quid igitur in finem differre audes? Quid reſpondes? cùm ſenueris, vitam emendabis? ſed quis tibi ſenectutem addixit? an fortè Deus ſcripto promiſit? an chirographum habes, ut de hora mortis & de ſalute ſis ſecurus? Attende miſer, quot ſubitò, quàm ſæpè moriuntur. Nonnè vides quia à dæmone ea fallacia eſt, & connives? Eſto tamen, fias ſenex, vide utrum decrepitus aliquis factus jam bonus, qui in juventute fuerit malus. Hoc mihi crede: qui in juventute malus, plerumque in ſenectute
*S. Aug. T. 9. ſerm. 71.* peſſimus invenitur. Attende obſecro, & S. Auguſtinum ſeriò hortantem audi. *Diſſoluta & paralytica cogitatio eſt, de craſtina cogitare converſione & hodiernam negligere. Quid tu peccator converti ſimulas? nonne metuis, ne diem converſionis ſurripiat dies perditionis? nonne homines citò moriuntur? Si bonum eſt relinquere peccata, & ad Deum ſe convertere, citò fiat.*

Magnum quid ait S. Ambroſius. *Si aurum tibi offeram, non mihi dicis: Cras veniam? ſed jam exigis aurum: accipere nemo differt, nullus excuſat: redemptio animæ promittitur, & nemo feſtinat.* O ſtultum te & amentem! Tantalus verès, aqua Sacramentorum exuberat, & tamen ex ſiccitate peccati & ſenſualitatum ardore aridus manes & ſiti moreris. O miſeriarum omnium maxima, & calamitas inaudita!

Legiſſe recordor de Nobili, cui hortus pro deliciis. In vaſe pulcherrimo perſicam habebat, ſed quæ ab ardore Solis arida reddebatur: & ne omninò exareſceret ac emoreretur, hortulanum vocat, jubetque ut in locum humidum transferat, & collocet juxta fontem mille rivulis ſcaturientem. Elapſis autem aliquot diebus, reviſit & penitus areſactam reperit, ſeque in vanum laboraſſe. Hinc à ſubtili ingenio adinventum eſt emblema, atque hæc vaſi inſcriptio:

*Guil. pepin. in Conc.* *Son poſtea qui ove queſto fonte verſa.*
*Accio ch' io non mi perda, & jo ſon perſa.*

Et non vides peccator ab ardore libidinis areſactam animam, ſic ut bonis operibus non vireſcat & germinet? Quid dicam, perditioni proximam eſſe, an jam perditam? Pœnitentiæ fons propè eſt: Chriſtus, inquam, Fons vitæ, per quinque vulnerum rivulos pretioſiſſimum ſanguinem effundens, ut revireſcas in ſalute, ne anima tua pereat tanquam perſica areſcens & obſtinata. Dubitas adhuc majorem eſſe iniquitatem tuam, quàm ut per pœnitentiam remittatur? Falleris, quia, ut ait Tertullianus. *Omnibus delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem veniam per pœnitentiam ſpopondit.* *Tertull. l. de pœnit. c. 4.*

Conſilium Hippocratis *a* eſt, Infirmitas ſtatim ac oritur curanda eſt: *Morbi cum inchoant, ſi quid movendum videtur, move.* Majori ſolicitudine medendum eſt pœnitentiæ pharmaco infirmitatibus animæ ad mortem aggravantibus. (In febr non intermittente, ſi labrum, palpebra, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, jam debili exiſtente corpore, quidquid horum evenerit, mors proxima eſt.) Quænam peſtilentior febris non intermittens & periculoſior, quàm peccata continua, quotidie ſine interruptione commiſſa? A Deo ſenſibus omnibus averſus leges divinas pervertis, pericula imminentia non vides, aut certè non curas, inſpirationibus cæli obdureſcis, nec verbo Dei moveris. Quid ſequitur? *Mors proxima eſt*, & hoc infallibile: non procul abes ab æterna damnatione. *a 2. Aphor. 92.*

Heu te miſerum! dæmon illudit, nec percipis: *Si rivum vel domum, quam per alterum fieri feciſti, contingat labi in ruinam ex vitio operis,* (habet lex) *tunc operarius tenetur readificare, alias non.* Deus in corpore hoc animam noſtram fabricavit, ex peccato tamen ruinam æternæ damnationis minatur. Quis in cauſa? an Deus qui ædificavit? non, quia Deus non eſt cauſa effectiva mali, ſed tu, *& perditio tua ex te* Itaque ſecundum leges obligatus es ad reparationem per pœnitentiam, & ſine dilatione, ne everſam videas, & ruinam irreparabilem. Nec erit excuſationi locus: ſatis enim tibi prædixit & millies monuit, tandemque Joannem expedivit qui pœnitentiam ſeriò prædicaret: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et ſi divinæ huic vocationi non pareas, aulæ cœleſti rebellis & contumax denunciaberis, & juſtitiæ ſupremæ pœnas dabis. *Tunc aliquis reputatur contumax, quando, poſtquàm fuerit à ſuo Iudice ter vocatus, vel unicâ vice pro trina peremptoria, venire & comparere contempſerit.* Sic ut ex mora quam traxeris, non comparendo ad tribunal pœnitentiæ, arguendus eris contumaciæ, & æterno ſupplicio puniendus. Tempus erit, cum videbis & curabis, ſed, ob dilationem, fruſtrà conaberis, non ſecus ac uxor Loth verſa in ſtaturam ſalis, quæ ſic loqueretur, ſi poſſet: Salem ſapientiæ habeo, quò errorem, quem commiſi, videam: ſed quia tarda, vana eſt cognitio. Ita illi viſus Marius loqui: *ff. Locat. & con. l. Si rivum.* *L. contum. ff. de re jud.*

*Cum falſos lib.ſſet lingua ſapores.*
*Sero, ait, heu! ſero poſt tua fata ſapis!*

*Marius Bettin.*

Prudenter factum à Joanne, cum pœnitentiam prædicat in deſerto, quia eam peccatoribus annuncians, quid niſi deſerto prædicat, ubi nemo eſt qui audiat? verba dat, imò ventis, lapidibus & feris. Si quando aliquis homo attendit, cùm ad pœnitentiam movetur, mente tacitâ reſpondet: *Audiemus te de hoc iterum*, aut etiam. *Cras melius me habebo.* infuturum intendit, quod non habet, in eoque confidit, quod incertum eſt, tempus vero præſens quod poſſidet & certum, negligit: *Nemo mihi illa vulgari voce occurrat, aut mellita illa promat verba. Cras melius habeo Eſt autem Cras vox diaboli, quam Apoſtolus meritò vocavit fallaciam peccati: diabolus enim & peccatum in eo nos perpetuò fallunt, quod hodie ſibi reſervēt, & cras Deo fallaciter promittāt.*

*Dan. Sovater in pad. Divit.*

Cum aliquando moribundus in lecto contritionis actum elicere putabis, diabolus ſpei januam claudet, & in deſperationis præcipitium trahet. *In illo enim momento*, ait S. Chryſoſtomus *ſtat diabolus gladium acuens, & dicens in hæc verba: Omnem juventutem tuam confudiſti, omnem vitam tuam perdidiſti: ante eras in theatro cum amicis, in circo cum ſodalibus, in lupanari cum meretricibus: deinde rapuiſti, avaritiæ ſtuduiſti, perjuraſti, blaſphemaſti. Quæ jam tibi ſalutis ſpes eſt? Periſti, periſti. Hæc diaboli verba ſunt.*

*Hom. 2. in pſ. 5.*

Tandem cum periculum feceris, expertus dices, malam vitam eſſe mortis peſſimæ matrem. Conſilium dabo, exequere. *Cito ad pœnitentiam curre, ne ſub vitæ exitum inita, exitium tibi parturiat.* Et hoc S. Maximi monitum. *Pœniteamus ergo veraciter, ut à paſſionibus expediti, peccatorum veniam conſequamur.* Conſonat Italicè dictum.

*Novarin. Elect ſac. n. 219.*

*Non ti laſciar condurre ad paſſo eſtremo.*
*Che molti n' hà ingannati il ben faremo.*

Peroro S. Auguſtini verbis. *Pœnitemini igitur fratres mei, & pœnitentes pœnitentiam agite in gloria Beatorum.*

*T. 10. ſer. 1.*

# IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

## ARGUMENTUM.

Amor Dei erga hominem ſingularis eſt, ac tantus ut (ſi ita liceat) dici poſſet impatiens, tam ardenter deſiderabat incarnari, & cum hominibus converſari. Quam lætum eſt, univerſo mundo, gratum mirum & inſolitum ſpectaculum, Deum infantulum in præſepio Bethlemitico contemplari!

## THEMA.

*Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi.* S. Lucas. cap. 2.

INcultus ego & inter Paſtores Bethleemitas imperitiſſimus adſum, Auditores, exoptatum fero nuncium: neſcio tamen ſitnè lætandum potius, an magis admirandum: Ecce, cum ex Aurora Virginali Sol juſtitiæ progreditur, nova omnia in ampliſſimo orbis theatro, mira & ſtupenda conſpicamur. Si quidem, ut loquitur S. Odilo, *dum cuncta, quæ creata ſunt, cernimus, in Creatoris admirationem ſublevamur.* Et quis non miretur, hoc anni tempore, menſe, inquam Aprili, veterrimo ac nudo, aperiri terram, prodire ex ſinu gelidiſſimo flores lectiſſimos & herbas odoris fragrantiſſimi? Hinc aura Favonii leviter ac placidè ſpirat. Videantur ibi gemmare vi es, ridere prata, ſcaturire fontes, inter ſpinas pullulare rubentes roſæ, cœleſti rore ſata omnia uberrimè irrigari. Et quid de agrorum viriditate? lætari eos dicerem, & quaſi luxuriari. Si cœlum video, an non ex argento puriſſimo credatur, auroræ ſic pictum coloribus? Quid? hortus amœniſſimus dici poſſit ſtellis radiantibus effloreſcens Terram aſpicio & velut alterum jam cælum contemplor quot raris floribus, tot ſtellis fulgidiſſimis decoratam. Non jam nox horroris & tenebrarum mater abſterret, ſed nimio fulgore illuminat arbores promiſcuè, etiam quercus, etſi ſeneſcentes & quaſi emortuæ haberentur, virorem exprimunt & læto hoc amictu recreant; Domino naſcenti gratulando. *Videte miraculum*, (exclamat D. Petrus Damianus,) *ſcintillat ſidus, exultat polus, tellus reſultat, gloriantur Angeli.* Et cum Angelorum jubilo cælum & terra lætentur, rediiſſe jam auguror verè aurea ſæcula: ut meritò jam caneret Theodulphus Epiſcopus.

*a ferm. 62.*

Con-

In Bibli-oth vet. pp. Tom. 9.

*Concinebat Angelorum turba læta laudibus,*
*Terræ pacem prædicantes, cælo reddunt gloriam:*
*Chriſto nato Rege magno totus mundus gaudeat.*

Ecquis non admiretur, Sponſam ſine interventu mortalis ſponſi fieri Matrem fœcundam, Regem cœlorum ſinu excipere, & hic jam eſſe in terris cœlum? Quis non exultet gaudio & rapiatur, cùm Deum videt converſantem cum filiis hominum, relicto Angelorum conſortio? O mirum! Deus æternus fit mortalis, ut ſperet homo, cælum rideat, plangat infernus, ſpolietur limbus, paradiſus reſeretur, & mundus ſalvetur. O felix Bethleem Dei magni electiſſima civitas! *In te, & in ſuburbanis tuis viſa ſunt mirabilia; hodie Deus pendet ab uberibus, ponitur in præſepe, ligatur in cunis, pannis involvitur, & laxatis faſciolis felices manus & ſancta brachia per cunarum parvitatem expandit.* Ita B. Petrus Damianus. O felix partus & puerule amantiſſime! *Nunc Sacramentum à ſæculo abſconditum detegitur,* Divi Damaſceni ſunt verba) *nunc Divinæ diſpenſationis ſumma perficitur, nunc incarnationi Dei Verbi coronis imponitur, nunc Divini in nos amoris publicatur abyſſus.*

B. Petr. Dam. ſer. 6. de nat. Salvat.

Orat. de Sabbat. Sancto.

Unde in hoc ſanctiſſimo & ineffabili incarnationis Filii Dei myſterio non tam loquendum, quàm profundiſſimo ſilentio admirandum & reverendum. Cum tamen ad ortum novi ſolis dulciſſimo Angelorum & avium concentu perſonent omnia, & lætiſſimis vocibus ubique ebuccinetur mirabile Nativitatis myſterium, ſolus ego ſtertam & taceam? non expedit. Loquar ergo de ardentiſſimo Verbi deſiderio quo ad incarnationem ferebatur, ut ſic deliciis ſuis frueretur cum hominibus converſando: nec non de incredibili Mariæ gaudio in deſideratiſſimo partu. Conabor igitur mira & læta breviter enarrare, vos modo ſilentio & attentione favete.

## PARS PRIMA.

NOn tam velox flammæ ad ſphæram ſuam ex inſtinctu naturæ volatus, nec tam rapidus petræ ad centrum deſcenſus, quàm fuerit Sapientiæ increatæ deſiderium fervens, ut in mundum properet mortalitatis noſtræ exuviis in Virginis caſtiſſimæ utero induenda. Non tam vehementer ignes Ætnæi erumpant, quàm Dei Filius excitetur ardentibus votis, ut tandem aliquando incarnetur & homo ſimilis nobis appareat. Ad agrum Damaſcenum nos conferamus & cum Tertulliano minutatim, quidquid in creatione hominis factum eſt, obſervemus. Hoc mirum videri præ ceteris poſſit, cœlum, terram, mare ac alia vaſtiſſima ex nihilo à Deo creari virtute ſolius voculæ *Fiat*, at verò ad plaſmationem humani corporis totum Deum impendit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Deus quantus in eſſentia & in perſonis, concurrere voluit infinitam ſapientiam, omnipotentiam, providentiam, & cetera attributa adhibendo. Quorſum tantus conatus? quod homini in votis eſt & deſideratum, totis id viribus omnique ſtudio proſequitur, totus incumbit, momenta ſingula annos eſſe ſentit: adeò eum mora excruciat, donec finem intentum aſſequatur. Per eam terræ maſſam Virgo Maria, per formationem Adami incarnatio Verbi, per Adamum jam creatum Deus incarnatus figurabatur: unde cum Adamum in productione, ſemetipſum Deus in ſua incarnatione contemplabatur, q. d. Quando tandem erit illa hora, cum in humana carne mortalis ero, palbabilis, apparens & ad oculum corporeum viſibilis: hic, hic attributis divinis laborandum eſt, omnibus enitar viribus, ut quantocyùs figura illa exprimatur, atque ſic eò citiùs pro deſiderio meo incarnatione & nativitate figurati potiri liceat. *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum.* (verbis moneo Tertulliani,) *manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ & providentiâ, & ipſâ imprimis affectione, quæ lineamenta ductabat. Quodcumque limis exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus. Et fecit hominem* Deus. *Id utique quod finxit, ad imaginem DEI fecit illum, ſcilicet Chriſti; ita limus ille jam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantum opus Dei erat, ſed etiam pignus.* Verbo dicam: diligentia illa & ſtudium, quæ in formatione hominis Deus adhibuit, flagrantiſſimum ejus deſiderium exprimebant quo ferebatur ut humanã naturã aſſumeret.

Tertull. l. de reſur. car. q. 25. in Geneſ.

Advertit Angelicus Doctor in creatione mundi fieri mentionem Verbi ſeu Sapientiæ æternæ, quàm ſecundæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis attribuimus. Et hinc Origenes ad illa verba Geneſis. *In principio creavit Deus,* &c. legit *In Sapientiâ* S. Hilarius ſic: *In filio creavit cælum & terram.* Et meritò: ſiquidem *omnia per ipſum facta ſunt*, (id eſt per verbum) *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Et condito jam Univerſo, tandem creavit hominem. Ut quid non anteà? Primum creari hominem oportebat, utpotè reliquis creatis digniorem. Reſpondeat fortaſ-

Gen. 1. 70. Interpr. S. Hilarius. Ioann. 1.

ſis

ſis aliquis & cum Philoſophis dicat: *Quod eſt primum in intentione, eſt ultimum in executione.* Aut verò hominem ultimo eſſe loco reſervatum, ut ſtatim ac eſſet creatus, in mundo hoc ceu palatio ornatiſſimo poneretur, cœlo ſtellis ſplendidiſſimo, terraque diſperſis quaquaverſum floribus recreatur.

Ea tamen eſt, neque diſplicet D. Thomæ Aquinatis opinio. In Principio creationis mundi ponitur Verbum à Patre generatum. *In Principio, in Sapientia, in Filio creavit Deus cælum & terram,* & in fine homo creatus à Deo, ut innoteſceret deſiderium quo appetebat unionem hypoſtaticam & ſubſtantialem principii cum fine, id eſt Dei cum homine, ſupremi cum infimo, digniſſimi cum abjectiſſimo, Verbi Divini cum naturà humana. *Quid ſanè ſapientius* (Angelici Doctoris ore loquor) *quàm ad complementum totius univerſi fieri: conjunctio primi & ultimi, ſcilicet Verbi Divini, quod eſt omnium principium, & humanæ creaturæ quæ in operibus ſex dierum fuit, ultima omnium creaturarum*?

*D. Thom. Aquin.*

Patriarcha Jacob per Syriam ibat juſſu patris verſus Meſopotamiam, & poſt longum iter ad veſperum laſſus ad quietem ſe diſpoſuit, chlamydem ſubſternens, & aliquot pro cervicali ſupponens lapides ſubſidio placidè obdormivit. Mediâ jam nocte in ſomnis conſpexit erectam ſcalam à terra ad cœlum uſque: *Vidit Iacob ſcalam, & cacumen illius tangens cælum.* Neque hoc ſolum, ſed *& Dominum innixum ſcalæ.* Quid? Deus ergo ſuſtineri debeat, cum tamen omnia ipſe ſuſtentet? In textu Hebraico legitur, *Pedes in ſcala habebat veluti deſcenſurus.* Plerique Interpretes hoc loco per ſcalam allegoricè Mariam intelligunt. Ita Andronicus Conſtantinopolitanus [ Scalam hic mihi Virginem intellige, per quam in cœlum à terra ſurrigimur. ] Quot enim illa, tot habet hæc meritorum gradus, Illa à terra ad cœlum uſque elevata: eo etiam hæc ſanctitate pertingebat. Deus in procinctu videbatur ad terram per ſcalam illam venturus, & quaſi moræ impatiens momentum illud avidiſſimè expectabat, quo de cœlo in terram properaret, in Mariæ Virginis gremio incarnandus. (Pedes in ſcala habebat, veluti deſcenſurus, quaſi diceret: Adveniet tempus, Jacob, cum ego deſcendam, humanamque naturam de ſtirpe tua aſſumam.) Quid ita, Deus bone! acceleras? Deliciis Paradiſi frueris & ad miſeriam noſtram declines? Æternus es, immenſus, infinitus ac immortalis, & per ſcalam iſtam virginalem deſcendes atque carnem noſtram aſſumes calamitoſis mundi accidentibus ſubjacendo? Itane Majeſtatem Divinam deprimi ſuſtines & loco anguſtiſſimo concludi? Omninò: eò enim trahit & propellit incarnationis, quo ardet, deſiderium.

*Gen. 28.*

*In Hebr.*

*c. 21 in Biblioth. vet. pp T. 14.*

*Barrad. l. 3 c. 13.*

In Canticis ſic Deus deſiderium expreſſit & amorem, cùm effectu maximo Mariam ſponſam invitat, ut inſtar roſæ candidiſſimæ ex ſinu materno prodeat & mundo enaſcatur! *Surge propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni.* O æterne Monarcha, qui univerſorum es conditor, in neceſſitatibus refugium, in infirmitatibus virtus: quid tibi opus ſponsâ Mariâ, ut ſic illam avidè velis & quæras? Aſſumpturus erat carnem in utero illius virginali, adeoque ita loqui videbatur: Et quomodò poſſim ego incarnationem meam velle, ſi non prius deſiderem & procurem nativitatem ejus, in cujus ſinu concipiar? *Propter quod unumquodque tale, & illud magis,* Philoſophi dictum eſt. Et ſi tanto incenſus fuerit deſiderio nativitatis MARIÆ, quanto ſuæ incarnationis flagrarit, facilè quivis conceperit. Teſtis mihi ſit Mariæ interpres Rupertus Abbas: *Tamquam præſenti loquebatur mihi, meque jubebat ſurgere & properare: id eſt, naſci, & hoſpitium ventris mei ſibi cito præparare.*

*Cant. 2.*

*Ariſtoteles.*

*Rupert. Abbas apud Giſler. in Cant. 2. v. 10.*

Sanctus Iſichius extremo erga Deiparam affectu hoc ei præconium dixit: *Maria eſt complementum Trinitatis.* Ergo à MARIA complementum habet Sanctiſſima Trinitas & ultimam perfectionem? nimis exaggeraſſe hic Sanctus videtur, in præjudicium quidem trium Perſonarum Divinarum, Mariæ attribuendo indebitum. Quomodò poſſit, obſecro, creatura, etiamſi ſanctiſſima ſit, Creatori addere complementum? Et nunquid anteà imperfectus ille ſupponitur qui perfectionem ab altero recepiſſet. In Deum ne vel minima cadere poteſt imperfectio: quomodo ergo à Maria perfectionem accipiat? Proindè incongruè locutus eſt S. Iſichius hunc Mariæ titulum aſcribendo. Laus illa creaturæ abominabilis eſt & blaſphema, cùm per eam Creatori derogatur, Theologorum communis vox eſt: *Deus eſt ſummum bonum, & ſummo & infinito modo eſt bonum communicabile:* Communicatur *ad intra*: quia Pater æternus cognoſcendo ſeipſum actu intellectus generat Verbum, & ſe mutuo amando producunt Spiritum ſanctum, atque ſic impletum eſt Dei deſiderium, ſe communicando *ad intra*, ut ſummum bonum. Remanſerat tamen deſiderium ſe communicandi *ad extra per hypoſtaticam*

*S. Iſichius Epiſc. Ieroſol.*

*D. Thom. Scotus Franc. à Chriſto tract. de Incar. & alii.*

*unionem,* carnem aſſumendo : adeò ut exquiri debuerit in toto mundo digniſſima & ſanctiſſima. Eligitur itaque Maria, quæ Deo ſubminiſtret de ſanguine ſuo puriſſimo, ut in inſtanti incarnationis formaretur corpus humanum, ſic ut meritò dixerit S. Iſichius : *Maria eſt complementum Trinitatis.* Per illam enim impletum eſt deſiderium Verbi æterni , quando eſt caro factum. Si tamen ſola Perſona ſecunda incarnatur, dicendum potiùs : *Maria eſt complementum ſecundæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis.* Omnium Patrum Theologorum vox eſt : *Opera ad extra ſunt indiviſa.* Undè cum ſolum incarnata ſit ſecunda *terminativè:* ſ. ſuppoſito ſuo naturam humanam terminando , reddendo incommunicabilem & interminabilem , habuerunt & duæ aliæ perſonæ concurrendi deſiderium , ſaltem efficienter & per concomitantiam. Hinc advertens S. Iſichius Mariam completum eſſe hoc trium Divinarum perſonarum deſiderium, meritò concluſit hoc Virgini Deiparæ convenire & deberi encomium: *Maria eſt complementum Sanctiſſimæ Trinitatis.*

*Apud Theolog.*

Hoc modò (NN.) velim. Ad vitam Patriarchæ Abraham mentis aciem convertamus & in ejus actionibus ſanctis ceu totidem myſterioſis litteris æterna hæc Divina deſideria perlegamus. Præibo.

Dominus Deus volens experiri fidelitatem ſervi ſui , ad eum modum quo Aurifaber crebris ictibus argenti puritatem explorat, mediâ nocte dormientem vocat *Abraham, Abraham.* Ille ſtatim ac experrectus , reſpondet promptum ſe & paratum ad audiendum & in omnibus obſequendum : atque illi Deus : *Tolle filium tuum quem diligis Iſaac , & offer illum mihi in holocauſtum, ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* Hoc volo, & jubeo, obedi ſtatim & omne id exequere. Voce Domini non interiit Abraham: verbo enim Domini protrahitur vita, non corripitur : ſic tamen ille ſenſit interiùs, ut graviſſima ex imo pectoris eruperint ſuſpiria: e ſtrato ſurgit, ſedetque triſtis & manibus incumbens capite, dejecto vultu, demiſſis in terram oculis tacitè ſecum penſitabat diſſidium humanitatis & affectus paterni unde parricidii & tyrannidis arguebatur. Conſcientiam meam (inquit) interrogem, culpam non objiciet, ob quam in filium meum crudeles manus injicere cogar. Dubitem an non fortaſſis ægrè tulerit Deus inordinatum meum & Saræ uxoris gaudium in nativitate filii mei Iſaac : Vel certè vereor ne diſplicuerit convivium nimis lautum & ſplendidum, cum ablactatus eſt infans, unde forſitan ſuperbiæ ſim culpandus: Aut putet Deus ob hanc de filio meo felicitatem me ſine cura ſalutis vivere, aut beatitudinis eſſe contemptorem : Crediderim id Saræ ſupplicium eſſe, quod in credendo fuerit tardior , cum nos habituros in ſenectute filium intellexit. Mille cogitationes irrepunt & turbant. Sed quid ? an ſomnio? non, quia ſurrexiſſe videor. Et licet in maxima animi anguſtia, & conſtrictione cordis inter lachrymas & ſingultus gemens hæc dabat verba: Abſit hoc à me, Deus , abſit ut tuæ ego voluntati reſiſtam ? ne vel latum unguem ab ea unquam in vita mea recedam. Doleo quidem, fateor , non quod me præceptum tuum exequi oporteat, ſed quia affectum paternum in me ſentio, qui ad gemitum & has lachrymas commovet. Itaque filium expergefacit & famulos , & antequam dies illuceſceret , relictâ domo ad montem pergit. Cum eò jam perveniſſet, lapides collegit ex quibus altare conſtruxit , ligna ſuperimponens & filium Iſaac, ut ita Dei juſſum adimpleret. O quanta hic erat Abrahami afflictio ! Paſſiones in corde ejus utrimque impetunt : affectus paternus movet , ut filio vitam donet : inſtat reverentia & honor Dei ut occidat & ſacrificet : Sed timor Domini amorem ſanguinis ſuperavit. Oculos ergò obligat nato innocenti & ſuper altare fortiter ſtringit. O Fili mi! (inquit) ne ſuſpira , quia ſuſpiria tua cor meum lancinant : non doleas Fili, alioquin morior. Tibi membra, Fili, mihi cor: tibi manus, mihi vitam hæc vincula conſtringunt : moriemur ambo. Quid diutius moror? Melius eſt filio privari, quam Dei gratiâ. Affectum ergo patrium cohibens manu dextrâ gladium ſtrictum elevat, ut Filiolum mactet : cum ecce ſubitò adeſt Angelus, manum ſuſpendit & gladium retinet, dicens : *Abraham, Abraham , non extendas manum tuam ſuper puerum.* Quis hic Dei cogitationes aſſequatur & explicet ? Sacrificium perſuadet, & ſtatim iterùm diſſuadet: mandat, & inde impedit : *Qui juſſerat, ut feriret, modo vociferatur ut parcat.* Ita attonitus Auguſtinus ait: & ſic etiam mirantibus nobis reſpondit. Quid putatis voluiſſe Deum, cum ſacrificium præcepit? Abraham affectum quærebat, non effectum: obedientiam Patris, non mortem Filii. *Parce, devote Pater , parricida ſine crimine parce, affectum tuum inquiſivi , non factum exegi.* Sed cur in perſona Iſaaci effectum ſacrificii impedivit ? Quis neſciat à Deo promiſſum patriarchæ Abrahamo,

*Gen. 22.*

*S. Aug. apud Lippom. in c. 22. Gen.*

hamo, ex ſtirpe ejus oriturum eſſe Dei Filium &
incarnandum: Unde apud S. Lucam legitur:
Luc. 1. *Iusjurandum quod juravit ad Abraham patrem*
Ibid. *noſtrum, daturum ſe nobis.* Ita ad Elizabetham
Deipara: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham.* Et Sanctus Paulus ſic loquitur ad Galatas
ſcribens: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones. Quæ*
Gal 3. *omnia* (ait Janſenius) *per adventum Chriſti im-*
Ianſon. in *pleta eſſe conſtat.* Et Thomas Beauxamis Carmeli-
Luc. c. 1. ta ſubſcribit: *Cum Abraham filium ſuum prom-*
*pto animo & manu externâ mactaturus eſſet, ut*
*Deo præcipienti morem gereret: Per memetipſum*
In c. 1. Luc. *juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, &*
Tom 1. *non pepercisti unigenito tuo propter me, multiplica-*
*bo te & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.*
*Vbi per ſemen Abrahæ intelligitur Chriſtus. Sicque*
*verbis illis promiſit Pater Vnigenitum ſuum ex ſe-*
*mine Abrahæ incarnandum.* Cum itaque Abra-
ham non haberet niſi unicum illum filium, mor-
tuo illo, ceſſaſſet ejus progenies ac deſcenſus, ne-
que potuiſſet Dei deſiderium ad incarnationem
adimpleri. Adeoque ut hoc votum ardentiſſi-
mum quod ante ſæcula concepi (ait Deus) ali-
quando tandem impletum videam, abſtine A-
braham, manum contine, ne occidatur, ſed vivat
filius tuus Iſaac, ut per illum cupiditati ſatisfa-
S. Auguſt. ctum ſit, & mundo naſcar. *Parce devote Pater,*
ubi ſuprà. *parricida ſine crimine parce, affectum tuum inqui-*
*ſivi, non factum exegi.*

Nec eſt veſtrûm aliquis (NN.) qui non aſſen-
tiat, ex velocitate motus lapidis ad centrum colli-
gi innatum deſiderium. Eodem modo ex velo-
Ariſtot. 4. citate curſûs Dei ad incarnationem facile eſt con-
Ethic. D. cludere & cognoſcere ardentiſſimum ejus deſi-
Th. 1. 2. q. derium, quo erat accenſus. *Velocitas motûs prove-*
129 a. 3. *nit ex eo, quod homo explere feſtinat, quæ intendit.*
Quando jam venerat plenitudo temporis, Ar-
changelo Gabrieli Pater æternus ſuggeſſit, ut ci-
tiſſimè in Nazareth avolaret, & Mariæ Virgini
decretum Sanctiſſimæ Trinitatis de myſterio
incarnationis annunciaret. Promptiſſimè Ar-
changelus obedivit, & in civitatem Nazareth pro-
perans, ad locum venit, ubi totius Univerſi Do-
mina reſidebat: illam intuitus mirari ſatis non
potuit gratiarum omnium vivum compendium,
atque dubitare cœpit, an in terra novum aliquem
paradiſum reperiſſet, an verò à cœleſti nondum
ipſe deceſſiſſet. Reginam itaque dum profundè
& reverenter honorat, florum omnium varie-
tas depluit, Virginis crinem adornans, aërem
(credo) depictura, aut certè terram novâ facie de-
coratura. Ave Maria (inquit) inter omnes ab
Eva mulieres, tu ſola electa es & ſola benedicta,
quam nulla unquam originalis macula inquina-
vit. Verè felix & beatus tuus ille ſinus, cum à
rebus omnibus mundi vacuus, Deo ſit plenus,
& ſummum bonum in ſe poſſideat. Contem-
plor enim in uteri tui Virginalis deliciis, quaſi
in horto vivo, æternum habitatorem. Miror Luc. 1.
quia Dominum hic video, qui me legavit, vola-
tum meum rapidiſſimum præveniſſe. *Dominus*
*tecum.* Qui me expediverat, citiùs tibi adfuit &
antevertit.

Simile quid narrat Q. Curtius. Alexander
conventum volebat Epheſtionem, & de re bel-
lica conſultum: ideoque ephœbum ei legat. Sed
vix ille receſſerat, cùm Alexander moram lon-
giorem non ferens, breviori aliquâ ad Ephe-
ſtionem viâ ipſe feſtinavit, & ante ephœbum ad-
venit, ita ut miraretur ille, neque ſciret, quid di-
ceret. Epheſtion etiam attonitus, tantæ feſtina- Q. Cur-
tionis, quâ ſervum prævenerat, cauſam interro- tius l. 3.
gavit: *Cur Dominus famulum præcurrit?* Ale-
xander ait: *Epheſtionis fides & prudentia Alex-*
*andros ſpectatores habere debet.* Idipſum quod
ephebo, etiam Archangelo evenit, cum dixit:
*Dominus tecum*, videns quod Dominus ante-
vertiſſet, ſed iſta velocitas à deſiderio eſt, quod
Deum ad incarnationem inſtigabat. Eodem
momento dimiſſo nuncio in viam ſeſe dat, fe-
ſtinatque præ amore, eoque devenit, ubi poſſit, Placid.
cum ſua res agitur, quid nuncius ferat, quid Nigid O-
amata contrà reſpondeat, audire. *Sed expreſſiùs* puſc. 4. de
*ad rem noſtram alius ſic interpretatur:* Qui ad devot. ergà
Virginem nuncium miſit, ipſe nuncium ante- B Virg 10.
vertit, Dominus tecum. Qui Angelum ad Vir- Hofmeiſt.
ginem miſerat, ab Angelo apud Virginem inve- in Luc.
nitur.) Tandem ita D. Bernardus concludit: c. 1.
*Quomodò, qui Angelum miſerat ad Virginem, ab*
*Angelo inventus eſt eſſe cum Virgine? Itanè velo-* D. Bern.
*cior Angelo fuit Deus, ut feſtinantem nuncium* hom. 3.
*celerior præveniſſet ad terras?* Et inferiùs ſubdit: ſuper Miſ-
*Quid? Quem modò reliquiſti in cœlo, nunc in utero* ſus.
*reperis? Quonam modo volavit & pervolavit ſu-*
*per pennas ventorum? Victus es, O Archangele!*
*tranſiliit te qui miſit te, & nimio pervolans deſi-*
*derio, prævenit ſuum nuncium ad Virginem, quam*
*amaverat, quam ſibi elegerat, cujus decorem ſibi*
*concupierat.*

Eo ergò tempore tantoperè à Verbo expe-
ctato, quo æterna deſideria complerentur, cùm
adhuc lateret in Matris ſinu virgineo, exiit ab
Auguſto Cæſare edictum, ut mundus univerſus
deſcriberetur, & omnes habitatores. Joſeph &

Maria, ne contra legem facerent, diverſorium Bethleemiticum petunt: ſed erat hyems ſumma, tempeſtas frigidiſſima, intenſiſſimum gelu & viæ difficillimæ. Tandem poſt moleſtias maximas ad veſperum in habitaculum declinant, ſed derelictum, ubi nil niſi calamitoſi temporis indicia apparebant. Eò ergo ubi venti undique conſpirabant, gelu & nivis omnia plena, eò inquam divertit ſanctus Senex, qui jam toto corpore rigidus præ frigore, manus halitu calefacere conabatur. Mariæ veſtes nive & gelu concretæ, illaque toto etiam corpore tremens, aliud non reperit ſolatium quàm patientiam. Et hanc vim frigorum, hyememque quomodò bonus Senex in ſtabulo hoc toleraſſet, ubi aquilo frigidiſſimus viſcera penetrare potuiſſet, ſi non pallio ſenilia membra obarmaſſet? *Intrat igitur Virgo Regia pauperis hoſpitii incompoſitas anguſtias: intrat domicilium paleis & animalium ſtercore ſordidatum* (ut deſcribit S. Thom. à Villa Nova) *domunculamque vento & frigori perviam gratanter inhabitat. Non ibi ſella, non lectus, non menſa, non ignis, non denique alia ſupellex præter humile præſepium paſcendis animalibus aptum.*

*Conc. 1. de Nat. Dom.*

Hora erat partus feliciſſimi, & ecce ſtatim turbidus aër ſerenatur, fit noctis temperies gratiſſima, & veris adveniſſe tempus putari potuiſſet. Terra, quæ nive jam obriguerat, ſolvebatur & jam leviter ſpirante Zephyro herbas exprimebat & flores pulcherrimos. Candor erat Lunæ fulgidiſſimus, cùm ecce Aurora ſpecioſiſſima Solem illum peperit, qui Divinitatis ſuæ radiis vultum Joſeph & Mariæ ſereniſſimum reddidit. Exultat cælum, reſultat terra, adſunt Paſtores læti, etiam oves ipſæ balatibus puerulo cæleſti gratulantur, canunt Angeli, & Dei laudes mundo intonare non ceſſant. *Veſtros levate oculos* monet S. Archiepiſcopus Valentinianus) *& videte deſuper Angelorum cuneos, velut apum examina circa puerum volitantes, & inter novi tripudia partûs mira Deo ſuo laudum præconia perſonantes. Erigite ſurſum aures & dulciſſimam percipite harmoniam, quam nato Regi cælorum intonant Poteſtates. Videte tripudium, attendite gaudium, ſentite jubilum, quo univerſum undique perſonat cælum. Rutilat ingenti lumine atra prius nox, depulſiſque tenebris, meridianum claritate ſuâ vincit fulgorem.*

*S. Thom. à Villa N. ubi ſuprà.*

Quid te movit, æterne Deus, ut regalem thronum viliſſimo præſepio præferas, & Angelicis concentibus raucos balatus? An ergo neſcis, dum mundo naſceris, quia mala undique te obruent? Tentaberis pluſquam Job: perſecutiones tibi graviores imminent quàm David? calumniæ majores quam Abimelech. Quid ſi contemptus ſis ut Gedeon, venditus ut Joſeph, traditus ut Amaſa, captus ut Goliath, ligatus ut Samſon, accuſatus ut Abner, deriſus ut Eliſæus, ſpoliatus ut Jeremias, percuſſus ut Michæas; crucifixus ut Machabæi, ſuſpenſus ut in deſerto ſerpens, occiſus ut Abel, transfixus lancea ut Abſalom, ſepultus ut Jonas; Nihil horum abſterret, ſed ad majora ferenda provocat amor noſtrî; & continuum deſiderium converſandi cum hominibus id effecit, ut pœnas antetulerit commodo, miſerias felicitati, injurias honori, odia ac inimicitias gratiæ & favori, incommoda deliciis, ſpinas floribus, laborem quieti, ignominiam gloriæ, crucem denique coronæ. Hoc unicum Deo curæ & cordi, incarnari & cum hominibus converſari.

Naſcitur ut alter Moyſes, qui à peccati tyrannide liberet: ut Noë, qui arcam Sacramenti fabricet: qui ut Salomon Eccleſiam Catholicam fundet ac erigat: qui ut Daniel à Satanæ illuſionibus defendat: qui ut David infernalem gigantem dejiciat, quemadmodum ab effectibus probat Petrus Damianus his verbis: *Verus David Salvator Iſrael contra Philiſtæos, id eſt, adverſus malignos ſpiritus dimicavit: percuſſit Goliath Getheum: quia dum electorum animas de gehennæ clauſtris eripuit, antiquum hoſtem, qui ſuper eos tyrannidem exercebat, lethali vulnere ſauciavit.*

*B. Petr. Damian. lib. 2. Epiſt. 20.*

Aſſerunt alii incarnatum eſſe & natum, ut humanitate ſuâ velut inſtrumento miracula & prodigia operaretur. *Ideò quia eſt organum conjunctum Verbo Dei, habet quod ſit univerſale Dei inſtrumentum ad omne opus miraculoſum*, aut verò, ut paſſione ſuâ nos redimeret & juſtos faceret *Ideò ex ipſa paſſione determinata eſt ejus humanitas, ut ſit inſtrumentum juſtificationis.* Et ut reſurrectione ſuâ vitam redderet, *per ipſam actualem reſurrectionem humanitas Chriſti conſtituta eſt inſtrumentum efficax ad reſuſcitandos homines.*

*Ægid. Luſit. l. 1. de beat. corp. q. 5. a. 5. §. 48. Idem ibid. & Cajet. 3. p. q. 56. a. 1. Suarez. T. 1. diſp. 31. ſec. 8.*

Alii diſtinctionem adferunt: aliter enim cauſari gratiam à Sacramentis, aliter ab humanitate aſſumpta docent. (Reſpectu gratiæ, humanitas habet ſe ut inſtrumentum conjunctum: Sacramenta verò ut ſeparata: & licet utraque ſint inſtrumenta: perfectiorem tamen modum operandi habet inſtrumentum conjunctum, quam ſeparatum.) Undè ut perfectiori modo det gratiam, ſicut excellentiori non poſſet, humanitatem accepit & natus eſt mundo.

*Cæleſt. Prun. quodlib. de cauſ. grat. cap. 3.*

Reli-

Relicto tamen motivo Theologico morali,
crediderim præcipuum hoc fuiſſe , quia Deus
quaſi impatiens, diutius abſque humanitate eſſe
non poſſet & abſens ab homine, ſine, quo nihil
ipſi gratum, nihil delectabile videbatur.

Annotat Tertullianus, ubi videbat Deus quod
Gen 6. *omnis caro corruperat viam ſuam*, & quod *omnis*
*cogitatio hominis intenta eſſet ad malum*, doluit, in
eo ſtatu hominem verſari, *tactus dolore cordis in-*
*trinſecùs* Ut quid triſtis es, Domine, & peccantis
te miſeret? Ex delicto ſequatur ſupplicium, & ſi
caſtigando hominis conſortium tollas, Angeli
non deerunt, ad laudem tuam & obſequium ſem-
per proni. Quinimo homo ipſe doleat, & jactu-
ram amarè deploret: perdidit enim omne bonum
à quo ſumma ipſi felicitas expectari poſſit. *Quare*
*doles?* ( petit Tertullianus ) *nonnè erat infinita*
*Angelorum multitudo? ne doleat igitur hominem*
*ingratum*, Currat ipſe vitiis ſceleribuſque conta-
minatus, & ruat præceps in pœnarum abyſſum.
Ah! non hoc ſentiam ego? non intimè doleam,
cùm peccando ſeparetur à me homo, atque amo-
veatur longius quàm cælum à terra? Intolerabi-
lis mihi dolor eſt. Atque hunc bene exprimit O-
Oleaſter leaſter, ubi ſic ait: [ Et anguſtiâ affectus eſt ad cor
Geneſ. c. 6. ſuum. Significat verbum Haſab, ut jam diximus,
premere, comprimere & anguſtiari: & ſenſus eſt,
quod Deus habuerit ſe ad modum hominis, cu-
jus cor anguſtiâ afficitur, aut anguſtiis premitur. ]
Itaque ut malo iſti obviaret, Video (inquit,) non
curat homo ad me venire: ibo ego obviam, ut
cum illo poſſim converſari. Ideo *Verbum caro fa-*
*ctum eſt.*

Ioan. 1. Poſtquam à Deo per peccatum longiùs A-
dam diſceſſit, non potuit Deus, quin ſtatim il-
Gen. 3. lum quæreret: *Adam ubi es?* Et præ timore cùm
apparere non eſſet auſus , audivit tamen vocem
Dei, & obſervans Creatoris paſſum, videt lento
Gen. 3. gradu pedetentim in paradiſo incedentem. *Au-*
*divit vocem Domini deambulantis in Paradiſo.* Ad
quid dicitur *deambulantis* , & non *ambulantis*?
*Ambulare* propriè ſignificat longiùs ire. *Deam-*
*bulare* ſolùm importat gravem inceſſum de loco
Ambr. ad locum revertendo intra idem ſpatium. Modo
Calepin. igitur iſto gradiendi, ſic viſus eſt indicare: Vide,
Adam, tametſi me offendiſti, non ambulo, quaſi
verò procul à te velim recedere, ſed deambulo ſo-
lùm, eò quòd tecum converſari delecter, & ne
vel ad breve ſpatium à te abeſſe patiar. Ita obſer
Hugo Vi- vat Hugo Victorinus: Deambulabat & non diſ-
ctorinus h. cedebat , neque abiit in deſertum elongans ſe,
8. in Eccl. quaſi irrevocabilis, nec reverſurus amplius! ſed
propè gyrans & juxta deambulans abiit , modò
vadens, modò rediens & magno quodam incen-
dio æſtuans , quaſi nolens ſedem ſuam deſerere,
expectat, ſi fortè invitetur ut veniat. ]

Nonnè animadvertiſtis aliquando, Reverendi
Patres Sacerdotes, quid velit aquæ & vini com-
mixtio in auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio? Myſte-
rium hic eſt; conabor pandere. Vinum ex vi ver-
borum conſecrationis in Sanguinem Domini
verè & realiter tranſſubſtantiatur, & per conco-
mitantiam cum Sanguine adeſt Divinitas , hu-
manitas, corpus atque anima Chriſti, ſicut verè
dici queat: Sub his vini ſpeciebus Chriſtus con-
tinetur verus Deus & verus homo. Dogma
Theologorum eſt & indubitata fide tuendum.
Sed in quem finem ordinavit Eccleſia, ut cum vi-
no miſceatur & guttula aquæ? O profundum
Myſterium! Per aquam fideles deſignantur: *A-* Iſa. 33.
*quæ ejus fideles ſunt.* Cardinalis Ægidius Archie-
piſcopus Bituricenſis expreſsè confirmat. *Aqua* Ægid.
*frigida ipſum populum figurat , vel ipſa Chriſti* Colum. de
*membra.* Dicite modò: Quid ſi cum vino ſan- celebr.
guis non naſceretur? eſſetne Sacramentum? eſſet, Miſſ. P. 2.
( ut ait D. Paſchaſius, ) hoc tamen ſequeretur, D Paſcha:
quòd *ſi vinum ſine aqua offeratur, Sanguis Chri-* de Paſſ.
*ſti incipit eſſe ſine nobis.* Undè quia etiam glorio- Chriſti.
ſiùs exiſtens cum homine unitus eſſe volebat, vi-
no admiſceri aquam præcepit: [ Ne igitur Chri-
ſtus incipiat eſſe ſine nobis, aqua cum vino miſ-
cetur. ] Cardinalis, ubi ſuprà, ita concludit: [ Hæc D. Paſcha: ubi ſuprà
aqua vino unitur, ut detur intelligi quòd propter Ægid.
hoc Sacramentum per charitatem & dilectio- Col. ubi
nem, populus Chriſto, & membra ſuo capiti ſupra
conjungantur. ]

Ad Evangelium S. Lucæ veniamus, ubi de Sal- Petr.
vatore noſtro legimus quomodo oraturus Pa- Lomb.
trem cæleſtem in Horto Gethſemani, ſe abſtra- Philo
xerit à diſcipulis. Duo annotantur ab Apoſtolo, Carp in
1. *Avulſus eſt ab eis.* 2. *Quantum jactus eſt lapidis.* Biblioth.
Ut quid deceſſum ejus à Diſcipulis memorans vet. pp.
uſus eſt verbo *Avulſus*, & non potiùs quæ magis Thom. 4.
propriè ſignificant, *Diſceſſit*, *Abiit*, & hujuſmodi
quæ idem ſonant? Avellere enim non denotat Luc. 12.
propriè receſſum hominis unius ab altero , ſed
plantis proprium eſt avelli, quæ, cùm radicibus
firmiter terræ inhæreant, non niſi vi maximâ diſ-
ficulter erui poſſunt. S. Lucas metaphoricè hic lo-
quitur, q. d. Ægrè à chariſſimis Filius Dei abſce-
dere potuit, neque minorem hic ſenſit reſiſten-
tiam quam planta, quæ radices jam egit, dum è
terræ viſceribus violenter extrahitur. *Avulſus eſt.*
i. e. invitus & lachrymans ab eis quatuor paſſus

receſſit. Audiamus Janſenium Antiſtitem Gandavenſem: (Notatu (*inquit*) non indignum, quod Lucas dicat non receſſiſſe à ſuis, ſed avulſum: hoc enim ſignificat ipſum ægrè à ſuis receſſiſſe, ſive propter ſuum in illos amorem, qui facit, ut cum difficultate amicus diſcedat ab amico: ſive etiam ob animi mœrorem, naturaliter fit, ut adhæramus amicis, à quorum conſuetudine aliquid accipimus ſolatii: non enim vel amor, vel potius mœror patiebatur eum longè divelli.)

*Ianſen. in c. 22. Luc.*

Quantum ad ſecundum, quod S. Lucas notavit. *Quantum jactus eſt lapidis.* Scire nunc vellem, quare S. Evangeliſta hanc adferat ſimilitudinem & præcisè dicat Chriſtum ab Apoſtolis receſſiſſe ad jactum lapidis, non ultra? An non ſatis erat dicere, *Avulſus eſt ab eis*? Crediderim eò dictum, ut innueret quòd ne vel ad paſſum unicum voluiſſet ab illis recedere: nec immeritò: ſiquidem divelli non poteſt amans ab eo quem amat: quomodò divelli poſſit ab hominum conſortio Chriſtus?

*Luc. 22.*

*Paulus de Palat. in Matt. c. 3.*

Dici poſſit. Rex Salomon Divinum hoc factum Spiritu prophetico prævidiſſe. Annulum habebat pretioſiſſimum & viridi ſmaragdo inſignem, in cujus medio ſculptæ erant duæ coronæ, una ex auro, ex ſpinis altera, interjecta hac notula. *Victoria amoris.* Annulus verè myſterii plenus. Quid corona aurea niſi Divinitatem deſignet? Quid ſpinea, niſi noſtram humanitatem, labores & miſeriarum ſpinis circumſeptam? Amor tamen, cujus virtus eſt unitiva, non permiſit Divinitatis ab humanitate ſeparationem, & talis manſit inter utramque coronam unio, ut unica ſola dici potuiſſet. Ita inter Deum & hominem talis eſt unio, ut per communicationem idiomatum, & unionis hypoſtaticæ, prædicata de uno æquè poſſint & altero verificari: ſic ut verè dicatur, Deus eſt homo, & homo eſt Deus, ex vi ſcilicet talis unionis: & quemadmodum doctè ſcriptum ab Athanaſio, *ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.*

*Apud G Amat. in conc. Nat. Dom.*

*D. Athan. in ſymb.*

Eccur, Auditores, arbitramini in Nativitate Filii Dei, Angelos in æthere dulciſonis concertare vocibus & gratiſſimam facere muſicam? Cùm enim mundo naſci voluerit pauper & inops, ut quid more naſcentis principis lætitiæ modulos & concentus Angelicos habere deſideravit? Naſcenti in præſepio non tam dulcis muſica convenit, quàm rauci pecorum balatus.

Audiſtis, ni fallor, quod de Philippo Macedonum Rege Annales teſtantur. Regi ſemper placuit Bizantium, tantaque ejus cupiditate tenebatur, ut in ea aulam inſtituere meditaretur & continuam reſidentiam: Militem undique congregat, ut fortiſſimus ſubitò fieret exercitus, ut ſic vi & armis Bizantium petat, invadat, & occupet. Cùm itaque pergeret feſtinanter exercitus, vidit Philoſophus quidam & miratus tantam armati militis multitudinem. Quid (inquit) tam furiosè Bizantium impetitis? Rex protinus ait: Civitatis illius tam vehemens me cepit cupiditas, & tam ardenter deſidero in ea morari, ut ſi abeſſe diutius cogat, alium in mundo locum deliciarum ſupereſſe, nemo perſuadeat, ut facilè credam: univerſam Macedoniam perdidiſſe reor, ſi non Bizantium poſſideo. Et ſi hanc civitatem ſolùm obtinuero, contentus ero, neque eſt aut erit quod curem magis. Subdidit Philoſophus: Depone ergò arma & bellicum furorem compeſce, atque muſica inſtrumenta accipias, dulciſſimo vocis modulamine & ſono citharæ gratiſſimo contendas, non armorum ſtrepitu; iram cohibeas & potiùs in amorem convertas; ita faciens certo certiùs vinces, ac votis potiri licebit. (Qui redamari cupiunt, haud quaquam cum gladiis venire ſolent ad fores amatorum: amantes enim non egent bellicis inſtrumentis, ſed egent civilibus)

Abs dubiè poterat Deus, cùm venit in mundum, armare Angelorum cohortem & aciem inſtruere contra Herodis tyrannidem & tot inimicorum inſultus: comparere tamen maluit muſicorum choris inſtructus, & ſuaviſſimis movere concentibus, ut ſciret mundus, quia veniret ex amore, cupiens converſari cum homine, cum eòque morari, ſine quo neque Paradiſi deliciæ gratæ ſint: unica hominis civitas & ſola arrideat ſic, ut cum ſolo homine cæli gaudia plena eſſe poſſe videantur.

*Apud Areſ. de Tribul. lect. 45. num. 1.*

Sit inter ſpinas cum homine, jacere in floribus reputabit: ſine homine in floribus commodè ſit, in ſpinis verſari videbitur. Duobus in locis ſponſus de lectulo, in quo quieſcebat, loquitur: primo *Lectulus noſter floridus*, ait: ſecundo (licet dixerit ſponſa à ſponſo, tamen dictum intelligi poſſit, cùm illis omnia communia ſint.) *In lectulo meo quaſivi quem diligit anima mea.* Obſervate hic mecum loquentis utrobique differentiam. Primò lectum ornatum dicit conſperſum liliis, roſis & omnigenis floribus. *Lectulus noſter floridus:* poſt verò retractare videtur, cum de floribus non ingerat mentionem. Si tamen unus eſt & idem lectulus, ut quid modò floridum vocat, modò non? Ex difficultate altera, quam S. Thomas à Villa N. movet, eruenda ſolutio. Advertit ipſe

*In Cant. c. 1.*

ipſe à ſponſo dictum primo loco, *Lectulus noſter: non ait, tuus, non ait, meus, ſed noſter, in quo pariter recumbamus, pariter quieſcamus, pariter oblectemur:* ſecundo autem *in lectulo meo.* Ibi dictum *noſter,* quia etiam aderat ſponſa, ſcil. anima noſtra, & quia cum ea erat, lectulum floridum dicit, delicioſum & glorioſum: ubi autem dictum. *In lectulo meo,* quia ſolus erat, lectus ſine floribus, ſine gaudio videbatur & plenus ſpinis, ut bene notat Gilbertus Abbas (Lectulus noſter floridus, quia communis eſt, quando verò proprium lectum ſuum dicit, nulla ibi fit mentio florum.)

*In Cant. 3. ſerm. 2.*

Propheta Iſaias Verbi incarnati præconem agens & Nativitatem ejus glorioſam mundo annuncians, ita prædicit. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum & mel comedet.* Iſaiam prædixiſſe nomen, prudenter id factum. *Nomina* enim (teſtis eſt Romanæ facundiæ princeps Tullius) *tamquam rerum notæ.* Et Ariſtoteles: *Nomen dicitur à notificando.* Et vult D. Thomas Aquinas: *Nomina debent proprietatibus rerum reſpondere.* Ut ergo ſciretur qualis eſſet futurus Meſſias, prædixit nomen *Emmanuel:* at etiam addidiſſe quid pro cibo eſſet habiturus, butyrum ſcil. & mel comeſturum, hoc ſanè miror. Ad quid minutum hoc ſcribere, præſertim cum felle, aceto & myrrha miſcenda etiam forent? Reſpondent SS. PP. Irenæus, Chryſoſtomus & Bernardus, quod Propheta, cùm partum Virginis Divinum dixerat, hoc addito. *Butyrum & mel comedet,* humanum etiam fore indicarit; *ac ſi dicat: Parvulus erit & veſcetur infantilibus alimentis.* Interpretes alii ſic exponunt: *Propheta hoc loquendi modo indicat puerum Ieſum in terra ſancta naſciturum eſſe, quæ ſæpè in ſacris litteris tanquam abundans lacte & melle collaudatur.*

*Iſa. 7.*
*Cicero.*
*Ariſtoteles.*
*D Thom. 3. p. q. 39. a. 2.*
*Iren. l. 3. c. 26.*
*D. Chryſ. Tom. 5.*
*D. Bern. ſerm. 2. de advent. Dom.*

Ad rem noſtram aptius eſt reſponſum Patris Salazar, & verus ſcripturæ ſenſus. Ea eſt ejus opinio. *Butyrum & mel comedet,* idem eſt ac ſi diceretur: Quando natus erit Jeſus & cum hominibus converſabitur (quod importat *Emmanuel,* id eſt *nobiſcum Deus,*) fruetur deliciis ſuis & in paradiſo ſuo erit. (Poſtquam enim dixit: Vocabitur nomen ejus Emmanuel, id eſt nobiſcum Deus, ſtatim adnectit, Butyrum & mel comedet, quaſi dicat: Inter homines converſari, dirigere atque illos lucrari mellis atque butyri loco ponet, quibus nihil eſt in deliciis ſuavius.)

*Didac. Alvar. in c. 7. Iſa.*
*Salaz. in c. 8. Proverb.*

Regius Propheta David iteratis votis & precibus Meſſiæ adventum deſiderabat, & exclamare ſic ſolitus: *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca ſanctificationis tuæ.* Cur tam diu ſpem noſtram cruciat æterna Sapientia? cur non de cælo in terram feſtinat, ut in miſeriis ſuccurrat & ſublevet? Aſſerunt Expoſitores S. Scripturæ hunc eſſe ſenſum? (Per Arcam Chriſti intellige corpus ejus, quod Chriſtus de Maria Virgine traxit, in quo habitabat Divinitas.) Ita Michael à Bononia Carmelita, S. Auguſtinus ſic ſcribit: *Corpus Chriſti, quod ex Maria natum eſt, intellectum eſt à quibuſdam Arcam eſſe ſanctificationis.* Hic certè quidem Davidici eloquii eſt ſenſus: (Surge cum corpore, ut palpent, qui non credebant. Per arcam enim ſanctificationis intellige glorioſam Virginem Mariam, quæ & arca Chriſti dicitur, quia in ipſa Chriſtus novem menſibus habitavit. (Hoc ſenſu igitur vero, pulchrum movet dubium Cryſippus Presbyter. Quomodò fieri hoc poſſit. Deum è cælo, ubi coronatur gloriâ, & adoratur ab Angelis, in mundum venire, ut requieſcat: Si humanæ etiam naturæ ſubjectus hic infirmitatibus, ſi nec à miſeriis & calamitatibus, neque ab impiorum perſecutionibus erit liber, quomodò dici poterit venire à labore ad requiem? *In requiem tuam,* Ergonè in tumultu bellico pax, in commotione quies, aut in tempeſtate tranquillitas reperietur? Quid ergò ſic orat Pſalmiſta, *Surge Domine in requiem tuam?* Cælum, fateor, locus eſt quietis & tranquillitatis pleniſſimus; neque tamen Deum quies ulla delectare videbatur in abſentia hominis: ſed ubi cum homine eſt in ſummis mundi calamitatibus, deliciis affluit & optatiſſima quiete perfruitur (Quam requiem ſuper terram præſcripſiſti, & in Bethlehem conſtituiſti, utpote præſepe, ſtabulum & faſcias.)

*Pſal. 13.*
*Incognitus in Pſal. 131.*
*D. Auguſt. ibid.*
*Cryſipp. de laud. B. V. M.*

Deus adeò converſatione noſtrâ recreatur, ut locum eum, ubi eſt homo, paradiſum exiſtimet: ſicut cælum empyreum, in quo Deus exiſtit, pro paradiſo non haberetur, ſi abeſſet & omninò excluderetur homo; non quod realiter ſecundùm ſe paradiſus non eſſet, ſed quod à Deo ut talis non reputaretur. D. Hieronymus & Rupertus Abbas paradiſum terreſtrem tertio die creatum eſſe exiſtimant, & tamen hoc etiam certum, non niſi ſeptimo die paradiſi titulum accepiſſe, tuncque dictum eſſe deliciarum locum. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio.* At verò ſi & Paradiſus tertio die locus voluptatis erat, ut quid non talis tunc declaratur, ſed tandem die ſeptimo recreationis locus & deliciarũ enunciatur? S. P. Ambroſius reſpondet, paradiſum tertio quidẽ die fuiſſe voluptatis & deliciarũ locum,

*D. Hier.*
*Rupertus Abb. l. 2. in Geneſ. c. 25.*

locum, non tamen ſic Deo viſum, ſed potiùs horridam ſolitudinem & triſte deſertum; quia homo non aderat, utpote cum nondum eſſet creatus: at ſtatim ac homo in Paradiſo eſt poſitus, ibique cum eo Deus converſatur, paradiſus vocatur & omnigenæ voluptatis locus, ubi bene & feliciter viveretur. Siquidem, teſte Divo Auguſtino, *Paradiſus eſt regio ubi animæ bene eſt, & feliciter vivitur.* D. Ambroſius ad rem noſtram ſic ait: *Iam Paradiſus conſtitutus erat; ſed quamdiu homo non extitit, Dei voluptatis Paradiſus non erat: ubi autem primum homo creatus eſt, Dei Paradiſus nominatur; delitiæ enim eſſe cum filiis hominum.*

*S. Auguſt. l. de præſ. Dei in Milleloq. D. Amb.*

Ad novum Teſtamentum pergere jam lubet, & de præſepio ad crucem pertranſire, ut propoſitam veritatem confirmemus. Non admodum credibile videri poſſet, quomodò promiſſum Latroni paradiſum conceſſerit condicto tempore. *Hodie mecum eris in paradiſo. Hodie?* ſi nec paradiſum obtinuerit latro niſi elapſis quadraginta poſt diebus, quomodò verè dictum ſit *Hodie:* Quomodò promiſſum ſolverit? Reſponderet fortaſſis aliquis cum Anaſtaſio Sinaita, verificati promiſſum quantum ad ſententiam die dicto; quantum verò ad experientiam, ipſo die Aſcenſionis, Sed paulò altiora ſpeculemur & digniora. Dicite, Auditores, quò ferebatur illo die anima Chriſti, nec non illa boni latronis? Ad limbum utraque properabat. An non ergo Paradiſum Salvator promiſit? In limbo SS. Patres detinebantur: unde cum dixit Salvator: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, limbum intendit, pro paradiſo ſuo reputans, cum animabus illic reſidentibus converſari. Audiamus S. Anaſtaſii verba. *Si ille primus voluptatum locus paradiſus vocatus eſt, quia Dei deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, ubicumque cum illis ſit, ſecum habebit paradiſum. Vnde ideò paradiſi nomine limbum appellaſſe mihi videretur, quia ibi cum hominibus eſſet.*

*S. Anaſtaſ. Sinaita q. 73. de bono Latrone.*

Hic advertite (NN.) Cùm filius principis naſcitur, lætitiam apertiſſimè ſubditi ferunt, ignes triumphales excitant, & abundantiùs pecuniam ſpargunt. Natus eſt Dei magni Filius, ſi lætitiam inde Chriſtiani, accipitis, per actum charitatis erga Divinum puerulum oſtendite: ecce enim amore noſtri ſummo frigore conſtringitur in præſepio ſuper paleam, & ita egenus, ut nil etiam ſuppetat ad corpuſculi tegumentum. In maxima ergò egeſtate ſuccurrite; quandoquidem ideò natus ſit, ut miſeriam noſtram ferendo ſublevaret. An non nudum contemplamini? Maria compatitur, nec habens quo tegeret, ſibi velum de capite traxit ad involvendum. Confundimini hic Catholici, & vos tanta paupertas commoveat ad miſerendum. Ad alteram partem progredior.

## PARS SECUNDA.

UU natus eſt Jeſus, ſtatim faſciis mater involvit & in præſepium reclinavit, ubi pro ſtrato molli nil niſi fœnum & palea. *Hoc ſpectaculo attonitus Ioſeph tremebundus adſtabat, contremiſcit & gaudet, turbatur & exultat, nec ſuum in Virginem audet attollere vultum.* Ita contemplantem & reverentem Senem inducit S. Thomas de Villa Nova. Superabundo gaudio ô formoſiſſime puer! cum te jam attonitus video, non in ſomnio aut charta exhibitum, ſed in vera carne decoratum & Solis inſtar refulgentem intueor. Fac, obſecro mi Divine puer, ut vitam naturæ reddam, ut mortalitatis hac arcâ jam nunc egrediens, inſtar columbæ ad limbum evolem, ut Patribus illic gementibus & ad æternam felicitatem ſuſpirantibus Olivam pacis exibeam. Sed tamen hac me legatione indigniſſimum cum judicem, oſculer obſecro, pedes illos ſacratiſſimos, Divinitatis radiis effulgentes.

*S. Thom. à Villa N. conc. 1. de Nativ. Domini.*

Quis Deiparæ lætam hic ſortem exprimat, & amoris exceſſum? Adorat Mater, quem peperit Filium, & priùs ut Deo, devotum offert mentis obſequium, quàm ut puero, neceſſarium exhibeat matris officium. *Quis tuam, Virgo, nunc explicet mentem? Quis tui cordis gaudium valeat reſerare, cum Dei tui, Creatoris tui Matrem te vides, & virginem gaudium matris habentem cum virginitatis honore?* Crediderim exultaſſe gaudio, & præ lætitia inenarrabili non tenuiſſe lachrymas, iiſque ſic indicaſſe cordis affectum: O mi chare puer, mel merum & delitiæ meæ! ut quid cælum non hoc mihi indulſit, ut cunas habeam & faſcias auro gemmiſque pretioſas? aut certè cur non cælum mihi ſedes eſt & pro monilibus rutilantes ſtellæ? Et fuiſſet Deiparæ longior ea meditatio, ſi non interrupiſſent Paſtores, qui jam advenerant Regem viſuri & in præſepio vagientem adoraturi. Exultant lætitiâ, atque cantu vocum, nervorum ac tibiarum uniſono muſica ſuaviſſima audiebatur, & gratiſſimo Angelorum concentu cælum terraque reſonabant. Neque aliquis facilè dicat, quanta fuerit Virgini Matri lætitia, videre ruſticam illam opilionum turbam & piiſſimam ſimplicitatem. [ Quantum horum devotione ſimplicium Virgo lætata eſt; quantum de illorum præconio jucundata gaudebat! gaudebat, quia cæleſtium unguentorum

*S. Thom. à Villa N. ubi ſuprà.*

*Idem ubi ſuprà.*

odorem

odorem jam mundus odorabat, & in eorum fra-
grantiam (ſicut ſcriptum eſt) ſponſa currebat:
gaudebat & tacito intus animo cuncta volvebat]
Hærebat attonita Virgo conſiderans quàm ſit
mirabilis Divini Numinis providentia, cum jam
in anguſto corpuſculo immenſitas concluditur,
in terra cælum, & in eodem ſubjecto ſumma ab-
jectio ſimul & ſuprema majeſtas reperitur. Con-
templari ſatis non poterat Deum jam puerulum.
O mirum! Simul hic omnipotentia eſt & infir-
mitas, atque in divitiarum abundantia etiam
ſumma paupertas. Quid putatis, tum dixerit San-
ctiſſima Mater? crediderim præ admiratione ni-
mia conticuiſſe, & cùm verbis non poſſet, pro-
fundo ſilentio egiſſe.

O quàm lætum hoc, quàm glorioſum ſpecta-
culum! verè beata viſio! Utinam, ô pia anima,
S.Thom. à præſens adfuiſſes! *Videres* (ait ſanctus Archiepiſ-
Villa N. copus Valentianus) *Angelorum cuneos, ruſticis ho-*
ubi ſuprà. *minibus & jumentis permixtos, ſolo proſtratos, re-*
*clinatam in præſepio adorare Majeſtatem: nulla in*
*eis ambitio dignitatis, ubi tanta inſpicitur humilia-*
*tio Majeſtatis; admirantur, attoniti ſtupent, hæ-*
*rent, reſpiciunt ſe mutuò, neque valent præ ſtupore*
*proferre ſermonem. Harmonicis alii canticis foris re-*
*ſonant, & laudibus modulantur amœnis: agglome-*
*rantur ad puerum ſicut apes ad favum, aſcendunt*
*& deſcendunt ſuper filium hominis, ingrediuntur*
*& exeunt.*

Huc adeſte Fideles jubilate cum Angelis, ado-
Pſ.101. rate cum Maria, cum Joſeph & Paſtoribus: *Dele-*
Luc. 1. *ctamini in Domino & exultate in Deo Ieſu veſtro.*
Accelerate, & unà *tranſeamus uſque Bethlehem,*
*& videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fe-*
Exod. 14. *cit Dominus, & oſtendit nobis* Venite Chriſtiani
& videbitis non, ut olim populo Iſraelitico eve-
Exod. 3. nit, diviſum mare, ſed immenſitatis oceanum in-
tra corpuſculi tenerrimi anguſtias contentum:
non jam rubum in mediis flammis incumbu-
Num. 17. ſtum, ſed Virginem miramini, quæ caſtitate illæ-
ſâ peperit Deum: non virgam Aaron ſine ſucco
floridam, ſed Virginem ſine operatione humana
paradiſi florem germinitatem oſtendam: non hic
Exod. 2. Moyſes exponitur in fiſcella ſcirpea ſuper aquas,
Exod.31. ſed Rex mundi in præſepio vagiens collocatur.
4.Reg. 4. Videte non columnam igne accenſam, ſed Deum
amore æſtuantem: non modò Prophetam mi-
ramini minorantem & membra contrahentem,
ut puerulos coæquans, vitam & ſpiritum infun-
dat; ſed majeſtatem immenſam contemplamini
parvuli corporis membris circumſcriptam, ut vi-
tam nobis donet & æternam gloriam. Aſpicite,
non Solem ſtupente naturâ retrogradum: ut Ge- Ioſue 10.
deonis tempore factum; ſed eum intueamini, qui
modò nube obductis Divinitatis radiis priùs ad
humilitatis occaſum ferebatur, quàm ad orien-
tem vitæ tranſcenderet. O miracula numquam
antè audita! Quis umquam media nocte Solem
clariſſimè radiantem conſpexit? Undè dulciſſimo
verſûs modulamine accinit Poëta: Petr. Mi-chel part. 2.

*Deh quando ſudi mai.*
*Che moſtraſſe di notte il Sole i rai?*
*E pure in notte luminoſa, e pura.*
*(Stupiſci alma Natura)*
*Ecce ſpuntar' io ſcerno*
*In terra il Sol' chè ſu nel Cielo eterno.*

Hîc paulùlum, Devotæ animæ, ſiſtite, & inno-
vato Gentilium ritu, novum Solem ardentibus
votis adoremus: oritur enim ex auroræ virginalis
ſinu.

*En puellus è puella* Marcus Bett. En-trap. 28. l. 4.
*Noctu Numen prodiit,*
*Huc adeſto quiſquis aves,*
*Noctu Solem viſere,*

O mi Sol formoſiſſime, theſaurus meus es &
omnia! ô puerule deſideratiſſimè! quò te amor
noſtrî impellit, ut pro nobis humanæ vitæ mi-
ſerias ſuſtinere delectet? Plangentem video, ſed
lachrymas illas ceu totidem gemmas pretioſiſſi-
mas in vultu tuo dulciſſimo nitentes lego. Fletus
ille tuus ad gaudia nos provocat, & inſtar tubæ
triumphalis, ad æternam felicitatem invitat. Cin-
ctus es panniculis laceris, ut immortalitatis divi-
tè veſte nos ornes: in arctiſſimo præſepio jaces,
ut ad cæli faſtigium exaltes, & nos in throno glo-
riæ colloces. Animalium non ſpreviſti conſor-
tium, ut Angelorum ſocietati nos inſeras: nutri-
tus es lacte Beatiſſimæ Mariæ virginis, ut ſupre-
mæ beatitudinis ambroſia lætari nos facias.

O amabiliſſime puer! quàm vultus tuus de-
corus eſt, in quo votorum omnium ſumma ex-
primitur! Non me jam terrebunt noctis tene-
bræ, cum te ceu Lunam ridentem intueor, O vita
animæ meæ, quid pro tanta dilectione retri-
buam? utinam amoris ulnis amplectar, quem in
ſpiritu humilitatis contemplari non deſino.

*Io ti miro, ti godo, e ti vagheggio,*
*Et' abbraccio, e ti bacio, e ti vezzeggio.*

# IN FESTO
# S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.
## ARGUMENTUM.

Invictus Chriſti Proto-martyr ſaxis obruitur & fortiter ictus excipit, cùm non eum abſterret cruciatus, ſed ſumma dulcedine perfunditur; quia nihil in ſaxis doloriferum reperit, ubi cœlo ſe effundente, virtutis arbitrum ad dexteram Patris ſtantem Chriſtum habere ſe vidit. Primus mortalium pro fide Chriſtiana ſanguine ſubſcribit, ut purpurati in cælo agminis fieret anteſignanus.

## THEMA.

*Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Video cælos apertos & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Actor. cap. 7.

*Ariſtot. de Animal. Ovid. 15. Ioan. à S. Gemin. de natabil. & volat. c. 64. Raviſ. in Offic. Herodot. Claudianus de Phœnice. carm. 3. ad Virg.*

MIrandum eſt & propè incredibile quod de Phœnice Soli ſacro ab antiquis refertur. Annos ſexcentos ac ſexaginta vivit ea avis, tum fracta ſenio, vitæque longioris pertæſa, naturali ductu è lignis odoriferis nidum ſtruit, qui Solis ardore rogus fit funebris & tumulus. *Seneſcens caſiæ thuriſque ſurculis conſtruit nidum, quem odoribus replet, & ſuper emoritur,* ubi alarum agitatione ignem à Solis radiis concepit, comburitur, ut fit favilla, Si Claudiano credimus.

*Solis fervor alit, ventoſaque pabula libat.*

Metamorphoſis hic ſanè mirabilis, ubi tumulus in cunabula, ubi mors in vitam mutatur, ubi temporis meta glorioſè tranſcenditur, & beneficio Solis ac flammæ ab occaſu ad perpetuum vitæ orientem pervenitur; ut meritò accinat S. Gregorius Nazianzenus.

*Vt Phœnix moriens primos reviviſcit ad annos,*
*In mediis flammis poſt plurima ſæcla renaſcens:*
*Atque novum veteri ſurgit de corpore corpus.*

*D. Zeno Epiſc. Veron. ſerm. de reſur.*

Etiam Zeno expreſſe ſic habet (Cum maturum lethi tempus advenerit, à ſemetipſa invitatis ſactis ignibus libentiſſimè concrematur: ſepulchrum nidus eſt, illi favillæ nutrices, cinis propagandi corporis ſemen, mors natalitius dies. Denique poſt momentum exultat in tumulo non umbra, ſed veritas; non imago, ſed Phœnix, non alia, ſed quamvis melior aliâ, tamen prior ipſa.)

Ut inſtar Phœnicis Protomartyr Stephanus immortalis evadat, non in montibus Arabiæ odorifera colligit ligna, ſed in torrente duriſſimos lapides, pectus exponit radiis ejus, de quo dictum, *Sol juſtitiæ Chriſtus,* nam *vidit Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, & inter æthereos aulæ cæleſtis ſinus Divina ei claritas fulſit.* Alàs deſiderii agitat & videtur cum Apoſtolo loqui: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* S. Spiritus ignem in pectore concipit: *Stephanus plenus Spiritu ſancto.* Amoris Dei & proximi flammâ etiam ardet: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Mortis exuvias abjicit, & immortalitatis gloria decoratur. *Cum hæc dixiſſet, obdormivit in Domino,* ceu potius (ut cum D. Fulgentio dicam) *depoſitis corruptibilibus corporis indumentis, ad cœli palatium regnaturus aſcendit.* O Stephane! O vere Phœnix! Quid hoc tamen? non te lapides cruciant, neque ſentis ictus, ut teſtatur Eccleſia, *Lapides Torrentis illi dulces fuerunt.* Cùm ad conflictum ibat & comparebat Alexander Macedo, ſic milites accendebat, ut ipſo præſente nec arma nec hoſtes timerent, non labores ſubterfugerent, non periculâ nec imminentem mortem. Cælos apertos Stephanus vidit & ſpectatorem Filium Dei habuit: *Video cœlos apertos & IESVM ſtantem:* propterea *lapides torrentis illi dulces fuerunt. Si enim minaces nautis Pelagi fluctus* (ut verbis Sancti Chryſoſtomi dicam) *ſi tempeſtates atque hyemes agricolis, ſi vulnera cædeſque militibus, ſi graviſſimi ictus plagæ pugilibus leves videntur & tolerabi-*

*Actor. 7.*

*Philip. 1.*

*Serm. de S. Steph.*

*Plutarch. de rebus geſtis Alexandri.*

*In Matth.*

*lerabiles: ſunt propter ſpem temporalium pereuntium commodorum; multò magis cum cœlum præparatur in præmium, nihil ex præſentibus aſperitatibus debet ſentiri.* Optimè ad rem noſtram de Sancto Stephano gravis Author ait: (In cœlum oculos levavit, æternis & perennaturis inhiabat, ſicque factum, ut ſub tam gravi æſtu minimè deficeret, ſed ſummo refrigerio recrearetur.) Adeoque hoc pono entymema: *Stephanus vidit cœlos apertos & Ieſum ſtantem; ergo lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Vos intereà obſecro, ut magno ſilentio antecedens admittatis, & ego breviſſimo, quàm potero, diſcurſu, conſequentiam hac in parte probem.

*Novarin. in umbra Virg.*

## PARS PRIMA.

L*Apides torrentis illi dulces fuerunt.* O quàm beata hæc viſio, quæ ſic lapidum duritiem emollit, amaritudinem indulcorat, & ictuum dolorem tollit! Verum eſt hoc Publii Mimi dictum, *Ex præmii ſpe ſolatium fit laboris.* Scribit Ulpianus ſic olim fieri ſolitum. Columnis præmia inſcripta erant aut appenſa in conſpectu certantium, ut vel ſolo viſu incitarentur, neque facile deficerent. *Columna lignum erat aut lapis quadratus, ubi inſcripta erant præmia.* Etiam alius confirmat: *Conſtituerunt parvum craterem in medio certaminis.* Rationem adducit Sanctus Pater Auguſtinus, dum ait: *Minuit laborem ponderis ſpes præmii.* Hinc Sanctus Hieronymus ſanctam Euſtochium Romanam virginem ad patientiam & adverſorum pro fide Chriſti tolerantiam hortatur & ita monet. *Præſentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit.*

*Vlpian. Nonnus l. 10. Dionyſ. in milleloque & in epiſt. ad Cyrill.*

Solebat de virtutis via ita loqui David, amplam eſſe, planam & facilem, non ſpinis horridam ſed quaqua verſum ſparſis floribus arridentem & amœnitate gratiſſimâ recreantem. *Latum mandatum tuum nimis.* Aliàs tamen de eadem viâ cum loquitur, contradicere videtur, anguſtam aſſerens duram & aſperam. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* Quid hoc, quod modo facilem vocet, modò difficilem; modò latam velit, modo anguſtam? Guarricus Abbas ſic reſpondet: Propheta Regius aſperam dicit virtutis viam, duram, laborioſam ac moleſtam, quando in præmium non intendit promiſſum, *Cuſtodivi vias duras*, at verò ubi illam ipſam dulcem addit, gratam ac delectabilem, præmio propoſito movebatur, quod eam obſervanti Deus promiſit, & in fine tribuet. *Omnis conſummationis vidi finem.* Ecce præmium, quapropter *Latum mandatum tuum nimis* (Quod ſi nimis arctam viam cauſaris, proſpice finem quò te via ducit. Si enim omnis conſummationis videres finem, continuo diceres: Latum mandatum tuum nimis.) Stephanus aperto cœlo finem ultimum, in gloriam vidit æternam. *Video cœlos apertos.* Ideò illi virtutis ſemita facilis & delectabilis fit, & quos calcat lapides pro conſequendo præmio dulces videri poſſint & floribus gratiores: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*, S. Thomas à Villa Nova concludit: *Martyr Stephanus cœlos apertos videt, hiantem gloriam, patentem paradiſi januam, latus agonem aggreditur, provocatus à præmio.*

*Pſal. 118. Pſal. 14. Guar. Abb. ſer. 5. de Adv. Conc. 4. Nat. Domin.*

Maxima fuit Archimedis in Geometria & Mathematica ſubtilitas: Legiſſe recordor, Marcellum Syracuſas armis ſubegiſſe, & incolas omnes morte affici voluiſſe, ſervato ſolo Archimede: Milites obtemperant juſſis & ſtatim irruunt, & Archimedem deprehendunt, virgam in manu habentem & in pulvere figuras ſphæricas efformantem: ſed cum eum celeberrimum Geometram non agnoſcerent, cum cæteris occiderunt: ſed hoc unicum mirari ſatis non poterant, quomodo fixis oculis in circulum ſphæricum maneret intendens quaſi immobilis; cùm tamen ad necem crudeliſſimè raptaretur, nil curare ſtrictos enſes, aut vulnera ſentire non videbatur. Scriptoris addo verba: (Marcellus in expugnatione Syracuſana interdixit, ne Archimedes unus necaretur: verùm cum Syracuſæ caperentur & ipſe animo ac oculis in terra defixis formas Geometricas deſcriberet, à milite ignaro quis eſſet, interfectus eſt) Sed quid Archimedi cum Stephano, aut Marcelli militibus cum lapidantibus Synagogæ, aut quid figuris ſphæricis cum ſphæra cœleſti? Judæi inuſitatâ rabie crudeliter invadunt Stephanum, ſaxis lapidant, membra contundunt & oſſa conterunt: quid tamen? *Lapides torrentis illi dulces fuerunt:* nec mirum; dicebat enim & oculos in cœli ſphæra intendebat: *Video cœlos apertos, &c.* de præmio conſequendo nil dubito. S. Hilarius Arelatenſis benè obſervat: *Nil de vulneribus ſuis loquitur, nil de ictibus lapidum, quibus totus frangebatur. Vides quod ſpectantis intuitus armat conſtantiam triumphantis, ac ſic dum occupatur in ſtupore & amore cœleſtium Stephanus, non turbatur duro imbre ſaxorum.* Unde Ægidius Colomna ſalubriter monet: [ Si lædamur in iſtis rebus ſenſibilibus, non

*Plutarch. In epiſt. ad Rom. lect. ib.*

ſolum non affligimur, imo gloriamur & lætamur, conſiderantes nobis ex hoc præparari præmium æternæ hæreditatis: lætamur ſi preſſuram patimur in hoc mundo; operatur enim in nobis expectationem futuræ gloriæ.

Deus mandavit Noë, ut Arcam fabricaret, eò quod vellet univerſali diluvio punire mundum; & in illum finem ideam dedit, ut ſcilicet eâ faceret longitudine, latitudine & altitudine, atque *Abulenſ. in 5. Gen.* (quod obſervat Abulenſis) fieri in ſuperiori Arcæ parte feneſtram particulariter juſſit. *In ſummitate Arcæ feneſtram facies.* *Oleaſter.* Oleaſter ibidem annotavit. *Videtur contextus innuere, feneſtram fuiſſe in ſuperiori parte Arcæ.* Feneſtras antè & in lateribus, non verò in ſummitate ædificii ponimus; cur hic ſuperius, *in ſummitate Arcæ*? Inſuper erant feneſtræ illæ patentes, vel obſeratæ: non apertæ, ne imber in Arcam influeret. Dicamus obſeratas fuiſſe, an non ita fruſtrâ feneſtræ, cùm per eas lumen in Arcam non immitteretur: Lyranus reſolvit, dicitque clauſas fuiſſe, neque tamen luminis claritatem impediviſſe, quia *feneſtra erat cryſtallina*, *Gen. 6.* Solutio hæc bona quidem, ſed nondum difficultatem omninò evacuat: non enim repugnat feneſtram, etſi ex cryſtallo ſit, in parietibus locari.

Crediderim potiùs ſic Deum intendiſſe. Prævidebat Noëmum multo tempore fore concluſum in Arca, ne ex fœtore nimio tædio afficeretur, aut ægrè ferret mugitum tauri, rugitum leonis, hinnitum equi, ululatum lupi, balatum ovis &c. ideò hoc volo, inquit Deus, fiat feneſtra *in ſummitate Arcæ*, eaque cryſtallina, ut ſit transparens, & ſic poſſit Noë in maximis iſtis moleſtiis per illam in cælum ſuſpicere, unde à Deo liberaliſſimè remunerationem accepturus, atque ita ille beſtiarum ululatus, qui ante horribilis, gratam auribus harmoniam afficiet; nil tum fœtidum, nil moleſtum, ſed quod odoriferum facile gratum & jucundum apparebit. *Fernand. c. 7. in Gen. ſec. 6. §. 8.* (Intelligitur feneſtra (ſcribit in hunc locum modernus Interpres) per quam lux admittitur, qui enim in funebri illo feretro, homines illi, velut antea morte conſepulti, tam calamitoſam viderent vitam abſque ingenti conſolatione ac levamento, quod cœlum & cæli lumina contuentibus præbere ſolent.)

In Stephanum ſaxorum grando præcipitans cadit, nec inde dolet nec lamentatur, ſed gaudet & jubilat. Ex lapidantium impetu, & petrarum ſtrepitu non moleſtiam percipit, ſed conſolationem ac refrigerium. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Et hoc non ob aliam cauſam, inquit S. Thomas à Villa Nova, quàm quia cælum apertum vidit. *Video cælos apertos. Cur enim pertimeat pugnam Stephanus, qui æternam ſibi parari videt coronam? Cur momentaneos lapidum paveat ictus, cui cæleſtis gloriæ patet introitus?* *Cam. de S. Steph.*

Quàm miſer erat & afflictus populus Iſraeliticus in tyrannide Pharaonis intolerabili, cum ſub graviſſimo ſervitutis jugo detinebatur! Quis ærumnas explicet, aut quis cruciamenta attendens non commoveatur? Ponite ante oculos laborem, vincula, verbera, equuleum, carnificem: multo ſudore ſaxa graviſſima ad locum fabricæ aſſiduò humeris ferunt, flagellis & fuſtibus adiguntur ac ſi beſtiæ ſint, non homines; catenas duriſſimas pedibus, & collo injecta vincula ſemper tenent mancipiorum more. Tormenta quilibet crudeliſſima patiebatur, & nemo compatiebatur. Si vel momento unico à labore quis reſpirabat, ſaxo aſpero inſidens, in paradiſo jam agere videbatur. Ad panem ſiccum & aridum pro obſonio nil niſi vermes, cepas & allium adhibebant: herbas etiam viliſſimas pro cibis ſuaviſſimis comedebant, ut jumentis felicitatem inviderent, quod minus illa laborarent, & tamen lautiùs tractarentur. Quid poſſit dari calamitoſius? Sumere ſolebant è ſcyphis aureis ac argenteis vinum, quo non potuiſſet exprimi è vitibus Engaddi ſuavius aut pretioſius; at modò ſi vel hauſtus aquæ turbidæ offeratur, nihil umquam bibiſſe jucundius teſtabuntur; in tantum ſiti premebantur, & aqua modicè, nec niſi in menſura permittebatur. Vidiſſet ſemel veſtrûm aliquis, fame, ſiti & inediâ ita extenuatos, nil niſi mera oſſa in corporibus legiſſet. Multi præ debilitate nimiâ repentinò exanimati cadebant; ut merito Jerem. deploret, *Ierem. 11.* cùm illos miſerrimos *in fornace ferreâ* fuiſſe deſcribit. Tandem commiſeratus eſt Deus & populum liberaturus, per mare rubrum deduxit in locum amplum valdè, ubi effundente cælo manna miraculosè depluere cœpit, conqueſtus tamen eſt de incommodis, aquæ & victûs penuriâ; & murmurare contra Moyſen non deſiit: *Cur eduxiſti nos de terra Ægypti ubi ſedebamus ſuper ollas carnium? Vtinam mortui eſſemus in Ægypto!* *Exod. 16.* O quam benè erat nobis apud Pharaonem? Deliciæ noſtræ, in Ægypto verſari: non ibi ſervitus dura, ſed libertate placidior videbatur. Panis bis coctus & vermibus infectus gratus erat palato; ita ut nihil viſum ſit illo pane delicatius: imò neque vel ipſum manna. *Eduxiſti nos de terra, quæ lacte & melle manabat*, *Num. 16.* Dathan & Abiron dixerunt: Verum eſt fatemur, aqua lutoſa erat

ſa erat

ſa erat & turbida, dulcius tamen ſapiebat quam vinum quod menſæ Pharaonis reſervatum: Tyrannorum equuleos & impoſita humeris ſaxa, non onera ad dejectionem dixiſſemus, ſed lectiſſimos flores ad animi recreationem. Verbo dicam, fortunatè beatèque in Ægypto vivebamus. *Sedebamus ſuper ollas carnium.* At ſi populus iſte tot ærumnis (ut jam retulimus) premebatur, quomodo credi poſſit, labores maximos ac moleſtias in amore & deliciis habuiſſe, ſic ut in iis ſe magnificè jactet, *Sedebamus ſuper ollas carnium?*

Noſtri ævi Interpretem hic audiamus, & ex verbis ejus dubium propoſitum reſolvamus. Aſſerit ille Hebræos illos omnes in pollice manus ſiniſtræ annulos geſtaſſe, in iiſque margaritæ erant, in quibus ſculptam habebant civitatem patriam Jeruſalem. (Cum à Patria Hebræi exules Babylone eſſent, in annulis figuram Jeruſalem geſtabant, ac ſi dicerent: Licet multis calamitatibus premamur, ac durâ ſervitute; licet exules à Patria ſimus, numquam tamen tui, Jeruſalem, nos invadet oblivio, cum te in annulis ſculptam habeamus.) Oculos de annuli lapide nunquam dejiciebant, viſo patriæ ſuæ Jeruſalem recreantes languida membra, confortantes & vires deperditas reparantes: ſpe optimâ erecti, ſe in patriam eſſe reverſuros, dura quævis ac difficilia læto animo perfringebant.

*Novarin. ſacr. Electa. c. 12. n. 153.*

Si igitur populo huic tanta fuerit ex viſa ſola umbra cæleſtis Jeruſalem ſuborta jucunditas, quanta nos Stephano, qui non in lapide ſculptam, ſed in cælo empyreo apertam triumphantem Patriam vidit? *Video cælos apertos.* Eſto, duriſſimi à natura lapides jaciantur in Stephanum, viſo cæli molliſſimè dulceſcent. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Qui quotidiè illam ſibi effingit & exprimit Civitatem* (Divi Chryſoſtomi verbis utar) *alitque deſiderium, nihil eorum quæ ſunt gravia, grave aliquid exiſtimabit. At de hoc eſt maximè lætandum, quod in tranquillum portum cum maxima celeritate curſum teneamus, & ſupernam civitatem recipiamus, à qua procul aufugit dolor, moleſtia & gemitus.*

*In pſ. 114.*

Non id mirum eſt aut inſolitum, lapides reddi dulces intuentibus cælum. Etiam D. Paulus ſibi contigiſſe fatetur. *Ter virgis cæſum ſum,* (inquit) *ſemel lapidatus ſum.* Petite, quantus illi dolor, quantus à virgis aut lapidibus cruciatus; hoc ſtatim reſponſum dabit: *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Deus bone! Lapides fieri dulces, adverſa quævis arridere: qui fieri hoc poſſit, Apoſtolus ipſe dicet; *Raptus uſque ad tertium cælum, & vidi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quomodò igitur obtentæ victoriæ recordatio dolorem inflicti vulneris mitigat, ita viſi cæli recens adhuc memoria dulceſcere fecit virgas & lapides, quibus S. Paulus appetitum ſe & percuſſum rememorabat. Ita Abbas Cherimon affirmat: Cum beatus Apoſtolus ad illam magnitudinem futuræ remunerationis aſpiciens, quid de illis innumeris perſecutionibus ſuis pronunciaverit, conſiderare perfacile ſit momentaneum hoc, &c. Divus Chryſoſtomus his verbis confirmat: *Ecce quid Chriſti viſi faciebat amor in Paulo: ſic occupatur dilecti viſione, ut nihil aliud ſentiret nec ſuave nec amarum,* ut eum vis quædam ab omni ſenſu abſtraxiſſe videretur. Forſan à Sancto Stephano didicerat, cùm Martyrio interfuerit, ubi primum molliendi duriſſimos lapides inventus eſt modus, quando Protomartyr fixo intuitu in cœlum aſpexit; *Video cœlos apertos.* q. d. Ita me boni promiſſi expectatio delectat, ut excogitari malum pœnæ non poſſit, quod cruciet. Nec mirum, ait S. Thomas à Villa Nova: *Tranſit citò, quod cruciat, permanet in æternum quod coronat: guttatim pœna nunc bibitur, ſed affluenter & per rivos potabimur à gloria: tranſit hora, tranſit & pœna, ſed gloria illa tota ſimul & invariata durabit, non minuetur, non alterabitur, ſed illæſa & inviolabilis permanebit.*

*2. Cor. 11.*

*2. Cor. 4.*

*Col. 13. c. 12 in Biblioth. vet. PP. T. 5. p. 2.*

*S Chryſ.*

Mirum (NN) Gregorius Niſſenus de martyrio S. Stephani loquens lapides fuiſſe ut flores, & ſaxorum imbrem inſtar ſuaviſſimi roris aſſerit, atque mortem (quam natura ipſa acerbiſſimam reddidit, ut proinde dicta ſit etiam à Philoſophorum principe *Vltimum terribilium,* & Fauſtus canat:

*Ariſtot.*

*Horribili viſâ terremur imagine mortis;*

Ut nemo non ſine ſuſpirio gemat: *O mors, quam amara eſt memoria tua!*) non modò non ſenſiſſe amaram, ſed velut amœniſſimum tranſitum & placidiſſimum ſomnium, Sanctus Doctor teſtatur his verbis: *Velut teneris floribus vel rore quodam levi circumfuſus in dulcem ſimul & beatum ſomnum delapſus eſt.* Beatus Petrus Damianus ita confirmat: *Felix ſomnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate.* Neque poſſit alia dari ratio, niſi quia *videbat cœ-*

*Eccl. 4.*

*Gregor. Nyſſen.*



los

*los apertos*, ſiquidem docente Beato Thoma à Villa Nova, *lapidibus per aera crepitantibus, oblitus eſt vulnerum; nam ſibi patere cælum videbat.*

*Conc. 4. Nat. Domin.*

De bono latrone incidit cogitatio. Statim ille, ut de cœlo loquentem Salvatorem audivit, *Hodie mecum eris in paradiſo*, tanto perfuſus eſt gaudio, ut opinione D. Baſilii Seleuci, non ſecus ac arte chymicâ in aurum metalla cetera verti credimus, ita acerbitatem crucis, duritiem clavorum & tormenta atrociſſima in voluptatem & refrigerium viſa ſint commutari *Dolorem clavorum præ Domini deſiderio nihil exiſtimans.*

*D. Baſil. ſeleuc Orat. 16.*

Felices igitur illi, qui cum in miſeriarum abyſſum prolapſi ſunt, mentem erigere ſurſum norunt, & exemplo Stephani cælum intueri, mercedem inde ſperantes. *Talis* (inquit S. Chryſoſtomus) *neque gladium timet, neque præcipitium neque ferarum dentes, neque lictorum manus, neque aliquid triſte in hac vita; ſed etſi carbones videat ſubſtratos, quaſi prata & Paradiſos videns tranſilit; deſiderium enim futurorum mentem illius tranſilit.*

*Hom. 28. in Gen.*

Ut Jacob voluntatem patris ſui Iſaac intellexit, ſtatim obedivit, Meſopotamiam petens, ut è domo Bathuelis uxorem ſibi de filialibus Labam avunculi aſſumeret. *Proficiſcere in Meſopotamiam Syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui.* Primo itaque diluculo & favente aurorâ, cum ſuis valedixiſſet, itineri ſe dedit, voluntatem patris adimpleturus. At quando jam per viam lætus incedebat, in ſe dixit: Sis mille vicibus benedicta patria! O quam grato feror paſſu! quo plus progredior, minus iviſſe videor & cum toto corpore ſudorem expreſſum videam, ne vel minimum tamen fatigatum me ſentio; econtrà ſummâ quiete & gaudio perfruor: O quando tandem lætiſſimus ille mihi dies illuceſcet, quo dabitur cæleſtis patriæ muros cominùs contemplari! O ſi amœna illa paradiſi vireta pertranſire modò liceat, & ſelectis floribus caput futuræ ſponſæ chariſſimum adornare! Sed nunc propè ſum, Meſopotamiam video, hæc platea quæ ducit in Haran, ni fallor: Paſtores hic adſunt, ut de viâ interrogem, ne dubius aberrem, Deus vobiſcum ſit, viri boni, & greges veſtros à luporum morſu conſervet; det campis amœnitatem & gramina paſcendis ovibus. Nunquid ergo videtis noctem ingruere? tempus eſt congregandi ad aquas pecora, cum adhuc luceſcit dies. *Date ante potum ovibus, & ſic eas ad paſtum reducite.* Reſponderunt illi: Sitiunt greges noſtri, necdum hoc die potum dedimus; expectandum tamen, donec reliqui paſtores adſint, ut ſimul gravem hunc lapidem ab ore putei removeamus, *reſponderunt: Non poſſumus donec congregentur omnia pecora*, vel (ut Pagninus legit,) *omnes paſtores, & amoveamus lapidem de ore putei.* Unde colligi facilè poſſit, quàm fuerit gravis iſte lapis, cum pro eo removendo paſtorum iſtorum omnium vires requirerentur. Quid hic faceret Jacob? accingit ſe & brachia expedit, ut ipſemet ſolus lapidem tollat, adeoque vires omnes intendit, & humeros ſupponit, manibus connitens & brachiis, paulatim retrudit, & ita ac ſi fuiſſet feſtucâ levior, amovit, ſic ut pateret os putei ad bibendum. O te generoſum! lætor, Jacob, quia magnanimitatem jam vidi; condoleo tamen, & vereor: fortaſſis gravi hoc onere quod non unus aut alter facilè ferant, fractus es & dejectus, & vix præ fatigatione reſpirare jam potens; non hoc mirum ſit, quia labore maximo perfeciſti. Quid de labore? quid de fatigatione, aut gravi pondere loqueris? Plumam, aut ſi, quid illa levius, amoviſſe modò videor; nihil ſenſi, nec fatigatus ſum. Quis non hic mecum obſtupeſcat NN? Si tamen ſacrum textum perlegimus, pro comperto eſt, Jacob in formoſam Rachelem oculos tum conjeciſſe. *Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris ſui: nam gregem ipſa paſcebat.* Abulenſis hic exponit & rem noſtram confirmat. (Hoc fuit propter amorem Rachelis conſobrinæ ſuæ, cui complacere volebat.

*Gen. 28.*

*Gen. 29.*

*Gen. 29. Abulenſis in 29. Gen.*

O Deus! ſi ita unica Rachelis viſio recreet, ut Jacob petra iſta levis videatur & dulcis labor, ut quid non juſtius ego id de S. Steph. aſſeram, non grave illi fuiſſe martyrium, non doloriferas plagas, cum viderit non Rachelem eximiâ pulchritudine arridentem, ſed cæli admirabilem ornatum, & inſatiabilem paradiſi gloriam? *Video cœlos apertos*: non igitur mirum, *lapides torrentis illi dulces fuiſſe.* D. Baſilius expreſſis verbis ſic confirmat: *Plagas non horret Martyr, ſed præmia numerat; non videt lictores infernè flagellantes, ſed Angelos ſupernè lætis vocibus acclamantes imaginatur; non ſpectat ad temporalia pericula, ſed ad præmiorum æternitatem.*

*Homil. de Barlaam.*

Magi non curarunt laborem itineris; ſed alacritate & lætitiâ properabant ad tuguriolum, Regem ibi natum veneraturi. Nil ipſis hic triſte in via, nil durum occurrit, quia cæleſtem ſtellam in oculis ferebant, *Videntes ſtellam Magi, gaviſi*

*Matth. 2.*

*viſi ſunt gaudio, magno.* Si quidem, ut D. Chryſoſtomus ait, *qui illorum bonorum) ſcilicet cœleſtium) ſpe alitur, nullis malis præſentibus obruitur, nullis, quæ hic ſunt, ærumnis retardatur; ſed quemadmodùm qui ad regiam urbem contendunt, nullo, quod in itinere ſe offerat, retinentur, ſed ad unum reſpiciunt, nemp e ad patriam, quæ eos eſt ſuſceptura.* In pſ. 114.

4. Reg. 2. Cum Elias Propheta curru igneo raperetur in cælum, non flammas timuit, non ſenſit ardores, ſed quaſi Zephyri placidiſſimâ aurâ recreari videbatur, quia in cælum oculos converterat, quò curſu rapidiſſimo ferebatur. *Elias* (ut ſcribit Sanctus Baſilius) Hom. 13. *currus equoſque igneos ad ſe venientes minimè expavit; verùm itineris ſuperni deſiderio accenſus, contra formidoloſa eſt auſus, & hilaris gaudenſque flammantes aſcendit currus, cum adhuc eſſet in carne.*

Auſus eſt aliquando gloriari Apoſtolus, & apertè jactare de fortitudine & conſtantia, cum ait: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* An Rom. 8. adverſitas, anguſtia, fames, nuditas, pericula, perſecutiones aut gladius? Hoc habeo certum, nihil umquam fore tam durum aut aſperum, nihil tam violentum quod ſeparet vel avertat. Plus dico? non me affliget adverſitas, non verbera ſentiam, & miteſcet quidquid alias triſte & nubilum. *Sed in his omnibus ſuperamus.* Et unde Paulo tam magnus & erectus eſt animus, ut tormenta non modo rideat, ſed ex iis dulcedinem inſuper ſperet? Sanctum Maximum di- Hom. 3. de S. Laur. centem audiamus: *Verè nullus præſentium perſecutionum poteſt inclinari periculis, qui ſemel promiſſa omnipotentis Dei, æterna largiſſimi Redemptoris præmia, fide ſtabili & inconcuſſa mente concepit.*

Trojanæ cohortes in magnis tempeſtatibus recreari tum viſæ, ubi tandem Italia apparuit, primum detegente Achate, cum ſic lætus exclamat:

Virgil. Æneid.
*Italiam, Italiam, primus conclamat Achatis:*
*Italiam ſocii læto clamore ſalutant.*

Proto-martyr noſter è mundi fluctibus egrediens ut ad cæleſtem Italiam properet, mari purpureo exponit ſe proprii ſanguinis, & feliciter navigat, ubi Spiritus ſanctus dirigit. *Stephanus plenus Spiritu ſancto.* Pro clavo navis, facit Act. 7. charitas: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum* Remis virtutum & velo gratiæ contendit. *Plenus gratiâ & fortitudine*, tametſi jactatus ſit vento Phariſaicæ crudelitatis, quantumvis impetitus ſaxorum grandine, non patitur naufragium. Inquirite modò quid inter tot adverſa ſolatii, quid percipiat dulcedinis, ut dicere jam lubeat: *Lapides torrentis mihi dulces fuerunt:* Pro ratione nil aliud reponet, quàm quòd cælum videre jam cœpit. *Video cœlos, video cœlos apertos.* Ut proinde meritò dixerit B. Laurentius Juſtinianus) Ser. de S. Steph. Militi ſuo laboranti in ſtadio, non exhibuit Deus temporales opes, terrenaque præſidia, ſed cœlum; & hoc utique apertum. Hinc Martyris Sancti ſolidata mens, nec perturbata in ſe, neque adverſus perſecutores eſt vindictæ zelo permota, quin potiùs ſupremo irradiata ſplendore, ſpirituali præcincta gladio, & virtutum armis circumquaque protecta, etiam percutientium rabiem orando, in ſe immundorum ſpiritum æquanimiter perferendo tormenta, ſuperavit inſultus.)

*Et Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Quidquid Rex Midas corpore contingebat, in aurum Ovid. vertebatur. Fabulæ ſunt; at veritati jam credite; Metam. quia petræ tangentes Stephanum, duritiâ in dul- l. 2. cedinem commutatâ, non jam Martyrem feritate perterrent, ſed occultâ ſuavitate demulcent ac recreant. Neque alia de cauſa ſic fieri crediderim, quàm quia Dei Filium intuebatur Stephanus. An non ipſummet auditis aſſeverantem: *Video Ieſum ſtantem,* O viſio iterum beata, quæ mirabiliter convertit amaritudinem longeque efficaciùs quàm fabuloſus Midas contactu, quidquid vile & abjectum eſt, pretioſum & dulce efficere valet.

Nunquam ſatis intelligere potui verba illa quæ aliquando Salvator ad Diſcipulos fecit: *Ego miſi vos metere: alii laboraverunt, & vos in* Ioann. 4. *labores eorum introiſtis* Chariſſimi mei, hoc ſciatis, velim, multùm ſudaſſe Patriarchas olim, & Prophetas, atque labores ſeminaſſe, vos modò metere. Severunt illi, at vos fructus colligitis. Necdum verborum percipio ſenſum: ſiquidem ſerere laborioſum eſt, neque habet delectationem, metere verò jucundum eſt, & vix laborioſum, ut ſentit D. Chryſoſtomus: *Si contingat a-* In c. 4. Ioann. *lium ſeminare & alium metere, non ſimul lætantur; ſed dolent qui ſeminant, lætantur autem ſoli, qui metunt.* Volebat ergo inferre, ſanctos illos antiqui Teſtamenti viros, (quales erant Jacob, Abraham, Iſaac, Elias, Hieremias, Iſaias) multa paſſos fuiſſe, in hoc mundo labores ſuſtinuiſſe, & graves perſecutiones; at verò Apoſtolos inde voluptates percepiſſe & ſummas delicias. *Vos in labores eorum introiſtis.* Sed quomodo id ita ſit,

cùm

cùm de Diſcipulis Auguſtinus aſſirmet, prædicaſſe fidem *inter maledicta & opprobria*, *inter graviſſimas perſecutiones, crudeleſque pœnas. Tenebantur, ligabantur, percutiebantur, beſtiis ſubjiciebantur.*

*In milleloq verbo Apoſt.*

Et de illorum morte loquens ſubdit: *Moriuntur pœnis, tormentiſque diſſecti.*

*Ibid. verbo Mart.*

Ecquis veteris teſtamenti Sanctus acerbiora tulit tormenta, quàm toto vitæ decurſu Apoſtoli? Reſpondet Rupertus Abbas, atrociſſimas fuiſſe ante novum teſtamentum pœnas, eò quod lenimen abeſſet votis omnibus deſiderabilis Filii Dei viſio. Apoſtoli autem longè quidem acerbiores paſſi ſunt cruciatus, eos tamen Chriſti Humanitas fortiſſimos reddidit, ita ut non tam cruciati quàm conſolari & recreari viderentur. *Vos in labores eorum introiſtis: Alii laboraverunt.*

*In Ioann. 4.*

Ruperti verba profero: *illi credentes & ſperantes credendo ſeminaverunt euntes & flentes: & ecce nunc alii metuunt, nempe vos Apoſtoli, qui promiſſionum, quæ ad eos facta ſunt, præſentem habetis effectum.* Lapidatores Synagogæ petras ſeminarunt; Stephanus *in labores eorum introivit,* dulcedinis colligendo meſſem. *Lapides dulces fuerunt,* quia æquè feliciter ac Apoſtoli, *Videbat Ieſum ſtantem à dextris &c.*

Hoc à Deo mandatum olim Abraham accepit, ut patriam, conſanguineos, utque poſſeſſiones desereret ſine ſpe reditûs.

*Gen. 12.*

*Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtravero tibi.* An non illi duriſſima illa migratio? dicat quiſquis à patriis deliciis exul avellitur. Sertorius apertè id fatebatur, (malle ſe Romæ ignobiliſſimum Civem, quam exulem omnium aliarum civitatum Imperatorem nominari.)

*Apud Pet. Val. ſer. 2. de S. Andr.*

Ne tamen ex deceſſione iſta inexpectata nimis magnas animo moleſtias capiat, ſpe & promiſſis Deus Senem excitat.

*Gen. 12.*

*Faciam te in gentem magnam, magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. Benedicam benedicentibus, & maledicam maledicentibus tibi* Hac pollicitatione erectus S. Patriarcha, ſine ulla mora iter ingreditur; non illum divitiæ retardant, non viarum incommoda abſterrent. Hoc interim ſpatio, quo proficiſcitur Abraham, aliò tantiſper nos conferamus, & Joſephum Deo per Angelum jubenti obedientem videamus. Angelus deſtinatus eſt, qui dormientem Senem excitet, eique nunciet ut cum Maria fugam incunctanter arripiat.

*Matth. 1.*

*Apparuit Angelus in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* O Joſeph verè miſer! quanta hæc ab impio Herode crudelitas, quanta tibi fit calamitas, in ſenecture fugere, & mediâ nocte! & ibi te liberum ab Ægyptiorum inſidiis putas? an ſatis te magno & forti animo eſſe exiſtimas, ut ingrediaris longum hoc iter? quàm procul ab Ægypto Bethleem diſtat! non jam aura favet, neque viæ tuæ & periculi tempeſtatem times? Boni Senis me miſeret (NN) Angelus ſaltem ſolatium aliquod adferre poterat, mercedem pollicendo, quomodò Abrahamo diximus factum; cùm ex plurimis circumſtantiis moleſtiùs appareat hoc iter, quod aggreſſurus erat Joſeph. Reſpondeo Senem Patriarcham confeciſſe illud iter comitante familia, in qua ne vel unus erat, qui in viarum anfractibus & incommodis fatigatum ſublevare poſſet ac recreare: at verò Joſeph ſecum habebat Dominum, neque opus erat alio refrigerio aut conſolatione: cui enim domi ſub tecto victus ſuppetit, non foris & in aperto quærat. Joſeph in rebus etiam deſperatis & in mortis agone non formidaſſet, quandò in Pueri Jeſu ſerenam faciem oculos conjiciebat, vel ſolo aſpectu in tantum recreari poterat, ut nil ipſi jam durum eſſet, nil difficile, ſed placidiſſima omnia & jucunda. (Non audio Joſeph mercedem ullam promitti, non promiſſis denique recreari. Sed quid aliis præmiis ad labores ferendos alliciatur, qui ſecum Jeſum in laboribus habet? Plena hæc merces, & ſola ſufficit)

*Aloyſ. Novarin. in Vmbra Virg. n. 1150.*

Bonum tantum Abrahamo non eſt conceſſum. Nec aberraſſe videar, ſi D. Anſelmum eò alluſiſſe exiſtimem. Vos ipſi ex verbis colligite. *Inſpiciat oculus devotionis parvulum Ieſum.* (*Quid viſu jucundius quid delectabilius? carne illum qui immenſus eſt, parvulis brachiis ad materna colla pendentem videre*) *& dicat: Felix ſum, feliciorque dum illum video, quem Reges optaverunt videre, & non viderunt. Dignus eſt viſu, qui ſpecioſus eſt formá præ filiis hominum:*

*Apud Ludolph. Carth. p. 1. c. 13.*

O quam glorioſus es, Stephane, qui in difficillimo hoc itinere è terra ad cælum properans lapides calcaſti! non lapides dicam, ſed flores potiùs, ex quibus, velut apicula paradiſi, dulcedinem mellis ſuxiſti. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Quid mirum? quæ Joſepho ſumma felicitas fuit, ea nunc potitur. *Vidit Ieſum ſtantem.* Ut proindè liberè pronuntiem. *Sed quid aliis præmiis ad labores Martyrii & ad lapides ferendos alliciatur, qui videt Ieſum ſtantem à dextris Dei?*

Quidni tunc beatum fuiſſe Stephanum aſſeram, quia jam cœlum poſſidebat; ſiquidem ſit lege receptum, poſſeſſionem non modo pede aut manu, ſed vel ſolo oculo poſſe obtineri:

*Lege quâ] meo non § ſi venditorem ff.*

Et

*Morem ſſ de aqua. poſſeſſ*

Et quid aliud intendit, ubi ait: *Video cælos apertos*, quàm Ecce jam cælum oculis poſſideo: ſum beatus: Jam verò, ut talis non erat moleſtiæ aut amaritudinis capax. *Amaritudinis omnis & aſperitas in regione Chriſti locum non habet.* D. Auguſtini utor verbis, qui & cum S. M. Eccleſia ita concludit: *Tuâ enim dulcedine Stephano lapides dulcorantur.*

*S. Aug. in manual. c. 6. Idem ſoliloq. c. 22.*

Doctus Pictavienſis ſcribit reperiri in mari piſcem nomine Faſtem; *in cujus ore aqua maris dulceſcit.* Sed evidentiùs hoc demonſtrem in ſancto noſtro Proto-martyre factum, cum aquæ animæ, imò potiùs ſaxorum grandines irruerent, *dulceſcebant in ore Stephani:* ſiquidem *lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

*Berchor. verb. Dulc.*

Aqua maris à natura ſalſa eſt & amara, attamen in vaſe cereo impoſita ſalcedinem amittit reddita dulcis. S. Stephanus vas erat Spiritûs Sancti: *Stephanus plenus Spiritus ſancto.* Ex cera erat ad amoris ignem liqueſcens. *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, adeò ut in ſaxorum tempeſtate nil amarum, ſed dulciſſimum ſenſerit. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Fortaſſis ideò, quod S. Petrus Chryſologus aſſerat: *Nil amarum, nil grave, nil durum, nil lethale computat amor verus.*

*Ser. 40.*

Noverat Samſon libare mellis dulcedinem & è Leone ſugere fortitudinem, cum & obſcurum ænigma Philiſtæis propoſuit: *De fortitudine egreſſa eſt dulcedo.* An non idem Stephano accidiſſe jam vidimus? Fortitudinem habuit. *Stephanus plenus fortitudine.* Dulcedinem guſtavit. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

*Iudic. 14.*

Petræ erant duriſſimæ torrentis Cedron, quâ cùm Salvator noſter ad hortum Gethſemani raptabatur, ſolo pedum contactu (unicornis ad inſtar, cui hæc inſita virtus, ut ſi cornu aquas tangat, à veneno corruptas corrigit & expurgat, *obnoxia pellit*) duritiam vicit & molles ac dulces effecit. *Dulces fuerunt.*

*Berchor. reduct. l. 10. c. 85. Io. Fer.*

Ea Richardi à Sancto Laurentio mens eſt, Virginem Deiparam ſupra petram genu flexiſſe, cum Stephanus lapidabatur, pro eoque ferventer oraſſe, adeò ut orationis iſtius virtute duritiam ſaxa perdiderint atque pro amaritudine ſummam dederint dulcedinem. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

*L. 2. de laud. B. V. Itiner. Terræ S. Andr. Celſ. in theſaur. celeſt. c. 3. fol. 10. 4.*

Miranda hic inter Hebræorum corda & Stephani lapides apparet tranſmutatio. Paradoxum eſt quod de animabus noſtris fingebat Pythagoras, de corpore videlicet uno ad aliud viciſſim illas pertranſire. Sed neque hoc minùs ſtupendum, ſcilicet cordium teneritudinem ad petras defluere, illarumque duritiem ad lapidantium corda penetrare; ut meritò dici queat dura & velut petras corda, contra teneras & velut corda petras fuiſſe. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

Et quomodo non forent Stephano dulces lapides illi, quibus ceu ſcalis ad æternæ felicitatis apicem aſcendit, ubi ſummæ beatitudinis extructum ex iis palatium invenit? Sancti Fulgentii ut verbis dicam. *Ad cœli palatium regnaturus aſcendit:* Sub lapidum iſtorum ſarcophago mortem ſepelivit; ut inde anima immortalis æternitati gloriæ beatificæ renaſceretur. Contriverunt petræ naviculam corporis innocentis, inde egreſſa animâ per mare ſanguinis ad cœli portum feliciter pervenit.

*Serm. de S. Steph.*

Scriptorum relatu conſtat, & experientiâ ad oculum patet, poſſe homines quandoque lapideſcere, ſi quos contingat pulveris & arenarum turbine obſtrui, & ſuffocari: quantò magis à lapidibus, quibus obruitur Stephanus, denominari poſſit ob conſtantiam invincibilem lapis duriſſimus, cum commune hoc dictum ſit. *Omne ſimile generat ſibi ſimile?* Imò, & ideò dum ferro Phariſaicæ impietatis percutitur, ſilicis inſtar ſcintillas ignis, amoris, inquam, flammas emittit. *Dum ſuper eum torti lapidum vertices deciderent* (Sancti Auguſtini ſunt verba] *& rotati aggeres torquerentur, pro ſævientibus ſic orabat: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

*Apud Philoſop.*

Si quod ſcripſit Tullius, dici ſoleat lapis homo iſte, qui nec adverſis frangitur, neque proſperis commovetur (Hominem præterea lapidem quandoque dicimus, qui negligens ſtupiduſque, quique ad id agendum quod maximè oporteat, non moveatur.) Et eadem metaphorâ Terent. *Hei: qui ſtas lapis?* Cuinam aptius lapidis virtus conveniant, quàm Proto-martyri noſtro, qui fortitudine ſuâ & ſapientiâ contra Libertinorum, Alexandrinorum & Cirenenſium impetum ſtetit? Plus dicam & verè, rupem fuiſſe Stephanum, quandoquidem in martyrii profundo non fuerit tempeſtate dejectus, neque alliſionibus Phariſaicorum fluctuum deturbatus, ut de eo verificetur, quod habet S. Auguſt. *Petra in mari conſtituta hoc habet magnum? ſi tunditur fluctibus, frangit fluctus, non frangitur.*

*Calepinus verb. In pſ. 103. ſer. 3.*

Petra erat Stephanus, ſed figuræ quadratæ. *Quadratum lapidem quocumque verteris, ſemper ſtat.* Unde quia Filium Dei *ſtantem* videbat, imitatus eſt, & inſtar petræ quadratæ ſtabat, non ſtaturâ corporis, ſed animi conſtantiâ &

*Idem in in pſ 86.*

firmitate cordis. *Fortis columna Dei feriebatur & firmabatur, confringebatur & augebatur, cædebatur & non vincebatur.*

*Idem in milleloq. verb. Steph.*

Non ſine cauſa fictis fabulis, doctiſſimi homines memoriæ tradiderunt repertum fuiſſe, qui ſuaviſſimo cantu & fidibus inferorum monſtra placaret, fecit Orpheus; ſed Stephanus noſter ſaxorum duritiem emollivit, & amaritudinem dulcoravit. Amphion dulcedine cantûs & gratiſſimâ harmoniâ tantum prævaluit (ſi fabulis crederetur) ut graviſſima ſaxa moveret, & ad ſtruendos muros Thebanos ſono teſtudinis attraheret. Verùm hic Proto-martyr longè prævaluit; ſiquidem lapidibus pretioſis & ſanguine, non cantu, ædificium in cælo erexit; nec ad breve exiguumque tempus, ſed æternum eſt duraturum, ut merito ſic moduletur ingenioſus. Poeta:

*Ioann. Bapt. Mar.*

*Da canoro Architetto:*
*Fugià di Thebe il nobil' muro eretto,*
*Hor Città vi è più bella,*
*Doue è gemma ogni pietra,*
*Fabbrichi tù di quella*
*Ch' alzata fù da favoloſa cetra,*
*O celeſte Ingegnero è Fabro ſanto!*
*Tu col ſangue la fondi, è non col canto.*

Quid autem ex invicti hujus Athletæ actionibus heroicis addiſcemus, quod ad virtutem nos provocet & in via ſalutis promoveat? Hoc à magno illo Magiſtro altè retineamus, quomodo ſæculi adverſitates facilè & utiliter ſuſtineamus. Ante omnia cælum oculo inſatiabili intueamur. *Video cælos apertos.* Ad illud ut laborum noſtrorum à Deo deſtinatum præmium animos excitemus, & cum S. Thoma à Villa Nova crebrò ſic meditemur. *Si omnes mundi moleſtias ſolus eſſes paſſurus, nunquid condignæ eſſent omnes illæ paſſiones ad futuram gloriam, quam expectas? Et modò ais? Multum eſt quod patior, grave eſt quod ſuſtineo. Conſidera retributionem, & videbis quàm nihil eſt.* Ita & S. Auguſtinus ad patientiam hortatur, cùm ait. *Si attenderis, quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris; nec indigna æſtimabis, pro quibus illud accipies.*

*Conc. 2. Dom. 1. Quadr.*

*Serm. 1. de S. Paulo.*

Omnis labor, quantumvis etiam levis, gravis fiet & difficilis; & à punctura ſpinæ dolor erit maximus, & vulnus incurabile, niſi exemplo Stephani ad cæli conſpectum mentem erigamus: ubi à contrario, rota Catharinæ, craticula Laurentii, crux Petri, lapides Stephani & atrociſſima quæque Martyrum tormenta faciliima videbuntur, & gratiſſima, ſi modò pro cæleſti gloria obtinenda ſuſtinere ex animo deſideremus. (Etiam leves labores illum tenent, qui ſcit per ea, quæ præfert, ſe in ſublime ferendum.

*Novarin. Umbr. Virgil. l. 4. Sa. Elid. excur. 101. n. 31.*

O quàm alacri animo injuriam omnem remitteres, adverſa quæque & extremam inopiam ſuſtineres, ſi modò æternæ beatitudinis præmium ob oculos verſaretur: per medios etiam ignes promptiſſimè curreres, neque flamma deterreret, cum ad ſupernam felicitatem mentis aciem elevares. O quantum hoc Stephano ſolatium, cælos apertos contemplari, dum ſaxorum grandine opprimeretur! (Supra modum complebatur gaudio in ejus viſione præclara, adeò ut injuriarum nullo dolore moveretur. O veneranda tolerantia Martyris, quæ in Dei contemplatione ſic fixa permanſit, ut penitus laceſſi non poſſit! obliviſcebatur ſuî, cæleſtium allectus dulcedine.) Ita Laurentius Juſtinianus.

*B. Laurent. Iuſt. ſer. de S. Ste. h.*

Ingenioſus aliquis eleganti metaphorâ cælum portui, mundum pelago, Stephanum nauclero, & quotquot in mundo hoc tribulatos, per mare navigantibus comparavit, ſic metricè alludendo.

*Qual' huom' non uſo in mare:*
*Se turbato mareggia*
*Schermo contro la nauſca altro non have:*
*Più ſicuro, è più fide*
*Che volger gl' occhi in ver' la terre allido.*
*Talmentre in mar' del proprio ſanguine ondeggia.*
*Stefano ſanto & agitato ſtaſſi.*
*Fra tempeſta di ſaſſi,*
*A la riva del ciel volge la viſta,*
*Quindi conforto infra tormenti acquiſta.*

*Ioann. Bapt. Mar.*

At verò ſi vel ſola cæli viſio tantum pariat gaudium, quid ergo futurum ſit, cùm jam facie ad faciem intueri Deum poterit Proto martyr, qui pro ejus amore tam atroces cruciatus fuerit paſſus? Apis induſtriam ſcitè quidam olim expreſſit, cùm in emblemate exhibuit petra onuſtam, ne à vento deturbaretur, adjectâ epigraphe *Labore laborem fero.* Stephanus noſter verè apis myſtica, optatam maximè & expeditam in cœpto itinere ſecuritatem intendens (ſecuritatem dico, quia, ut bene monet S. Hieronymus. *Non eſt certa & ſecura victoria, ſed ſemper in periculo ſumus.*) ne vento hoſtilis perſecu-

*D. Hier. in Pſ. 86.*

ſecutionis ad odii aut vindictæ ſtimulos depelleretur, apum more ſubſidium quæſivit à petra, fixis in illam oculis, de quâ dictum eſt: *Petra, autem erat Chriſtus.* *Vidit Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Venerabilis Bedæ profero verba: *Ad confortandum ergo beati Martyris patientiam, cæleſtis regni janua panditur, & ne innoxius homo lapidatus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet coronatus in cælo.* Conformiter S. Proclus loquitur: *O Stephane! in me cruci affixum oculos conjiciens, congreſſum audacter aggredere.* Et D. Auguſtinus, quaſi præſens in certamine adſtet, Proto Martyrem ſic hortatur: *Attende Chriſtum redemptorem animæ tuæ, medicum ægritudinis tuæ, qui ideò pati voluit, ut tibi patientiæ ſuæ monſtraret exemplum.* Alio iterùm loco: *Eja membrum Chriſti, eja Athleta Chriſti! aſpice illum qui pro te pependit in ligno; crucifigebatur ille, tu lapidaris.* O quàm felix viſio, quæ ſic dolores mitigat, & amaritudinem indulcorat! Fortunatiſſima foret anima illa, ſi cum Stephano Dominum ſemel videat. Quidquid in hoc mundo acerbum accideret, dulciſſimum experiretur, ſi amore ejus conſtanter ferat.

*1. Cor. 10.*

*Ven. Beda tract. de S. Stephano.*

*D. Proclus.*

*S. Aug. ſerm. 7. de S. Stepano.*

*Idem in Milleloq.*

*Si quanta æternæ ſunt vitæ præmia, volvis,*
*Omnia pro Chriſto perpetiere libens.*

*Ovenus.*

Antequam ad alteram diſcurſûs mei partem ingrediar, caſu ſequenti jam dicta concludo. Audiviſtis, opinor, de Adoleſcente illo, qui ſpreto ſæculo eremiticam diſciplinam S. Patris Auguſtini votis omnibus ambiebat cùm ætate floreret & opibus. Monaſterium ingreſſus, mortificatione continuâ per menſes aliquot ſeſe exercuit: ſed exinde Aſcetam deterrere paulatim cœpit tenuis victus cultuſque, ciborum cruditas atque vitæ nimia auſteritas: quapropter menſæ patriæ dapes exquiſitas mente revolvens, ad vitam illam laxiorem & liberiorem redire deliberavit. Itaque nondum expleto probationis tempore, cùm ſui juris adhuc eſſet, voluptatibus ſæculi allectus à cella abducitur, ut ad ædes patrias reverteretur. Chriſtus Salvator, qui ſemper adeſt periclitantibus in via & larvæ infernalis dolos prodit, Aſcetæ fugitivo occurrit, ut ad meliorem mentem reducat: *Et ecce ſe obvium fert vir quidam ſpectatiſſimâ ſpecie, formâ auguſtiori quàm humanâ.* Quid te, obſecro, movet, mi fili, inquit, ut clauſtrum hoc deſeras, à meritorum fonte declines, & theſaurum animæ contemnas? An non ergo advertis quod tibi à fuga imminet grave periculum? ſi te à clauſtro hoc ſubducis, in æternæ damnationis diſcrimen adducis: ar ſteritas vitæ abſterret? annè fortaſſis monaſtica diſciplina tædium generat, aut panis nigredo, paupertas menſæ, & obſoniorum inſipiditas nauſeam parit? (Quod ſi cùm accumbis, ſalſamenta deſideras, feci ego ea tibi atque attuli: Accipe (& aperit plagam, quæ veſte latebat) hanc, inquit, habe, & hic cibaria merge. Hoc ſalſamenti genus, delicate puer, Apoſtolus prandia condivit, hoc ſatis amicis meis fecit eſſe grata jejunia, Martyribus ferrum, ignes, mortes dulces reddidit. (Hoc ipſum condimentum Stephano aſperitatem lapidum mitigavit. Ipſum ore proprio teſtantem audite: *Video Ieſum ſl.ntem. Et lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

*Ægid. Cat. Viturb. tr. de Cong. illi.*

*Idem ubi ſuprà.*

Scire vos, credo, ſi quæ animos oblectant, dulciter illa ad quietem & ſomnum invitant. Quis igitur lapides Stephano dulces fuiſſe neget, quandoquidem illorum impulſu ceu totidem citharæ ſonoræ ictibus placidiſſimè ſomno ſe dedit? *Et cum hæc dixiſſet, obdormivit in Domino. Felix ſomnus cum requie,* (Beatus Petrus Damianus exclamat) *requies cum voluptate, voluptas cum ſecuritate, ſecuritas cum æternitate.* Sed cùm quietis hic ſit locus, ne raucedine vocis perturbem, gratiori vos ſono provocate; eleemoſynæ citharam ſumite, manu charitatis eam contingite, argenti aurique fides extendendo.

*B. Petr. Damian. ſerm. 62.*

## PARS SECUNDA.

*Act. 6.*

MEtamorphoſis eſt inſolita, quam videre in perſona Stephani dabatur, cùm lapidum impetu opprimeretur, *intuebatur vultum ejus quaſi vultum Angeli.* Quanta hæc mutatio, vultum hominis converti in ſimilitudinem Angeli! Noteti s & animadvertatis velim, pleroſque viros mixtim ac mulieres Hieroſolymis ad fidem eſſe converſos Apoſtolorum prædicatione: utque mulieres in iſta ſententia perſeverarent, ſelecti ſunt ab Apoſtolis viri ſeptem probi, qui illis præeſſent, & ad conſtantiam animarent. Viduas Stephanus curæ habuit, atque inter illas tanta ſanctitate & puritate enituit, ut non modò opere, ſed etiam cogitatione caſtiſſimus haberetur. *In hoc quod præpoſitus eſt fœminis* (ait S. Auguſtinus) *teſtimonium meruit ynceriſſimæ caſtitatis.* Quia verò juxta illud Apoſtolorũ, *vivere in carne ſine carne Angelicum eſt,* videri potuit eſſe

*Haymon lib. 2. de rerum mem. c. 1.*

*S. Aug. ſerm. 5. de S. Stephan.*

Angelus inter viduas. Si igitur verum hoc, homines plerumque mori, qualiter vixerint, conſequenter fatendum eſt, S. Stephanum inſtar Angeli obiiſſe. *Intuebantur vultum ejus quaſi vultum Angeli.* Ut proinde bene de eo dixerit B. Laurentius Juſtinianus (Angeli meritò ſpeciem portendebat in facie, qui illorum puritatem geſtabat in corde)

*B. Laur. Iuſtin. ſer. de S. Stephan.*

Aliud jam dubium incidit, neque minùs difficile; quam ob cauſam permiſerit Deus, ut Stephanus in flore juventutis moreretur antequam ad Sacerdotalem dignitatem eſſet promotus. Ex annalium monumentis eruitur, Romæ olim id more receptum; (Romani adoleſcentes magnæ indolis, primæ languinis barbam Diis conſecrare uſurparunt.] Sic à Nerone, Suetonio & aliis factum legimus, S. M. Eccleſia cum jam ſatis ætatis & roboris haberet, ſic ut *porta inferi non prævaleret adverſus eam*, Stephanum obtulit, & velut frugum horti ſui primitias conſecravit: *Qui in numero Martyrum inventus eſt primus.*

*Alexand. ab Alex. l. 5. Gen. c. 8.*

*Matt. 16.*

Priſcorum ævo ſolebant viri emeriti benefactorum natalem diem quotannis agere, uti Plinius & alii teſtantur. Silius Italicus Virgilii natalitia celebravit; ſic Horarius & Tibullus Mecœnatum, quibus ſe obſtrictos eſſe putabant, S. Eccleſia Chriſti Servatoris natalem diem ſolemniter celebrare geſtiens, utpotè cui infinitis beneficiis obligatam ſe clamat, ex Athletis fortiſſimum unum ac generoſiſſimum elegit, ut invicto animo glorioſum non modò hominibus, ſed & cæleſti curiæ ſpectaculum daret. *Apertum namque eſt cælum* (quaſi in curioſitate Cæleſtes forent) *ut Rex gloriæ & tota caleſtis curia videret militem legitimè certantem.*

*Plin. l. 18. cap. 8. Alex. ab Alex. gen. c. 22.*

*Var. l. de num. plin. l. 3. ep. ad Canin. Horat. l. 4. Od. 11. Diſcip. ſer. 7. de S. Stephano.*

S. Auguſtinus exiſtimat Stephanum ætate florente mortem obiiſſe, ut eſſet reliquis Martyribus gloriæ mortis initium & patientiæ exemplum, ſicque nominis Stephani ſignificatio ſortiretur effectum. *Quia norma factus eſt fidelium populorum: Hebraicè enim norma Stephanus interpretatur: qui enim primus fuit in numero Martyrum, formam fidelibus præbuit moriendi.* Hæc S. Auguſtinus: & alibi ſic proſequitur: *Qui erat inferior ordine, primus factus eſt paſſione: & qui erat diſcipulus gradu, magiſter cœpit eſſe Martyrio.*

*S. Aug. ſer. 4. de S. Steph.*

*Idem ſer. 5.*

Legi ſcriptum eſſe, elephantes viſo ſanguine reddi intrepidos & ferociores, unde cum vellet Antiochus armis Judam Machabæum impetere, triginta duos elephantes ad conflictum expediebat, *quibus oſtendit ſanguinem uvæ & mori ad acuendos eos in prælium.* Ad excitandos & acuendos militum Chriſtianorum animos fuſo ſanguine, S. Stephanus, ut reliquis generoſior, ob oculos ponitur.

*Marc. Fer. diſc. 2. ſer. 5. in Par.*

*Guil. Pariſ. ſer. 4. Dom. 2. Quadrag.*

Cervis hoc naturaliter inſitum, ubi flumina tranſmittunt, ne in periculum ſubmerſionis incurrant, fortiorem unum promittunt, quem ſingulatim cæteri, alter innixus alteri ſubſequuntur. Hunc Sancti ordinem obſervarunt: cum Martyrii periculoſum mare pertranſirent, Stephanum præmiſerunt, ut de hoc mundo ad cæli portum iter tutum præpararet. (Tranſvadandum erat procelloſum illud Martyrii mare, ut in beatas & fortunatas Inſulas ita aditus daretur: & ecce Stephanus, qui inſtar generoſi cervi, plenus gratiâ & fortitudine, primus in hunc Oceanum ſe conjicit, primus ſuppliciorum tormentorumque undas ingreditur; huic Jacobus innititur, Jacobo Bartholomæus huic Petrus & Paulus; atque ita Stephano agmen ducente, & aquarum impetus retundente, omnes Martyrum manipuli rubrum illud mare tranſibunt, terramque beatitudinis tandem obtinebunt.)

*Plin. ...*
*Petr. Bleſ. ſer. de S. Stephano.*
*Boſſuet ubi ſupra.*

Niſi hic ego ſim, quod commune fert dictum, Graculus inter Muſas, ex propria etiam opinione aſſererem hanc eſſe cauſam, cur in tam juvenili ætate vitam Stephanus accelerato Martyrio finiverit: Angelorum illud conſilium fuit & pium ſtratagema. Dicite mihi verum: Nunquid in Paradiſo ceſſaret Sanctorum gloria, ſi tres Perſonæ Divinæ non illic adeſſent? Quis dubitet? ubi enim adeſt Sanctiſſima Perſonarum Trinitas, nec non Divinæ Eſſentiæ unitas, ibi cælum & ibi ſolùm reperitur ineffabilis Beatorum gloria. Perſonæ Divinæ pro cælo delegerant Stephanum, & jam de facto Spiritus ſanctus inhabitabat: *Stephanus plenus Spiritu ſancto.* Filius viæ ſe dabat, quia pro curru, fortitudinem & gratiam diſpoſuerat: *Plenus gratia & fortitudine*, ut cælo jam aperto egrederetur: *Video cælos apertos & Ieſum ſtantem.* Quomodo? Angeli loquebantur: *Opera ad extra ſunt indiviſa:* ergo recedet etiam Pater, & nos hic remanebimus ſine gloria? Non ita fiat ſed cum nolint Perſonæ Divinæ abeſſe à Stephano, ipſemet terram relinquat, & tranſmiſſo fuſi ſui ſanguinis mari, ad nos feliciter properet, ut ſic Deo ſit, Stephano, atque etiam nobis Angelis ſatisfactum, & delectet omnes. Quia itaque Stephanus ad Martyriũ primus reliquos omnes fuſo ſanguine animavit, ideò præcipuum illi honorem S. Eccleſia exhiberi voluit, cum & Proto-martyris eum

*Actor. 6.*

titulo

B. Petr. Damian. ſerm. 57.

titulo & laureolâ decoravit. B. Petri Damiani audite ſententiam : *Tunc S. Stephanus, utpotè primipilus Chriſtianæ militiæ & ſignifer Imperatoris æterni, congregavit cuneos bellatorum & telis aggreſſus eſt armare virtutem, exhortans atque ſuadens, ut peritura terrenæ felicitatis lucra contemnerent.*

Netamen (NN.) diſcurſum hunc meum ſine fructu feratis, horror vos omnes & ſuadeo ut ſanctum Proto-martyrem ſpeciali cultu honoretis & ametis, pro certo id à me retinentes, obſequium illud fore utiliſſimum : quantumvis enim maximi eſſetis peccatores, quos unquam terra ſuſtinuit, malâ morte non peribitis, ſed, favente Dei gratiâ & Sancti Stephani patrocinantibus meritis, ſalutem conſequemini.

Gen. 39.

Noluit reaſſumere Joſeph veſtem illam, quam mulier impudica tactu contaminaverat, veritus ne libidinis immiſſum virus longiùs ſerperet. Lætabatur Saulus aſſervare Stephani veſtes, ſperabat enim ex iis odorem bonum & virtutem ſanctitatis concipere, & vel ſolo contactu ſanctificare, & de Saulo in Paulum transformari. *Deponuntur veſtimenta Martyris ad pedes perſecutoris, qui ad tactum ſacrarum veſtium lapidandi, fuerat convertendus.* Sub pedibus tenebat, non contemptum, ſed pro gradu iis utebatur ad gloriam.

B. Petr. Damian. ſerm. de S. Steph. & D. Bern.

Fabulentur modò Poëtæ, Herculem oſtenſis ſolum leonis exuviis Pygmæos ſibi infeſtos in fugam convertiſſe fingant; pro vero tamen tenendum, exuviis Stephani è corde Sauli gigantum exercitum fugari, malignas illas cogitationes odii, quo Chriſtianos omnes feriſſimè perſequebatur, veſte Proto-martyris extingui, & armatam paſſionum phalangem ſuperari Quid ergò de illis dicam, non qui ſe veſtimento, ſed cultûs ejus & protectionis ſcuto muniunt?

S. Auguſt. lib 1. de Civit. Dei Diez. ſer. de S. Steph. Diſci. ſer. de S. Steph.

Factum mirabile, credendum tamen, quia à S. Auguſtino aſſertum & aliis Authoribus fide dignis. Homo paganus in articulo mortis à circumſtantibus ad deteſtandum errorem, & ad fidem Catholicam amplectendam ſeriò monebatur, ne alioquin ad æterna tormenta condemnaretur. Nec quidquam proderant preces hominum & blanda verba; ut ſcopulus ille reſtitit, nec tot alliſionibus poterat commoveri. Huic filia erat Chriſtiana, pia valdè, timens Deum, & cultui Sancti Proto-martyris ſingulariter addicta. Illa ad templum fide plena refugit & ex altari D. Stephani flores, ad ornatum expoſitos, accepit, domum contulit & ſubter patris moribundi cervical ſecretò locavit. Obdormit paganus; ſed multò manè experrectus vociferari non deſtitit : *Advocate Epiſcopum : Chriſtianus ſum, ut ſic moriar, profeſſus Chriſti fidem.* Epiſcopus comparet, ægrum baptizat, qui ex illa hora compunctus ac pœnitens, continuò in has S. Stephani erupit voces; *Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum*, atque ita ſanctè vitam finivit. S. Thomæ à Villa Nova accipite verba : *Filia ex altari hujus ſancti Martyris ſumptos flores, & in manipulos colligatos ad caput ipſius nocte poſuit; qui evigilans clamare cœpit, ut Epiſcopum ad vocarent. Vocatus eſt ergo Presbyter, baptizatus ſtatim fidem profeſſus eſt, & confeſſionem peccatorum cum lachrymis & gemitibus adhibuit, & ab illa hora uſque ad mortem clamare non deſtitit : Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum.* At quis tam facilè ex lupo agnum, ex corvo cignum reddidit, aut quomodò tam ſubito ab æterna damnatione fit liber? Stephani hæc meritis omninò adſcribere par eſt, nec non virtuti florum, quos piâ fide puella ſuppoſuerat; ut quid enim hæc Stephani verba in ore haberet, *Domine Ieſu accipe ſpiritum meum*; cùm hæc à Stephano dicta, à nemine didiciſſet? Imitemur id hodie, eoque ad cultum Sancti Protomartyris incitemur, ut cordis nobis mollitiem impetret & ad pœnitentiam veram moveat, qui paganum ab inferni faucibus liberavit.

S. Thom. à Vill. N. ſer. de S. Stephano.

* * *

IN FESTO
# S. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

## ARGUMENTUM.

Non eſt facile, quantus ſit Joannes, exprimere. Certè, quos utiliſſimos toti Eccleſiæ produxit fructus, ejus excellentiæ nobis deprædicant gradus. Privilegio amoris præ Sanctis omnibus à Chriſto diligitur, qui eximiis virtutibus emicat laureatus.

## THEMA.

*Hic eſt diſcipulus ille, qui privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari* S. M. Eccleſia in Divino Officio.

APem videamus verno tempore ad ortum auroræ provocante aurâ, favente Zephyro, evolantem ad viridaria variis ornata floribus; à ſingulis quidem allicitur, ut foliis oblatis inſideat & odore ſatietur, ſed priùs circumcirca volitat, donec florem unum repererit, in quo collectim habeat & ſuavem odorem, & vivum colorem, quos non niſi in aliis diſperſos antea viderat. Ibi tum hæret fixo pede, aliſque impenſis, gratiſſimum inde liquorem exſugit. Apem imitari nunc liceat, & propitiante Spiritus ſancti aurâ, alis intellectus in S. Eccleſiæ hortum hoc manè pergere. O quàm ibi multi, & quam pulchri flores invitant, ut iis firmato diſcurſus mei pede inhæream; alliciunt, ut alas conſiderationis impendam, & materiam copioſiſſimam offerunt, ex qua ſelectorum conceptuum mel ſuaviſſimum conficiam: Hic contemplor in fœno & palea florum omnium principem è ſolo Nazareno mirè prodeuntem, cunctiſque arridentem. Ibi in lapidibus, quaſi in ſpinis roſam pullulantem intueor, cujus rubor non Veneri, ſed ipſi Deo conſecratur, cùm proprio ſanguine S. Stephanus formoſiſſimè coloratur. Illic tot video pallentes humi violas, quot ab impiiſſimo Herode mactatos pueros, vixdum à matribus genitos, æternæ vitæ lego conſecratos.

Apertè tamen & ingenuè ut fatear (N N. flores video quaquaverſum, rariſſimos quidem ac formoſiſſimos, ſed præ cæteris arridet candidiſſimũ lilium Virginis, Apoſtoli atque Evangeliſtæ; huc rapior, neque poſſum ſatis mirari, quot huic uni dotes, quot gratias & privilegia Deus liberaliſſimus contulit, & præ reliquis ſingulariter decoravit. *Qui privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari.* Sequar ergo monitum dicentis: *Vade ad apem & diſce, quam operaria ſit.* Mentem meam indico: *Ex omnibus floribus orbis, elegi mihi lilium.* Sanctum inquam Joannem Apoſtolum in hoc meo diſcurſu præ cæteris efferre intendo, cujus equidem virginalem caſtitatem ſi inſpiciamus, ſupra virgines eſt; ſi doctrinam ac ſapientiam benè perpendimus, inter Evangeliſtas & Doctores hic unicus excellit; ſi gratias & favores illi collatos putamus. Apoſtolis excelſior apparet; ſi in adverſis conſtantiam & martyrii deſideriũ in eo conſideremus, præ Martyribus palmã ultrò concedimus. (Cæteris altiùs à Domino meruit honorari, *Ianſenius interpretatur his verbis:* Cæterùm cũ omnes ſuos diligeret Dominus, Joannem tamen eximiè, & ſingulariter ei familiaritatis & dilectionis exhibuit ſigna:) Quare *cæteris altius*? Auguſtinus reſpondet? *Tranſcendit omnes campos, aeris omnes altitudines, ſyderum omnes choros & legiones Angelorum.* Et S. Thomas à Villa Nova ſubjungit: *Revelavit illi ſecreta perſona, ſecreta regni, ſecreta domûs; in illo namq; ecſtatico ſomno, quando ſupra pectus ejus in cœna recubuit, mira de illius Divinitate ſecreta cognovit, & arcana ſui cordis aperuit.* Sic inde concludit: *Omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias & honores, quos per alios domûs ſuæ famulos & officiales ſparſim diviſit, in hoc uno pleniùs acervavit.*

*Corn. Ianſ. in concord. Evang. c. 132.*

*S. Auguſt. tract. 1. in Ioann.*

*B Thom à Villa Nova in ſerm. S. Ioanne Evangel. Idem ubi ſupra.*

Apem ergo imitaturus, ad lilium nive candidius me converto & inhærebo, vos interea animis benignis aſpirate & magno ſilentio audite.

## PARS PRIMA.

*Hic eſt diſcipulus ille, qui &c.* Lilium eximio candore in hortis naſcitur, ex vili ceſpite pulchrum ac odoriferum germen. Creſcit proximum ſpinis neque læditur; in luto, nec fœdatur: vixdum pullulat, & floret; in frondibus ſigna pacis,

in

in foliis titulos innocentiæ præfert: pallidum eſt, ſed ſerenum, & colore placet; in altum ſurgit, & ſex velut aureis linguis multum diſcurſum proponit: in humido ſinu odores concipit, quos emittat: à lunæ influentiis nutritur, & ſuſtentatur. Quid plura? inter herbas omnes eminet, eſtque florum cœterorum princeps, cui proinde coronam regiam debeant omnes, & odoris tributum.

*S. Auguſt. ſerm. 1. de Aſſ. B. V. M.*

Lilium Virginitatis eſſe ſymbolum, prædicat S. Auguſtinus; diſcurrentem audite: *Poteſt lilii nomine unaquæque Virgo ſignificari. Lilium ſiquidem flores reliquos candore nimii nitoris præcellit, & odoris jucunditate præpollet. Vnde ſatis congruè Virgineo aſſimilatur decori: iſte namque flos altius à quâ ortus ex tellure ſuſtollitur, & reportandus ad æthera totus aperitur. A foris quoque nimiis candidus, intus vero rutilo flammeſcit aſpectu, habens præterea quaſi quendam permanentem in medio floſculum.* Et quiſnam, obſecro, in lilio decor eſt, aut venuſtas, quæ in Virginitate non etiam reſplendeat? S. Auguſtinus ita proſequitur: *Sic nimirum Virginitas ab infimis aſcendens, ad ea, quæ ſuprema ſunt, ambit. Candeſcit exterius munditia Virgineæ carnis, flammeſcit interius amore germine charitatis, flagrat paſſim odore bonæ opinionis, extollitur ad ſublimia intentione continua cordis. Sed hoc pretioſum germinis lilium inter ſpinas invenitur, ut noverint venerandæ Virgines, & hominum ſe debere tolerare moleſtias, inter quos degunt, & punctionum tentamenta malignorum fortiter exſuperare ſpirituum, ut per hoc à Domino amicæ inter filias vocari mereantur.*

*Idem ubi ſupra, & in milleloq. verbo Virginitas.*

Lilium fuit candidiſſimum in horto vitæ hujus ratione puritatis Virginalis dilectus Chriſti Diſcipulus Joannes Evangeliſta: folia candida ſunt caſtæ ejus cogitationes, odorem ſpirat ſanctitatis eximiæ, nec niſi rore Divinæ gratiæ vivit & ſuſtentatur, Solis juſtitiæ calore fovetur: ex infimo humilitatis gradu ad meritorum celſitudinem creſcit & extollitur, ſenſim aculeis & ſpinis expoſitus, puritatis candorem non contaminat: deſideria ejus cælica linguæ aureæ denotant, & doctrinam ejus maximam argenteæ frondes: rex eſt, cùm aberrantibus paſſionibus imperat, & ſceptro continentiæ, ſtimulos carnis & appetituum motus coërcet. Lilium hoc omnes, quotquot in horto Eccleſiæ flores, pulchritudine vincens, liberaliùs à Deo dotatum eſt cæli theſauris & præ cæteris liliis Virgineis decoratum.

Singularis is Virginibus ſacris à Chriſto favor eſt, Sponſi cœleſtis vocari ſponſas aſſimilatione, ita ut ex illa ſimilitudine præ cæteris omnibus creaturis magis participent, quàm Deus in prima hominis formatione animabus impreſſit. Animadverſio hæc Guilielmi Pariſienſis, ubi ait: (Fons ſignatus ſigillo Virginitatis perpetuæ habente imaginem Sponſi cæleſtis, ex impreſſione annuli ejus.) A Joanne Climaco Virginitas *ſimilitudo Dei* vocatur. Nec minùs eam D. Baſilius laudat; *Virginitas hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit.* Jure & merito, ſi ita eſt, (quod aſſerit Romanæ facundiæ Princeps) (nil amabilius nec copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum: in quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædē voluntates, in iis ut æquè quiſque altero delectetur ac ſeipſo) Ea etiam eſt Poëtæ opinio, ex æqualitate exercitiorum gigni affectuum ſympathiā.

*Guil. Pariſ. in c. 4. Cant.*

*Joann. Clim. tract. 1.*

*D. Baſil de vera Virg.*

*Cicero l. 1. Offic.*

*Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem*
*Rectorem dubiæ navita puppis amat.*

Econtrà verò ex operationum diſſimilitudine, inclinationum diverſitas & affectuum oriri ſolet. *Diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias.* Ita Cicero. Unde cum haberet Joannes ſympathiam cum Filio Dei in Virginitate, habebat etiam in inclinationibus & affectibus tantam ſimilitudinem, ut vix unus ab altero diſcerni benè potuiſſet.

*Cicero de amicitia.*

Nec exiſtimetis (NN.) caſu & ſine myſterio ab Eccleſia factum, tribus his natalitiorum diebus Solemnitatem S. Stephani mediam eſſe inter illas Chriſti & D. Joannis. Putaret ex improviſo aliquis, Eccleſiam in diſpoſitione hac aberraſſe: ſicut enim primo die ordinârat feſtivitatem Chriſti, utpote digniſſimi, ſic debitum videbatur, ſubſequi immediatè feſtum S. Joannis, quandoquidem Apoſtolus ipſe Epiſcopus, Evangeliſta, Doctor, Virgo Martyr &c. ac per conſequens Stephano dignior. Contrà tamen fecit, Stephanum immediatè poſt Chriſtum, atque ita inter eum & Joannem ponendo medium inter lapides. Ad myſterii hujus intelligentiam faciet hiſtoria, quam Herodoto aſcribunt. Ariſtodemo Lacedæmoniorum Regi duo filii erant gemini ab eadem matre Vaſra uno partu, iique in ſtatura, animorū inclinatione & veſtitu tam ſibi invicem ſimiles, ut unus ab altero diſtinctus agnoſci non poſſet. Caſu ſemel evenit patrem Ariſtodemum de ſeriis agere cum uno fratrum, ratus cum altero loqui, ad quem magis illa ſpectabant. Videns autem ſe deluſum, in futurum cautum volens (Veniant (inquit) lapides, ſimilitudinem dividant & viſûs objecta demonſtrent.) Ex lapidibus deinceps ſciam, cuinam ex filiis loquar. Certè non facilè quis mihi explicet, ut credam, quales fuerint iſti

*Herodot. Halicar. Paneg. 3. de Max. apud Guil. Plat.*

lapides, ubi applicati, & quomodo diſtinctivi unius ab altero. *Sic* putem ego (ſalvo tamen meliori cujuſque judicio) in duobus annulis ex auro, inſertos duos ſpecie & colore diverſos lapides, rubentem carbunculum ſcilicet, & viridem ſmaragdum, ut ex diverſitate gemmarum, pater filium unum ab altero dignoſcere poſſet. Eô ab Eccleſia intentum arbitror. Virginitas ſimillimos reddidit Chriſtum & Joannem; ne ergò vulgus erraret in perſonis, S. Stephanum cum lapidibus medium collocavit, quaſi cum Ariſtodemo vellet: (Veniant lapides pretioſi Stephani, ſimilitudinem dividant, & viſus objecta demonſtrent:) Joannes etenim præ cæteris Virginibus (Mariam Virginum Reginam ſemper excipio) *eſt ſignatus ſigillo Virginitatis perpetuæ, quoniam Virgo in ævum permanſit, & habet imaginem Sponſi cœleſtis.*

*Martial. lib. 3. Laur. Zamor. in Monar. miſt. p. 1. l. 3. diſ. 61. § 5.*

Martialis refert, piſces olim à Phidia tam vivis depictos coloribus, ut vivere dixiſſet quiſquis in aqua vidiſſet. (Artis Phidiacæ Tereuma clarum piſces aſpicis, adde aquam, natabunt) Apelles Alexandrum penicillo tam induſtriè expreſſit, ut nil niſi ſpiritus ab originali vivo diſtinguere poſſet. O, quis vidiſſet Joannem, ipſummet eſſe Chriſtum credidiſſet, ſi vel ipſe ſpiritus non defuiſſet! Cedant hic manus Phidiæ, cedant Apellæi colores penicillo Divinæ gratiæ; ſic enim Joannem accuratè delineavit, ut neque ſpiritus ipſe deeſſet; & originale vivum crederetur, non ſolùm quia à Chriſto unicè amabatur, *Quem diligebat Ieſus & anima Chriſti magis erat in Ioanne, ubi amabat, quam ubi animabat*, ſed quia effectivè eundem illi ſpiritum dedit: quando namque oriens vitæ jam ad mortis declinaverat occaſum, *inclinato capite* (S. Scriptura habet) *emiſit Spiritum*. Ut quid emiſſurus Spiritum caput inclinat? Ideò, ni fallor, quia ad pedem crucis Joannem videbat, cui caput inclinavit, ut in deceſſu, Spiritum daret, in amoris pignus, ut neque perfecta ſimilitudo neque ipſemet Spiritus deeſſet. Hoc poſt reſurrectionem Apoſtolis ſignificare intendit; ubi ait: *Ecce puer meus electus, poſui ſuper eum Spiritum meum.*

*S. Aug. & Dionyſ. Areopag.*

*Eccleſia in Feſto S. Ioan. Evang.*

Objici ſolum hic poſſit, in eo fuiſſe diſſimiles, quòd Joannes ſimpliciter eſſet viator, at Chriſtus ſimul & ſemel viator & comprehenſor. Sed neque difficile erit, etiam in hoc adferre ſimilitudinem. Cur arbitramini, S. Joannem in juvenili ætate depingi quaſi octodecim aut viginti annorum, cum tamen nonagenario eſſet major? vixeritque (ut cenſent aliqui) centum annos & quatuor; nec enim ulli Apoſtolorum in tam provecta ætate mori contigit? Eandem alii de Angelis movent difficultatem, & meritò: cùm à millenis jam annis creati ſint, videri tamen poſſint eò magis rejuveneſcere, quò diutius vixerint. Ad propoſitam quæſtionem reſpondet S. Dionyſius Areopagita, & rationem hanc à priori allegat: quia ſcil. in cœlo cum ſint, viſione beatifica perfruuntur, quòd proprium comprehenſorum eſt. *Pubeſcentem & iuvenilem ætatem virtutis conſtantiæ ſempiternam vigentem ſignificari arbitramur.* Eadem dari poſſit pro S. Joanne ratio (ſi ita piè loqui, permittatur) ideò juvenem depingi, quaſi in hoc cum comprehenſoribus ſit particeps, ut pariter in eo ſimilis Chriſto demonſtraretur.

*Dionyſ. Areopag.*

Meo tamen judicio, dici poſſit velut alter Chriſtus, ſub propriis Joannis accidentibus ſacramentatus. In Euchariſtia aliud videmus, aliud credimus: videmus accidentia panis, ibi autem adeſſe credimus non ſubſtantiam panis, ſed verum corpus & ſanguinem D. N. Jeſu Chriſti. Neque probatione hic opus, ut Chriſtiani hoc fide teneamus, veriùs & certiùs quàm Solem ſplendere aut ignem calefacere. *Ex vi enim verborum Sacramentalium tranſſubſtantiatur panis in Corpus, & vinum in Sanguinem.* Unde qui Apoſtolum hunc glorioſum vidiſſet, ex accidentibus illicò Joannem filium Zebedæi, & fratrem eſſe Jacobi agnoviſſet: potius tamen credere debuiſſet alterum Chriſtum ſacramentatum *ex vi illorum verborum*, quæ dixit in cruce Chriſtus: *Mulier, ecce Filius tuus*: quæ à multis ſacris Scriptoribus hoc ſenſu exponuntur, ut æqualis fuerint virtutis ac efficaciæ, & eundem produxerint effectum, quem illa, quæ in ultima cœna proferebat, *Hoc eſt Corpus meum*, His autem inerat virtus tranſſubſtantiandi panem in ipſum Chriſti corpus, conſequenter etiam illis; *Mulier ecce filius tuus*, inerit vis ſi non tranſſubſtantiandi, ſaltem quantùm ad ſimilitudinem, in Dei filium incarnatum & Virginis Mariæ, Joannem transformandi. Probat id clariſſimè his verbis Cardinalis B. Petrus Damianus. *Sicut enim dixit Apoſtolis: Hoc eſt Corpus meum: ita dixit Matri: Hic eſt filius tuus: & ſicut illis verbis factum fuit Dominicum Corpus, ita ex quadam ſimilitudine Ioannes Evangeliſta, non ſolum filius Virginis conſecratus eſt; ſed apud beatam Virginem quoddam Sacramentum meruit obtinere.* Et S. Thomas à Villa Nova rem noſtram confirmat hoc modo: *Neque putemus vacua illa Salvatoris verba fuiſſe: neque*

*Ioan. 19. B. Petr. Damian. S. Thom à Villa Nov. in fer. de S. Ioan. Luc. 22.*

*B. Petr. Damian.*

*neque enim defuere viri pii & docti, qui aſſererent, non ſola æſtimatione humana filium reputari potiùs, quàm eſſe, quales lex & adoptio ſolet filios procreare; ſed eum qui verbo ſuo cuncta creavit de nihilo, potuiſſe* (ajunt) *filium facere de non filio: quod ſi potuit, & fecit: non enim dixit: Habeto eam in Matrem, ſed aſſertivè, Ecce mater tua. Atque ita, ſicut dicendo, Hoc eſt Corpus meum, verum corpus ſuum fecit in azymo, ſic etiam dicendo, Hic eſt filius tuus, amore filium fecit ex cognato; non tamen naturâ, ſed gratiâ. Conveniebat enim, ut, qui per charitatem ei erat aſſimilis, & per dilectionem mutuam erat alter ipſe, in ipſius ſubſtitueretur locum.*

In Divinitate inſuper Joannes Chriſto ſimilis videbatur, & poterat ex actionibus ſatis colligi, plus aliquid Divinum quam humanum in ſe habere. Cœca Gentilitas Diis comparare ſolebat, quos integerrimæ & incorruptæ eſſe vitæ advertebat, ut dicat Cicero: *Hæc qui facit, non ego eum ſummis viris comparem, ſed ſimillimum Deo judico.* Si ita hodiè inter Catholicos conferre fas eſt; quis Sanctorum omnium Deo ſimilior Joanne cenſeatur?

*Cicero pro Marcell.*

Indocti aliqui ac imperiti homines ratione talis ſimilitudinis, pro Deo Sanctum illum adoraſſent, ſi non à Divina providentia præcautum fuiſſet. Quomodò hoc ita factum, audiamus. Mirum valdè eſt reperiri cæterorum Apoſtolorum reliquias, & non Joannis; ſed nec fieri de hujus Sancti Apoſtoli reliquiis mentionem. Scio pleroſque Scriptores piè aſſerere, Joannem in Paradiſo terreſtri cum ſanctiſſimo Propheta Elia & Enoch vitam protrahere: ſed eò nemini datur acceſſus. Aliorum Apoſtolorum corpora ſumma cum reverentia à fidelibus extolluntur, *cultu hyperduliæ* honorantur & implorantur: ſolius ergò Joannis ſacrum Corpus manebit inhonoratum & inglorium? Id pro certo habetur, *Quid de ejus ſacratiſſimo corpore ſit, neſcitur.* Scribit S. Thomas à Villa Nova, multos ad Sepulchrum Apoſtoli veniſſe, ut debito cultu venerarentur corpus, ſi repertum fuiſſet, ſed *accurrentes* (ait) *ad tumulum, nihil ibidem invenerunt: de Apoſtolo autem quid factum ſit, omnino neſcitur.* S. P. Auguſtini teſtimonium addo: *Clauſis tumuli foribus, gratiâ reſurrectionis ablatum eſt, ut conſtaret ſepultura, nec inveniretur ſepultus. Denique cum ſacerdotes, honorandi causâ, corpus inquirerent, reſerato aditu, tumulus non potuit reddere, quem ſuſcepit.* Mirabile factum, ſed non ſine profundo myſterio à Deo præordinatum.

*Diez. ſer. 3. de S. Ioan.*
*S. Thom. à Villa Nov. de S. Ioan.*
*S. Aug. in Milleloq. verbo Ioan.*

Moritur Moyſes, & ne populo Iſraëlitico innoteſcat locus ſepulchri ejus, Deus ipſe corpus defuncti ſepelire dignatur. (Mortuus eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab jubente Domino, & ſepelivit eum in valle terræ Moab, contra Phogor, & non cognovit homo ſepulchrum ejus.) Quorſum hæc celatio tumuli & occultatio corporis famuli Dei Moyſis? Et quamvis magna cum cura & diligentia Iſraëlitæ ſæpius perquiſiverint (teſtatur Oleaſter) *nemo potuit poſtea invenire*, ut miratus ille ipſe doctiſſimus Author Deum ipſum, interroget: (Quare, Domine, non vis homines Servi tui mauſolæum agnoſcere, neque locum ſcire, quo eum recondiſti?) Hæc eſt ratio: Moyſes fuit tam probatæ virtutis & ſanctæ vitæ, ut teſtimonium de eo ferat populus Iſrael: *Non invenit ultra prophetam in Iſrael ſicut Moyſes.* Tantæ erat apud homines illos probitatis & authoritatis, ut ſi corpus ejus reperiſſent, *cultu latriæ*, uti Deum ipſum adoraſſent. Quapropter ut ſic abuſus ille evitaretur, (ſepelivit eum Dominus, & non cognovit homo ſepulchrum ejus. Sunt enim qui dicunt (*verbis utor Oleaſtri*) Dominum ſervi ſui ſepulchrum abſcondiſſe, ne Judæi illi Divinos honores exhiberent.)

*Deut. 34.*
*In cap. 34. Deuter.*
*Deut. 34.*
*Alphonſ. Mend. q. 5. de vemor. apparit.*
*Oleaſter ibid.*

Sed quid Moyſi cum Joanne? Quid ſanctitati ejus cum bonitate illius? Noctem diei comparem, tenebras luci, aut cœlo formicam. Ad rem propoſitam veniamus: Deus ergo, ut errorem impediret, quem fortè commiſſuri eſſent ſimplices & plebeii homines, Joannem adorando, Deum ipſum putantes, corpus Apoſtoli abſcondi voluit, ne facilè inveniretur. O Lilium inter flores candore nimio eminentiſſimum! O Joannes Sanctorum omnium excellentiſſime! O Virgo reliquis Virginibus ornatior, ſingulariter privilegiate & ſponſo tuo cœleſti ſimillime! *Qui privilegio amoris præcipui, cæteris altius à Domino meruit honorari.*

Non virginali puritate tantùm; ſed & doctrinâ & ſapientiâ ſupra Apoſtolos & Evangeliſtas enituit, inter quos collocatur, pro inſigni habens aquilam, quæ regina eſt avium & cæteris altius ad aſtra volitans, inconvenientibus oculis Solem contemplatur. Deinde inter Theologos antomaſtice Theologus intitulatur. (Sic Joannes doctrinâ ſuâ cæteros Evangeliſtas & Theologos antecedit, ideoque Theologus dictus ſpecialiter fuit.) Sedulius inter Evangeliſtas extollit, cum ita canit:

*Labata c. 3. de S. Ioan.*

*Sedul. apud Zachar. Episc. Tom. 12. Biblioth. vet. PP.*

*Hoc Matthæus agens, hominem generaliter implet.*
*Marcus ut alta fremit vox per deſerta Leonis:*
*Iura Sacerdotis Lucas tenet ore juvencos.*
*More volans aquila verbo petit aſtra Ioannes.*

Pyrrhus rex olim in bello gerendo feliciſſimus, quia ſæpiſſimè ab hoſtibus victoriã reportabat, milites illi gratulabantur, eumq; generoſum dicebant inſtar aquilæ per univerſum orbem efferri, & ſupra bellatores omnes deprædicari: quibus ipſe reſponſum hoc dedit: (Si ego in altum tollor & velut aquila volo, vos alæ fuiſtis, ô milites mei, quibus ad ſublimia ducor) Idipſum de S. M. Eccleſia aſſeri poſſit, aquilam eſſe *magnarum alarum*, remigio univerſum mundum peragrare; volare inquam in ſublime, ſed non niſi alis magnæ aquilæ noſtræ S. Joannis: (Si Eccleſia volat, alis aquilæ magnæ Joannis ſcil. volat ſapientiâ, Epiſtolis, Evangelio, ſanctitate.

*Labata ubi ſupra.*
*Ezech. 17.*
*Labata ibid.*

*Plin. l 10. cap. 3.*

De aquilæ pennis ſcribit Plinius, ſi aliarum avium pennis permiſceantur, illas conſumunt. Id ſapientiæ maximè aquilæ noſtræ Joannis bene congruit. Virga Aarc n adjuncta virgis ſapientum Ægypti, illas ſtatim abſumpſit. *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Talis omninò Sapientia noſtri Sancti, tales pennæ noſtræ aquilæ, quæ pennas Sapientum, imò inſipientum mundi (hæreticorum, dico) qui ſapientes in oculis ſibi videbantur, facillimè devoravit. (Scripſit enim Evangelium contra Ebionem & Cherinthum hæreticos, qui Divinitatem Chriſti negabant, affirmantes Chriſtum ante Mariam Matrem ſuam minimè extitiſſe; hos inquam, doctrinâ Evangelii ſui, miraculis & prodigiis confirmatâ, facilè ſuperavit & devoravit; ſic pennæ aquilæ noſtræ pennas hæreticorum devorarunt.

*Exod. 7.*
*Labat. ubi ſupra.*

Non modò aſſeram, doctrinam ſancti hujus Apoſtoli à ſcriptoribus ſacris maximè probari ac laudibus extolli, ut meritò conſenſerit Auguſtinus. *Cæteri Evangeliſtæ tamquam cum homine Domino in terra ambulabant, de Divinitate ejus pauca dixerunt: iſte autem, quaſi piguerit in terra ambulare, erexit ſe non ſolum ſuper terram, ſed ſuper omnem ambitum aeris & cæli, & ſuper omnes etiam exercitus Angelorum, omnemque conſtitutionem inviſibilium poteſtatum, & pervenit ad eum, per quem facta ſunt omnia.* Quinimò Gentiles ipſi acclamant & applaudunt, teſtante coronâ Patrum Baſilii, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, Euſebii, Cæſarienſis &c. S. P. Auguſtinus particulariter aſſeverat legiſſe in libris Platonis expreſſa hæc in laudem Evangeliſtæ noſtri verba: *Principium Evangelii ſancti Ioannis dignum eſſe quod litteris aureis in januis omnium Divinorum librorum inſcriberetur, ubi omnes illud legere, eoque uti poſſent.* Quanta ergo fuerit excellentia Sapientiæ ejus, non ſolum ex Sanctorum encomiis, verum etiam ex Gentilium Sapientum ſententia colligi poteſt.

*In Ioan. ſerm. 34.*
*Apud Lab. t. 3. de S. Ioan.*

Fons in Bœotia eſt non procul ab Helicone monte, quem Poëtæ à Cadmo inventum, Muſis ſacrum, & factum ungulâ Pegaſi equi alati fabulantur, & inde ei nomen Hippocrene aut Aganippe De quo locutus eſt Propertius:

*Aganippæa ludere docta lyra.*

Mentionem etiam facit Ovidius in Faſtis, ubi ſic canit:

*Dicite quæ fontes Aganippidos Hippocrenes*
*Grata Meduſæi ſigna tenetis equi.*

*Ovid. 5. Faſt.*

Et in Metamorphoſi iterum memorat.

*Fama novi fontis noſtras pervenit ad aures,*
*Diva Meduſæi quem præpotis ungula rupit.*

*Idem 5. Metam.*

Huc Poëtas omnes convenire fingunt, & quemlibet pro ingenii capacitate de fonte illo aquas haurire. Solus Homerus, qui in arte poëticâ ſibi parem non habebat (ut de eo referat Cicero, Græciæ urbes præcipuas certatim ſibi vendicaſſe conterminum;) Homerum (inquit) Colophonii civem eſſe dicunt ſuum: Chii ſuum vendicant: Salamanii repetunt: Smyrnæi vero ſuum eſſe confirmant; itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt: multi alii prætereà pugnant inter ſe, atque contendunt.) Caſtalium liquorem ſine menſura bibere ex ipſo fonte poterat: ex quo ſe poëtarum omnium eſſe præſtantiſſimum commonſtrabat. Doctorum Eccleſiæ & ſacrorum Scriptorum ſinguli hauſerunt Sapientiæ aquas ex fonte qui Chriſtus eſt. *De plenitudine ejus omnes accepimus*, quilibet tamen in menſura & pro capacitate. *Dividens ſingulis prout vult:* ſiquidem *alii datur ſermo Sapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii fides, alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum*; at verò ſanctus Joannes ſine menſura atque ex ipſo æternæ Sapientiæ fonte in ultima cœna ad libitum bibit. Novus hic Homerus inter Doctores omnes *fluenta Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit.* Et ita Doctorum omnium ſapientiſſimum ac excellentiſſimum toti ſe mundo comprobavit. *Cæteris altius à Domino meruit honorari.* Teſtis hic nobis eſt S. Thomas Valentianus Archiepiſcopus, cum de eo dicit: *Neque*

*Cicero pro Arch.*
*Ioan.*
*1. Cor. 12.*
*Serm. de S. Ioan.*

*fonte*

*fonte labra proluit Caballino; neque in bicipiti ſomniavit Parnaſſo, ut ſic repente Propheta prodiret: ſed ſancti Evangelii ſecreta de ſacro Dominici pectoris fonte potavit.* S. Auguſtinus his verbis ſubſcribit:

*In milleloq. ver. Ioan.*

*Ioannes qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, & cœleſtis hauſtum ſapientiæ, cæteris excellentius de ipſo Dominici pectoris fonte potavit.* Nunquid pro archivio erat Joannes, in quò à Chriſto repoſita abditiſſima Sacratiſſimæ Divinitatis Myſteria? Plus dicit B. Petrus Damianus:

*Serm de S. Ioan.*

*Hoc Divinæ Sapientiæ ſale ita omnis beati Ioannis doctrina videtur reſperſa; ut meritò dicatur os Dei, lingua Spiritus ſancti, logotheca Divinitatis:*

Sanctus Joannes reliquis Evangeliſtis dignior eſt, & ex viſione illa Ezechielis clarè monſtratur. Deſcribit hic Propheta quadrigam illam Myſterioſam quatuor animalium, per quæ non obſcurè quatuor Evangeliſtæ repræſentantur. Unum illorum quatuor animalium habebat faciem hominis, & ecce Matthæus; aliud Leonis, ecce Marcus: tertium bovis; ecce Lucas: quartum denique aquilæ, & ecce Joannes exhibetur.

*Ezech. 1.*

Duo ad dextram ſtabant. *Facies hominis & facies leonis à dextris ipſorum quatuor:* Bos ad ſiniſtram erat. *Et facies bovis à ſiniſtris ipſorum quatuor.* Videamus quis Aquilæ Joannis ſit locus: *Et facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Omnibus ſuperior Aquila. Quis verò neſciat (NN.) ex dignitate loci ſubintelligi nobilitatem locati, adeò ut quanto quis ſitu loci excelſior, tanto dignitate & honore eminentior cenſeatur. Joannes ergo Aquilam pro ſymbolo tenens, altitudine Sapientiæ

*In c. 1. Ezech.*

Doctores reliquos antecedit. Sancti Pontificis Gregorii hæc ſunt verba: (Locus Aquilæ non juxta, ſed deſuper deſcribitur; quia Joannes, Verbum Patris dum apud Patrem eſſe denunciat, ſuper cæteros Evangeliſtas virtute contemplationis excelluit.)

De virtute & meritis ſancti Joannis tanta & tam præclara judicia fecerunt Apoſtoli, ut illi ſoli immortalitatem adſcriberent. *Soſpecharon que*

*Joan. 21.*

*Iuan avia de ſer immortal* Magiſtrum idcircò interrogant: *Domine, Hic autem quid?* De immortalitate autem Joannis intellexiſſe, ex ſubſequentibus verbis fit manifeſtum: *Et non dixit Je-*

*Ibidem.*

*ſus: Non moritur; ſed, Sic eum volo manere donec veniam.* Credebant ergo Joannem non moriturum, ac per conſequens ſine fine victurum. Non ſcio tamen, ex quo immortalitatem iſtam conjiciant.

*Lab. t. 3. de S. Joan.*

O quàm prudenter ab Apoſtolis judicatum! (Olim apud Gentiles; cum hominem aliquem excellenti animo & magis pollentem virtutibus, & donis præclaris exornatum videbant; immortalem illum faciebant, dignum ſcilicet qui numquam morti ſubjaceret) Apoſtoli tanti præ cæteris Doctoribus, Joannem æſtimabant, ut immortalitate dignum reputarent; & ſic tacitè virtute atque integritate eximium proclamarunt. (Diſcipuli quidem Chriſti) Scriptor idem

*Idem ubi ſupra.*

proſequitur (talem ac tantam S. Joannis conceperant opinionem, ut ſi non per naturam, per gratiam eum immortalem cenſerent.) ſic ut bene de eo canat S. Mater Eccleſia: *Qui privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari.*

Joannem immortalitate præ cæteris dignum forte opinantur, quia anteactis temporibus immortales, ſaltem in mentibus poſterorum, fiebant illi, qui egregium aliquid à ſe primò inventum, in lucem produxiſſent, prout fecit Cleantes, qui primus hominum invenit picturam. Dipelus ſculpturam, Epimetheus ſtatuam, Chalibes ferrum, Vulcanus fulmen, Prœtus clypeum, Ætolus jaculum, Thyrrenus tubam, Pan fiſtulam, Amphion muſicam, Terpander citharam, Jaſon navim, Tergillus quadrigam, Thraſon muros urbium, Berillus taurum æneum, Ægineta nummum, Fulvius Hirpinus vivaria, Phryges acupicturam, Craſſus coronas argenteas, Cyclopes turrim, Sidonius menſuras & pondera, Anaximander horologium, Achates ignem ex ſilice, Zoroaſtres artem magicam, Apollo medicinam, Ægyptii Geometriam, &c. at Joannes noſter immortalitatis coronâ meruit decorari, eò quod primus fuerit inventor non rerum terreſtrium, ſed cœleſtium, cùm in recondito Sanctiſſimæ Trinitatis Archivio æternam repererit Sapientiam, eamque mundo ſub nomine Verbi manifeſtârit, inſtruens omnes homines dicendo: *In principio erat Verbum.* Obſervatio hæc

*Joan. 1.*
*In c. 1. Joan.*

eſt Sanct. Joannis Chryſoſtomi. *Verùm quonam pacto, nullâ habitâ Patris mentione, de Filio ſermonem aggreditur? Quia omnibus, Patrem eſſe conſtabat, ſaltem ut Deum, Unigenitus autem ignorabatur. Quarè haud immerito ad ejus cognitionem à principio ſtatim feſtinavit, ut neſcientibus eum oſtenderet;* Sic ut audiens Petrus Salvatorem dicentem: *Tu me ſequere:* (id eſt,

*Joan. 21.*

Tu me ſequêris cum reliquis ad mortem) ſtatim de Joanne ſubinterrogavit: *Hic autem quid?* Quomodo? Joannes ergo, ſemperne vivet? Fortè ſolus ipſe erit immortalis? Magnus ſanè is favor, ſed meritò Joanni præ cæteris eſt conceſſus.

ceſſus. *Qui privilegio amoris præcipui, cæteris altius à Domino meruit honorari.* *[Orat. de confeſſ. ſac.]* Idcircò fortaſſis S. Martyr Hippolytus Joannem mortuum non eſſe, ſed ad Paradiſum terreſtrem cum Sanctiſſimo Propheta Elia & Enoch aſſumptum, opinatur.

Verumtamen Privilegium hoc Joanni maximum, præ cætc.is Apoſtolis à Chriſto fuiſſe tenerrimo affectu dilectum, & pro ſanctitate præcipuo in honore habitum, ut jure poſſit & meritò per excellentiam inter omnes ipſe ſanctus vocari, Angelicus Doctor differentiam allegat inter Divinum amorem & humanum; amor enim humanus (ait) *[D Th. 1. p. q. 23. art. 4.]* bonitatem præſupponit, quâ ad amandum moveatur; Divinus autem non ſupponit in nobis bonitatem aliquam, ſed illo ipſo inſtanti, quo ad nos amandum movetur, bonitatem in nobis ponit; ſic ut nos aliquem amemus, quia bonus eſt; ſed nos boni ſumus, quia Deus amat. Amoris ergo noſtri cauſa movens eſt bonitas, ſed bonitatis noſtræ cauſa eſt amor Dei, quo nos amat. Ex hac Theologia concluditur, amorem Dei eſſe bonitatis noſtræ & ſanctitatis menſuram: quantò enim magis amor Dei erga nos intenditur, tantò magis creſcit in nobis bonitas ac ſanctitas. Si velimus ſcire quanta ſit Joannis ſanctitas, videamus quàm ſingulari amore eum Filius Dei prædilexit. Si antonomaſticè Chriſti Dilectus nominari dignus ſit. *Diſcipulus quem diligebat Ieſus*; conſequenter igitur per excellentiam & antonomaſiam Sanctus poſſit vocari inter omnes Sanctos, ſic ut Apoſtolorum nemo parem ſanctitatis gradum ſortiri credatur. *Cæteris altius meruit honorari.* Conceptum hunc noſtrum B. Petrus Damianus apertiſſimè exprimit: *[De laud. S. Ioan. Evang.]* *Ad tantum ſcilicet gratiæ provectus eſt privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non deniq; quiſquam ab ipſo mundi primordio cognoſcatur in carne poſitus adſpiraſſe.*

Quam rara itaque ſit & eximia S. Apoſtoli hujus ſanctitas, ſatis ex amore Salvatoris in illum intelligitur, cùm fuerit præ reliquis ſummè dilectus. Princeps ſit, qui duo fieri curet horologia, majus unum pro univerſali curia, quod ſigno campanæ appenſæ ab omnibus audiatur: alterum minus, ex auro puriſſimo; minus, inquam, mole, ſed tamen iiſdem omnibus rotulis & cæteris ad id pertinentibus curioſius instructum: hoc in ſinu ſuo ut quid chariſſimum portat, & in proprium uſum ſolicitè ſervat. Apoſtolos omnes quaſi horologium majus Deus communi totius mundi bono conſtituit, ſic ut ubique terrarum ſonus audiatur. *In omnem terram exivit ſonus eorum: Ite in univerſum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* *[Mart. 16.]* Confecit præterea horologium, minus quantitate molis, attamen pretio maximum, ex puriſſimo ſanctitatis auro, tot conſtans rotulis quot Joannes enituit virtutibus & perfectionibus: fuitque horologium hoc Chriſto adeò charum, ut ſibi ſoli reſervarit & ipſemet ad collum geſtarit, quando *recubuit in cœna ſuper pectus ejus.* Vos Diſcipuli mei horologium eſtis, ad totius mundi directionem; at verò Joannes meum erit horologium, & ſemper in ſinu meo conferam. *[Ioan. 21.]* Et ubi Chriſtus reperiebatur, & non Joannes? *Ioannes juxta ipſum recumbebat,* (inquit S. Thomas à Villa Nova) *[Serm. de S. Ioan.]* *hic ipſum comitabatur quacunque ibat.* Horologium hoc Divinitatem declaravit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* *[Ioan. 1.]* Incarnationem ſignificavit: *Et Verbum caro factum eſt.* Horam diei ſextam indicavit, quando ſcilicet pro ſalute mundi Chriſtus laſſabatur. *Hora erat quaſi ſexta. Fatigatus ex itinere.* *[Ioan. 4.]* Ultimam vitæ Redemptoris noſtri horam inſinuavit. *Sciens Ieſus quia venit hora ejus, ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem.* Horam denique extremi judicii oſtendit. *[Ioan. 13.]* *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei.* O cælicum horologium unigenito Dei Filio reſervatum! Scriptoris moderni addo verba, ut prædicta confirmem: (Congregatio Sanctorum velut horologium quoddam *[Lab. t. 3. de S. Ioan. Evang.]* cæleſte eſt, ad enarrandam gloriam Dei; Joannes autem Evangeliſta horologium minus; ſed in quo ea continentur, quæ in magno: hoc autem condidit Deus pro ſinu ſuo: in ſinu enim erat, quando ſonuit hora ejus, ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem; & ſicut hujuſmodi horologium aureum ſolet eſſe; nam ad ſinum Principis tale decet id eſſe; ſicut autem fuit Joannes, charitatis ſcilicet auro reſplendens.)

Petrus ductus cupiditate ſciendi, quid tandem de Joanne futurum ſit, confidenter Magiſtrum interrogat, utpotè cui ſoli optimè credebat notum. Audite quibus utatur verbis: *Domine: Hic autem quid?* edic, obſecro, quid hîc fiet? *Hic?* fatearis, Petre, verum. An forte ignoras nomen hujus, de quo interrogas? una eſt equidem ex ovibus tuis: quod ſi neſcis, ſine magna id culpa negligentiæ fieri non poteſt. Paſtor es ovium; muneris tui eſt, nedum omnes noſcere, ſed ſingulas gregis tui, diſtincto nomine poſſe compellare. Myſterii plena eſt (NN.) hæc Petri locutio:

cutio: qua propter alium S. Scripturæ locum ag gredior ut ſic facilius Myſterium prætactum ape- riam.

Cùm in deſerto cernerent filii Iſrael à cœlo delapſum manna, admiratione maximâ cibi de- licioſiſſimi obſtupefacti, ſuſpicere & muſſitare non ceſſabant, eratque hæc una omnium vox, *Manhu!* Quid eſt hoc? omne in ſe delectamen- tum habet. Carnem quis apetit? carnes hoc ſapit. Si quis comedere panem deſiderat, in hoc panem guſtabit: ſi omnis generis fructus, omnem in hoc ſaporem percipiet: ſi quis ex apperitu depravato fortaſſis cepas & allia velit, in hoc guſtui etiam ſatis factum eſſe probabit. *Omnis Saporis ſuavi- tatem ex eo experti fuerunt* & quia nomine pro- prio hoc cum mirandis ſuis omnibus proprietati- bus exprimere non poterant, toti attoniti dice- bant; *Manhu! Quid eſt hoc!* ignorabant quid hoc eſſet, q.d. Si demus nomen panis, non ſufficit; ha- bet enim prætereà ſaporem carnis: ſi carnem vo- cemus, neque hoc ſatis, cùm habeat & guſtum fructus: & ſic de cæteris comeſtibilibus diſcurri poſſit.

Hanc reor fuiſſe Petri mentem: Joannes, quicquid perfectionis aut prærogativarum ima- ginabile, in ſe continet, adeoque nomen dignum haud reperio, quo virtutes tot heroicas plenè ex- plicem. (Cum Joannes omnis admirationis cau- ſam in ſe compl-ctatur, meritò vocari poteſt no- men ejus, Hic autem quid?) Quàm benè de S. Joanne dixit Archiepiſcopus Valentiæ: *Omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias & hono- res, quos per alios domûs ſuæ famulos, & officiales ſparſim diviſit, in hoc uno pleniùs accumulavit. Hic Apoſtolus, Propheta, Evangeliſta, Martyr, Confeſſor, Virgo, Doctor, Cognatus, Amicus. Si quid aliud in Eccleſia dignitatis & gratiæ eſt, to- tum perfectiſſimè poſſidet; omni honore & dignitate in domo Dei ſublimatus eſt; omni gratiâ & virtute decoratus. Quod ſi aliorum quilibet uno ſolo titulo in Eccleſia Dei præclarus & magnus eſt; quid de iſto dicendum eſt, qui ſimul omnibus pollet?* Credi- derim ego Petrum hæſiſſe confuſum, quia odoris fragrantiam ac ſanctitatis virtutem lilii hujus ſpecioſiſſimi non valebat exprimere.

*Lab. to. 3. de S. Ioan. Evang. S. Thom à Villa Nov. ser de S. Ioan. Evang.*

Aut certè meliùs intelligamus, *Hic autem quid?* Ariſtoteles (uti refert Petrus Crinitus) ſepulchro Platonis magiſtri ſui ſic inſcribi cu- ravit: *Hic eſt ille, quem probi omnes, &c.* Cur ſcri- pſit *Hic?* Rhetorem poſuiſſet, aut Philoſo- phum ſapientiſſimum: nil ſimile: ſed pronomi- ne *Hic* inſinuare voluit, non ſuppetere nomen, virtutis ejus omniſque perfectionis expreſſivum. *Hic dixit, ut pronomine illo omnia ejus nomina honorabilia includeret.* Eodem loquendi modo uſus eſt Petrus, q. d. Si Apoſtolum nominem, id non eſt ſatis, quia etiam Evangeliſta. Si Evange- liſtæ titulo nuncupem, minus dico, quia & Do- ctor eſt. Si ut Doctorem honorem, nondum ſa- tisfacio, cùm ſit inſuper frater cognatus Chriſti: ſed neque tunc ſatis laudavero: eſt enim Filius adoptivus Beatiſſimæ Mariæ Virginis. Nec aliud ſupereſt, quàm ut ſtupentes eum appellemus voce admirationis *Hic.* Vel potiùs inſcientiam noſtram ultrò fateamur, & defectu facundiæ im- potes reddi ad laudes hujus Apoſtoli digno en- comio perſtringendas. *Hic autem quid?* Aſſumit hujus ævi ſcriptor. (Eodem ſtylo uſus beatus Pe- trus, ſic Joannem extollere voluit, dicens: *Hic autem quid?* q.d. Hic Apoſtolus ſublimis: Hic Aquila magnarum alarum: Hic tonitrui filius: Hic is, qui ſupra pectus Domini in cœna recu- buit: Diſcipulus ille quem diligebat Jeſus, &c. Totum hoc videtur importare emphaticum pronomen Hic.) Nec iſto loquendi modo uti- mur, niſi cùm de Joannis dignitate atque excel- lentia occurrit agendum: is enim ſolus eſt, *qui Privilegium amoris præcipui cæteris altiùs à Domi- no meruit honorari.*

*Textor in Offic.*

*Lab. t. 3. de S. Ioan. Evang.*

De Timotheo Plutarchus commemorat, ab Alexandro Magno ſingulari affectu fuiſſe dile- ctum, adeò ut nunquam illi occurreret, quin oblato beneficio ſubditum ornaret. Cùm au- tem ſemel Timothei cubiculum ingreſſus, dor- mientem inveniſſet, catenam auream collo in- jecit. Viderunt Aulici, & hoc ipſo favores Ti- motheo ab Alexandro collatos ſcito emblema- te expreſſerunt. Dormientem ad litus maris in navi depinxerunt, manu retia contrahentem gravida necdum gemmarum conchyliis ac co- raliorum ramis, ſed etiam ſceptrum & corona de cœlo illabentia apparebant, additâ hac epigra- phe; *Quid expergefactus?* Hoc indicare volebant, quanto favore Timotheum Rex proſequere- tur, cùm etiam dormienti, præ cæteris Aulicis, benefacientem comperiſſent. Joannes noſter dormiens *ſupra pectus Domini in cœna recubuit,* maximis à Chriſto privilegiis inſignitur atque aureâ, non catena, ſed ſapientiâ decoratur, ar- cana cœli ſecretiſſima imbibendo. *In illo namque ecſtatico ſomno, quando ſupra pectus ejus in cœna recubuit, mira de illius Divinitate ſecreta cogno- vit.* An non jure meritoque cum Aulicis hic Apoſtoli dicant. Si tot ac tanta novus hic Timo-

*Plutarch. & Suidas.*

*S. Thom. à Villa Nova.*

theus ab Alexandro cœleſti beneficia dormiens accepit, *Quid expergafactus!* *Vide* (ait ſæpè jam citatus Author] *an id cæteri aſſecuti fuerint, quod noſter piſcator ſanctus, dormiens ſupra pectus Domini, fuit aſſecutus. Mas ſupo Ivan durmiendo en una hora, que todos los ſabios vellando ſobre los libros todo ſu vida Cæteris altius: &c.*

Dubium equidem manet (mi Pater) & clariori expoſitione eſt opus. Nunquid ergo S. Petrus ante Apoſtolos reliquos in amore & favore primus & chariſſimus, adeoque etiam Joanne dilectior? Chriſtus Salvator Petrum Collegii Apoſtolici Caput conſtituit, ſui gregis Paſtorem, totius mundi Pontificem, S. Eccleſiæ Sponſum, cæli terræque ſupremum Dominum, quantum denique Pontificia dignitas ab Epiſcopali diſcrepat, tantò Petrus Joanne eſt major. Ad libram accedamus, & in unam lancem, quidquid gratiarum Petrus cum dignitate pontificia accepit, imponamus; in alteram Joannis favores, cùm à Virgine Maria in Filium adoptivum eſt aſſumptus, dicente Chriſto: *Mulier ecce filius tuus* deinde Diſcipulo: *Ecce Mater tua.* Intereà dilucidâ ſimilitudine nodum ſolvere conabor. Epiſcopus aliquis duo Eccleſiaſtica beneficia ſervat, quæ in Religioſos duos benè meritos conferat, ut ſic obſequia fideliter impenſa, compenſet. Beneficium unum bis mille coronatis facilè conſtiterit; ſed habet annexam animarum curam, ita ut beneficiati reſidentiam & aſſiſtentiam continuam requirat, tempus prandii ſit aut nocturnæ quietis; pluvium aut ſerenum, egredi ilicò cogitur, quoties ad munia peragenda vocatur. Beneficio dives eſt, fateor, ſed non ita felix & quietus, quin potiùs miſer & ſolicitudinum plenus. Quid ergo, ſi beneficii emolumentis fruitur? certè bolus eſt bis mille amaritudinibus conditus. Alterum mille tantum coronatorum, ſed abſque animarum cura eſt, abſque faſtidio aut anxia ſolicitudine pacificè poſſidetur: verbo dictum: bolus eſt ſummâ refertus dulcedine, ſummeque gratus. Dicite modò (NN) Quis duorum iſtorum plus favoris à Prælato accepit, primus, an ſecundus? Eligerem ego cum ſecundo potiùs, eſſeque ſine faſtidio ac ſolicitudine, quàm cum primo in maximis aſſiduiſque curis verſari. Duo beneficia Chriſtus habuit diſtribuenda, Eccleſiam putâ, & Mariam: Eccleſiæ annexa eſt animarum cura, mille inquietudines, & onera graviſſima: Maria verò beneficium ſimplex ſine moleſtiis, ſine animi angore. Eccleſia Petro datur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ecce beneficium Eccleſiaſticum; ſed *Paſce oves meas.* Ecce annexas curas. Alterum ſimplex & beneficium ſine cura, ſine ullo onere Joanni confertur: *Ecce Mater tua.* Bilancem denuò jam videatis (NN.) utriuſque dignitatem ac favores expendite, judices eſtis: Uter duorum beneficiatorum putandus ſit fortunatior? Tibi ſit Eccleſia, Petre, & tua ſemper manere poſſit; neque invidiam timeas aut ullius offenſionem; Joannes Mariam retinere deſiderat, ſeque illo pontificatu verè beatum ac ſummè contentum liberè confiteatur. Aliorum hic conferre judicia lubet. Arnoldus Carnotenſis ita decidit: (Petro commendatur Eccleſia, tibi Maria: illi tumultuoſa negotia, tibi pacifica: illi atria, & veſtibulum, & altaria ſanguinum; tibi commendatur altare incenſi & Sancta Sanctorum. Ad culmen myſterii tui nullus tecum admittitur.) Nec minus eleganter S. Thomas à Villa Nova concludit: *Pendebat in cruce moriturus; aderat ibi Dilectus, quid ſibi allegaretur expectans. Quid tibi, dilecte, legabo? Quid in ultimis dabo tibi? Ecce Mater tua: Hæc omnium, quæ poſſideo, chariſſima & pretioſiſſima gemma: hanc dono. O magnum dilectionis indicium! ſuo loco apud Matrem ſubſtituit eum, & pro ſe in Filium Virgini reliquit eum: huic gratiæ quid amplius addi poteſt?* Beneficium ſanè maximum, cui nil ſolicitudinis, nil planè incommodi poterat unquam eſſe annexum. *Iam ex hoc intelligere licebit, quantæ felicitatis & gloriæ fuerit, tot annos cum Virgine commorari: eam ſicut filius, alloqui, ejus decore, præſentia & jucundo colloquio tam familiariter frui, ejus magiſterio imbui, ejus exemplo & moribus inſtrui.*

Ioann. 19.

Matth. 10.

Apud Andr. Pint. Ramirez. Antolog. 4. §. 3. n. 235.

Ser. de S. Io. Evang.

Sed nec ſilentio prætereundum, quod gratiæ beneficiique causâ Joanni etiam conceſſum. Hic Apoſtolus noſter pro clypeo fuit Chriſto Domino: propugnator ſtrenuus, & conſolator intimus uſque ad mortem fideliter permanſit. Triſtabatur Salvator & proditionem Judæ præmeditans, gemens ait: *Vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Clypeum Joannis ſtatim oppoſuit, ut doloris retunderet ictus, dicens: *Domine quis eſt qui tradet te?* q. d. Sciam, obſecro, Domine: quiſnam tam impius & ſceleſtus, ut nefandum hoc auſit: Ecce ego ad nutum tuum ero, tuebor & defendam. (Recubuit ſupra pectus Domini, quaſi clypeus, quem ſupra cor applicuerat Jeſus, ut eo retunderet peſſimum ictum Judæ.]

Ioann 21.

Ibidem.

Labat. t. 3. de laud. S. Ioann. Evang.

Joannes ſemper & ubique Chriſti comes individuus. Cùm ambularet juxta mare Tiberiadis,

Matth. 4.

dis, aderat Joannes: aſcendens ad montem Tha-
Matth.17. bor, Joannem aſſumpſit: ingreſſus in domum
Luc.9. Principis, ut filiam reſuſcitet, teſtem Joannem
Joann.2. adhibuit: iturus ad nuptias in Cana Galileæ, Jo-
Matt.20. annem voluit habere convivam : proficiſcens
Marc.14. Hieroſolymam, ut ſacratiſſimæ paſſioni ini-
Joann.17. tium daret, Joannem adeſſe curavit: in cœnacu-
Joann.19. lo aſſedit Joannes, & inde ad hortum Gethſe
manieſt comitatus, neque uſque ad atrium Pon-
tificis ſequi trepidavit ; denique in cruce pen-
denti adſtitit Joannes, & nunquam à Chriſto
avelli potuit, ſed fideliſſimum ſe comitem pro-
Matth.26. bavit, quanquam cæteri, *relicto eo omnes fuge-*
*runt.* Solus Joannes ſeparari non patiebatur: *A-*
Marc.14. *doleſcens autem quidam ſequebatur eum.* Per a-
doleſcentem eum SS. Patres Joannem intelli-
S.Thom. gunt. Semper itaque Domino adfuit Joannes;
Janſen. ideò fortaſſis, quia ſi Solem eſſe Chriſtum dica-
S.Gregor. mus, fatebitur, *Ego ſum lux mundi :* ſed Joannes
14.moral. numquid umbraculum. Et ut ſic de eo verifica-
c.13. tum *Quo pergis, eodem vergo.* Hinc miles qui-
dam, ut conſtantiam & robur animi indicet, eſ-
ſeque in bello moriendum potiùs, quàm cly-
peum turpiter abjiciendum, ſic breviter inſcul-
pſit: *Aut in hoc, aut cum hoc.* Quid ergo mirum
eſt, Chriſtum habuiſſe Joannem in vita & in
morte comitem? Joannes Chriſti clypeus erat,
Otho Va- ut quaſi diceret Chriſtus: Cum Joanne ſim, aut
nus. potiùs non ſim: cum eo vivere, cum eo mori ve-
lim. *Aut in hoc, aut cum hoc.*

Mos olim Athenienſibus erat & lege firma-
tus, ut in bello clypeum quiſque integrum con-
ſervaret, ſi præmio vel honore affici deſidera-
bat: opprobrio autem maximo vertebatur, cly-
peum è bello fractum, in Patriam referre. Undè
cùm Epaminondas dux inter Athenienſes armis
inclytus in conflictu ab hoſtibus ad mortem gra-
viter eſſet læſus, moribundus hoc ultimum ſol-
licitè interrogavit, ſcutumne integrum adhuc
eſſet. Ubi ſalvum eſſe intellexit, bene eſt, inquit
proferte, ut videam, oſculer & in amplexu lu-
bens immoriar. Ita referunt Valerius Maximus,
& Juſtinus in Annalibus. ( Ut relatus in caſtra
Hiſt.l.6. ſemianimis, vocem ſpiritumque collegit, id u-
num à circumſtantibus requiſivit, num caden-
ti ſibi ſcutum ademiſſet hoſtis. Quot ut ſerva-
tum audivit, allatum voluit, laborem glo-
riæ ſocium oſculatus eſt; atque ita gratulabun-
dus expiravit.] Joannes noſter Chriſti clypeus
& in hoc gloriatus eſt, ut ubique ſalvum eſſe
ſollicitè curârit, imò etiam illæſum ſerva-
rit.

Joannes cum Petro in domum Principis Sa-
cerdotum introivit; Petrus ibi naufragium paſſus
eſt, cùm turpiter negavit; at Joannes nec cecidit,
nec ab hoſtibus læſionem accepit. In Pathmos
inſulam relegatus, integer illic & ſalvus reman-
ſit : in ferventis olei dolium projectus, incolu-
mis exivit: ab infuſo illi veneno Dominus illæ-
ſum præſervavit. Cùm denique foret ad mortem
Filius Dei graviſſimè vulneratus, & jam daturus
ſpiritum, caput dimiſit: *Inclinato capite.* Videre Ioann. 19
adhuc in extremo illo vitæ momento geſtiebat
ſalvusne clypeus ejus Joannes eſſet ; & cùm
eum cruci adſtantem videret illæſum, ſic tacitâ
mente verba ultima concepit: Benè eſt, & ſatis
id mihi, Clypeum cùm video ſalvum, gloria-
bor, & jam lubens morior *Tradidit Spiritum.* Et
quis dubitet, voluiſſe Chriſtum, ( ubi Joannem
clypeum ſuum vidit, exantlatorum laborum
individuum ſocium) Epaminondam hic eſſe Jo-
annem inquam, inclinato capite amanter in-
tueri, expenſis brachiis ſcutum hoc amplecti,
& ante mortem, ultimum adhuc oſculum da-
re. ( Cùm igitur Joannes Evangeliſta clypeus
Chriſti extiterit, conſequens eſt, ut illum in- *Lab.t.3. de*
demnem ſervare curârit, ſicut de facto ſer- *S.Ioann.*
vavit, Clypeus enim Chriſti erat, & ad ejus *Evang.*
ſpectabat honorem, eum conſervare.

O Joannes, lilium verè candidiſſimum!
Quid gratiarum aut gloriæ mirari in aliis poſ-
ſim, in te eminenter totum reperio. Aquila es
meritorum volatu, & prærogativarum alis
ſuper aſtra aſcendens, ſic ut vel oculis eminùs
aſſequi non valeam. Quidquid de tuis dixero
laudibus, minus eſt, & plus expedit, ubi totus
obſtupeſcit mundus, alto potiùs ſilentio vene-
rari.

Ad cælum Empyreum properantem, vos
(NN) oculo admirationis ſequimini : & cùm
ingenii mei acies eò pertingere nunquam poſſet,
diſcurſus mei volatum contraham. Vos interim
mente aſſequi conamini, quò nec arte, nec in-
duſtria, nec linguæ facundiâ ſperem facilè perve-
nire. Hoc modò velim, ut ad gloriam Apoſtoli
noſtri, quem in charitatis operibus hactenus
prædicamus eximium, eleemoſynam ſolito ma-
jorem ſinguli faciatis.

## PARS SECUNDA.

Q*Vi privilegio amoris præcipui cæteris altius à* D.Hier.l.
*Domino meruit honorari.* Privilegio ſupra de Script.
omnes Martyres eſt. Quorundam opinio fert: Eccl.Eu-
Angelum ei diem & horam obitûs indicaſſe, ſeb.l.5.

& morte

*hiſt. Eccl. cap.14. Nicephor. lib. 1.c.35. Epiph. hom.79. Iſidor. l. de vita & obitu Sanct. c.7. Tertull. de an. c.50. de conſen. ſac. apud Laur. Zam. l.3. diſt.20. §. 10.*

& morte jam imminente, Diſcipulos convocaſſe, ultima ſalutis verba dediſſe, hortando omnes & ſingulos, ut in dilectione ſæpiſſimè commendata permanerent, in defenſione Catholicæ fidei conſtanter perſeverarent, eique locum ſepulturæ pararent. Finito ergo diſcurſu, in tumulo diſpoſito collocatus & pallio involutus ſpiritum Deo reddidit ac placidè obdormivit. Ita ſentiunt S. Hieronymus, Euſebius, Nicephorus, Epiphanius, Iſidorus, Tertullianus & alii.

Econtrà tamen ſentit S. Martyr Hippolitus, non eſſe mortuum, ſed, ut tactum ſuprà, ad Paradiſum terreſtrem evectum. Unde Gloſſa ad hæc Chriſti Servatoris verba, *Sic eum volo manere, donec veniam,* ſententiam ſancti Scriptoris probare videtur expreſſis his verbis: *Nolo eum per martyrium conſummare, ſed expectare eum in placidam abſolutionem carnis ſuæ, quando ego veniens recipiam eum in æterna beatitudines.* Ex quibus non obſcurè deducitur ſuperſtitem eſſe Joannem, neque adhuc martyrio finiviſſe vitam. Atq; hinc alia emergit difficultas. Si nõ occubuit hic S. Apoſtolus Martyrio, quomodo ergò dici

*D.Th.p.2. q.124.*

poſſit Martyr? *Mors eſt de ratione Martyrii*, uti Angelicus Doctor affirmat. Hoc Joannis eſt privilegium; ſiquidem cæteri Martyres, ut palmam obtineant Martyrii, vivere deſinant, neceſſe eſt, & morte violentâ extinguantur, at verò Apoſtolus noſter ante mortem, ante Martyrii ultimas pœnas Martyr eſſe meruit, & glorioſo hoc titulo ab ipſomet Salvatore decorari.

*Matth.20.*

Cùm ad Chriſtum acceſſit Zebedæi uxor pro filiis ſupplex, *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Salvator reſpondit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* S. Paginæ expoſitores, per calicem ſignificari martyrium, aſſerunt. Ita Divus Hieronymus: *Calicem in Scripturis Divinis paſſionem intelligimus.* Rupertus Abbas: *Nomine calicis paſſionem voluit ſignificare Martyrii, quâ & ipſum & illos decebat conſummari.* Ad

*Matth.20.*

hunc martyrii calicem bibendum promptiſſimos ſe eſſe reſpondent: *Poſſumus.* Quod Sanctus

*In Catena D. Thom. in Matth.*

Remigius exponit: *At illi jam Martyrii libertatem, conſtantiamque retinebant, bibituros ſe pollicentur.* Atque adeò Chriſtus ſubjunxit: *Calicem quidem meum bibetis.* Pro certo hoc à me retinete; utrique veſtrum corona Martyrii reſervatur.

*In Catena D.Thom.*

Chryſoſtomus ibi: *Dominus autem* (ait) *en prophetat magna bona, id eſt, Martyrio dignos efficiendos. Atque hoc mihi intellectu difficile*, ut dixi: ſi enim ſolum Jacobus Martyrii pœnas luit & moritur, Joannes autem vel adhuc vivit, vel certè morte naturali occubuit, quomodo utrique dictum à Chriſto, *Bibetis?* Dixiſſet, *Vnus veſtrum, id eſt, Iacobus bibet calicem Martyrii.*

*In Catena D.Th. ad litt.*

Dubium hoc etiam S. Hieronymus movit. *Quæritur quomodò calicem Martyrii filii Zebedæi, Iacobus videlicet & Ioannes, biberint, cum Scriptura narret Iacobum tantum Apoſtolum ab Herode capite truncatum, Ioannes autem propriâ morte vitam finierit?* Ex ceremonia Sanctæ matris Eccleſiæ obſcuritas hæc & dubitatio tolli poteſt.

Durandus & Innocentius quærunt, quare ſolemnioribus Feſtis trina fiat incenſatio in Veſperis, Matutinis, ac Laudibus, eaque in tribus altarium diſtinctis locis, in cornu Epiſtolæ, Evangelii & in medio; & ubique tribus vicibus incenſetur in Miſſa ſolemni, ſcilicet in Introitu, in Offertorio, & Elevatione. Petunt igitur cur ter ducatur thuribulum, cur non ſemel, vel quater aut quinies? Non caret myſterio iſta ceremonia: Reſpondent illi per trinam iſtam incenſationem trinam Magdalenæ unctionem repræ-

*Dur. tod. in Rat. Div. offic.*

ſentari. *Quia Magdalena ter Corpori Chriſti unguentum exhibuit.* Miror, Doctores hanc adducere rationem, cùm duabus tantum vicibus Magdalenam unxiſſe Chriſti corpus, conſtet; ſemel in ædibus Simonis Leproſi in Bethania, prout referunt S. Matthæus & S. Marcus in Evangelio; &

*Matth.26. Matth.14. Ioan.12. Corn. Ian. Com. in Concord. Evang. c.109.*

hæc quidem illa ipſa eſt unctio, de qua ſcribit & S. Joannes, ut rectè Janſenius annotavit his verbis: [Jeſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus: fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat. Abſurdum eſt dicere, diverſas fuiſſe unctiones: utraque enim in Bethania circa tempus paſſionis facta eſt à muliere, utraque fit unguento nardi piſtici pretioſi, utraque æſtimatur trecentis denariis, atque indignationem Diſcipulorum in utraque ſecutam. Dominus ſimiliter cohibuit.) Et doctè concludit: (Jam quia Joannes in cœnâ ſua dicit Martham miniſtraſſe, & Lazarum unum fuiſſe ex diſcumbentibus, non conſequitur, hanc cœnam in domo Marthæ & Lazari factam. Ut autem in domo Simonis leproſi Martha miniſtraret & Lazarus accumberet, in cauſa potuerunt eſſe diverſa; nempè vel vicinitas & domorum contiguitas, vel conſanguinitas, vel denique arctiſſima familiaritas, quæ erat inter Diſcipulos Domini credentes in ipſum)

Altera unctio facta eſt in domo Phariſæi, uti in Evangelio S. Lucæ ſcriptum eſt: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabaſtrum unguenti, & unguento ungebat.* Nec iuvenio ſæpius unxiſſe pedes Salvatoris. Quomodò ergo verè Durandus aſſirmet non ſolum bis, ſed ter Corpori Chriſti Magdalenam unguentum exhibuiſſe?

*Luc. 7.*

Dicat fortaſſis aliquis, ſepulto Domino, idque jam tertio factum *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Ieſum* At contrà reponam, non tunc unxiſſe de facto, quia Salvatorem non repererunt, ſed ab Angelo audiunt eſſe reſuſcitatum: *Surrexit: non eſt hic.* Quod autem jam tertiò quidem actualiter non unxerint, non illis animus defuit (quippe quæ celerrimè eo fine advenerant) ſed poteſtas, adeoque cum voluntas pro facto habeatur, cenſeri poſſint effectivè etiam tertiò unxiſſe, non minùs quàm vicibus anteactis, ut benè locutus ſit Durandus. Audite verba, (Quod autem Sacerdos tertiò ſuperducit & circumducit incenſum, deſignat quod Maria Magdalena ter exhibuit unguentum circa Corpus Jeſu tertiò, cum emit aromata, ut veniens ungeret Jeſum jam poſitum in ſepulchro: voluntas enim pro facto reputatur, cùm & per ipſam non ſteterit, quò minùs expleverit quod incepit.)

*Marc. 16.*

*Et Innoc. Papa III. de Myſt. Miſſ. l. 2. c. 16.*

Non aliter Apoſtolus noſter martyrii coronam alacriter quæſivit, dum in ferventis olei ahenum intrepidè proſiliit, ut ſic moriens inter Martyres locum mereretur. Quid ſi non permiſerit Chriſtus, ſed ut ſcutum ſibi chariſſimum præſervârit, nil tamen ex parte Joannis defuerit quò minùs Martyr glorioſus occumberet. An minus idcircò Martyris titulo poſſit condecorari? Abſit, Chriſtum audire videor. Bono ſis animo, mi Joannes, actu quidem Martyr non morieris, uti frater tuus Jacobus; quia tamen ex parte tua nil defecerit, voluntatem compenſabo; non ſecus ac ſi actuali Martyrio fores occiſus; adeoque vos ambo *calicem meum bibetis.* S. Hieronymus apertè conſentit. *Ioannes non defuit Martyrio, ex quo voluntas pro facto accipitur.* S. Thomas à Villa Nova diſertis verbis confirmat: *Non enim Ioannes morti, ſed mors Ioanni defuit in martyrio: Verè, ſicut illi Dominus ante promiſerat, calicem Domini bibit, & ſine morte, Martyrii meritum & gloriam obtinuit, & Martyrum aureolâ in cœlo eſt coronatus.* Michael de Palatio ita proſequitur: (Si Martyrium ſubſecutum non fuit, per Joannem non ſtetit, qui ferventis olei expertus eſt fervores, qui ſatis eſſent ut alii orbarentur halitu; verùm Joanni dilecto, Dei opitulante gratiâ, ceſſerunt. O verè maximum privilegium, ex ſolo voluntatis affectu Martyrem æſtimari!

*Serm. de S. Ioann. Evang.*

Scio non deeſſe, qui ſuſtinent martyrium ſubiiſſe, cum Chriſtum cruci affixum vidit: tum, ſenſiſſe (ajunt) cum Virgine Matre afflictiſſima dolores omnes & cruciatus, quos in ſacratiſſimâ humanitate Redemptor tulit; & hoc majorem Apoſtolo noſtro addit gloriam. (Crucifixus hic fuit ejus gladius, hic eum Martyrem fecit, & idem doloris gladius, qui cor Mariæ transverberavit, ſcilicet Chriſtus in cruce, hic idem Joannem Martyrem fecit. O illuſtre Martyrium, quem Chriſti dolores Martyrem effecerunt! Verè calicem Chriſti bibit Joannes, dum Chriſti paſſione ipſe torquetur.]

*Oſorius in Feſto S. Ioann. Evang.*

Ecce ergò Joannes favoribus cœli dives & privilegiis excellens. Felicem ſe duxit Abraham, cùm à Domino nomen ejus adjectâ littera illuſtrabatur. *Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, ſed apellaberis Abraham.* Pro ſummo hoc beneficio & honore habuit, & in grati animi ſignum, curvatis humiliter genibus gratias retulit. *Cecidit Abraham in faciem ſuam, tanquam tantum onus ferre non poſſet.* Tantam ego gloriam, Deus bone! non mereor, pudore ſuffundor, & quid unquam in vita retribuam, neſcio. Quid hoc? tantinè putanda eſt adjecta litera? (Abraham inter alia beneficia, quæ illi conferenda recenſet, hoc præcipuè dedit, ut Abraham vocaretur, unâ litterâ nomini adjectâ ab unius litteræ additione tanto gravetur pondere Abram, Abraham factus.) Joannem intueor, potiori jure quàm Abraham, reclinantem in cœna, & pectori Dominico incumbentem. *Recubuit ſuper pectus Domini.* An fortè tanta fuerit favorum & beneficiorum à Chriſto acceptorum multitudo, ut non eſſet ferendo? Recubuit. Unde mihi perſuaſum eſt, nunquam ab ullo mortalium ſatis laudari poſſe S. Joannis Evangeliſtæ dignitates & merita, ut ab oriente ad occidentem mundus univerſus obſtupeſcat.

*Gen. 17.*

*Novar. in Vmbr. Virg. c. 14. n. 186.*

Quapropter, ut in punctum ſilentii diſcurſus hic meus deſinat, verbo concludam, tot eſſe Joannis excellentias, tot hujus candidiſſimi Lilii decores, ut numerum conficerent infinitum, in quo quantumvis numerem, plus ſemper aliquid reſtet. Optem à vobis celebrari potius eloquente cordis affectu, quem interno ego cultu jam reverebor & profundo ſilentio.

Ite in pace.

# IN FESTO SANCTORUM INNOCENTUM.

## ARGUMENTUM.

Immortalem conſecuti ſunt gloriam Innocentes eo ipſo tempore, quo Herodes ferocienti temeritate deſæviit & recenter natos occidit. Nec mirum, ſiquidem ſub amarâ Martyrii cortice cæleſtis gloria invenitur. Quàm cæca ſit & effera mortalium ambitio, vel ex Regis impiiſſimi nefaria & ſcelerata mente conjiciemus.

## THEMA.

*Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus. Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* S. Matth. cap. 2.

NOn miramur (NN.) fructum cohærere ramo, ramum trunco, flumen mari, radium ſoli, effectum cauſæ, adamantem ferro, eò quòd qualitas contraria non detur, quæ continuationem iſtam impediat: mirandum hoc tamen, objecta eſſe, inter quæ, etſi ſumma ſit qualitatum antipathia continuatio nihilominus reperiretur: mirum id, inquam, videri poſſit etiam viris doctis, neque facilè rationem exponant. In ſcriptura ſacra conjunctionem inter lucem & aquam lego inſeparabilem. Vix bene jacta erant mundi fundamenta, & aquæ erumpentes vitam Spiritui cælico apparabant. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, & illo ipſo momento lux diffundebatur, ut ſplendoris penicillo ingenioſa pictrix opus Omnipotentis obſcurum revideret in tela univerſi delineatum *Fiat lux: & facta eſt lux.* Populus Iſrael, excuſſo ſervitutis Ægyptiacæ jugo, aufugiens Deum propitium habuit; die enim direxit itinerantes nube, quæ non aliud quam aquarum urna; nocte verò columnâ ignis (qui luminis pater eſt) viam rectam oſtendit. *Dominus autem præcedebat eos, ad oſtendendum viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Joann. vidit mare, quod fluminum ſinus eſt, commixtum igni, à quo ceu fonte primo lux emanat. *Vidi mare mixtum igne.* De vulnere quod Longinus inflixit lateri Chriſti, *exivit ſanguis & aqua*, in Longini oculis, quorum alter cæcitatis caligine obſcuratus, ſubitò lux infulſit. (Cum ex infirmitate ejus oculi caligaſſent, Sanguis Chriſti per lanceam decurrens, oculos tetigit, & protinùs clarè vidit.)

Gen. 1. | Exod. 3. | Apoc. 15. | Ioann. 19. | Petr de natal. in vita Long. l. 3. c. 221.

Si modò à naturæ ſtatu ad gratiæ ordinem veniamus, & à ſenſu litterali ad moralem intelligentiam penetremus, atque quid aqua, quid lux ſignificet, videamus, occurret ſupradicta conjunctio. Lux eſt æternæ gloriæ ſymbolum. *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. In lumine tuo videbimus lumen. Lucem habitabat inacceſſibilem.* Et S. P. Auguſtinus in has frequenter erupit voces: *O lux,*

Ioann. 8. | Pſal. 75. | 1. Tim. 6.

*quam*

S. Aug. verbo Lux in Melloq.

*quam non videt alia lux, qua obtenebras omnem lucem; & lumen quod excæcas omne extraneum lumen; lux à qua omnis lux; lumen ad quod omne lumen eſt tenebra, ad quod omnis lux obſcuritas: lux ſuprema, quam cæcitas non obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non offuſcant: lux quæ illuminas omnia, tota ſimul & ſemel & ſemper.*

Pſalm. 87. Pſalm. 80. Pſalm. 65. Sap. 10.

Per aquas intelligimus cædes & tormenta Martyribus illata. *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Probavi te apud aquam contradictionis. Tranſivimus per ignem & aquam. Et transvexit eos per aquam nimiam.* Michael à Bononia Carm. in Pſalmos, ſic exponit: (iſto modo accipiuntur fluctus pro acerbitate pœnæ: *Et alibi:* Per fluctus autem, adverſa à mundo vel diabolo procurata: *ac tandem concludit:* Per aquas intellige adverſitates, pœnas & miſerias vitæ præſentis: rectè enim per aquas adverſitas vitæ præſentis figuratur.) Lux itaque gloriam, aqua Martyrium denotat. *Innocentes pro Chriſto infantes occiſi ſunt: ab iniquo Rege lactentes interfecti ſunt.* Ecce aqua, ecce Martyrium. *Ipſum ſequuntur Agnum ſine maculâ, & dicunt ſemper: Gloria tibi Domine.* Ecce gloria.

Incogn. in Pſal. 87. v 1487. Item in Pſal. 42. v. 697. In Pſal. 68. n. 1086.

S. M. Eccl. in Officio SS. Innoc.

Hæreo, & quid hic pro titulo diſcurſûs mei ſumam, neſcio, de gloriâ, an de Martyrio dicam, fuerintnè Innocentes in perſecutione Herodis Martyres facti, an verò glorificati: cùm tamen aquæ lux individuus ſit comes, & inter Martyrium ac gloriam ſola intercedat vocabuli differentia, hæc mea erit propoſitio quam probatum eo, SS. Innocentum Martyrium eſſe quandam cæleſtis beatitudinis gloriam, & glorificatos Innocentes hoc ipſo quo Martyrio affecti; ſub accidentibus Martyrii eſſentiam gloriæ cæleſtis contineri. Et cùm tantæ impietatis Herodes ſit Author, in altera diſcurſus mei parte, videndum quid eò crudelitatis Tyrannum Regem adduxit. Intereà cum aqua dictionis meæ audientium cordia rigabo, Tu, ſol Divine, radio ſupernæ gratiæ mentes illumina.

## PARS PRIMA.

MIrum videbitur pleriſque, ſcio, & ſimplicibus paradoxum quod dicant, cùm in Martyrio dolores, in gloria lætitiam incredibilem experiamur; probo tamen; ac primò quidem Authoritatem adſero S. Patris Hilarii, qui vel ſolo termino gloriæ; neque aliis explicare quidditatem Martyrii poſſe videbatur, ubi de Innocentibus locutus, ait: *In æternitatis enim profectum per Martyrii gloriam efferebantur*, addens illorum ſtragem meram fuiſſe gloriam ſub Martyrii habitu repoſitam, Atque hæc eſt S. P. Auguſtini doctrina, cui omnino acquieſcendum.

S. Hilar. apud Ianſ. in Concord. Eva. c. 11.

Audiſtis, ni fallor, ſæpiùs (NN.) de ſervis Dei Enoch & Elia, quos ob zelum Verbi Dei atque exactam mandatorum obſervantiam magnis effert laudibus S. Scriptura, æterna hominum memoriâ dignos. Dicitur, nondum perſolviſſe eos ultimum naturæ debitum, ſed in Paradiſo terreſtri, in ſummâ tranquillitate vitam protrahere, uſque ad finem mundi, utpotè reſervatos à Deo in adventum Anti-Chriſti. Tertullianus ita aſſerit: *Tranſlati ſunt Enoch & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet: cæterum morituri reſervantur, ut Anti-Chriſtum ſanguine ſuo extinguant.* Et Eugyppus Abbas: *Elias ante adventum Iudicis Salvatoris non immeritò ſperatur eſſe venturus, qui etiam nunc vivere non immeritò creditur.* Fateamini verum; ſi determinato tempore & hi mortui fuiſſent, uti mortuos legimus Abraham, Iſaac, Jacob; Melchiſedech & alios, peto an non etiam Aſcenſionis die in cælum cum Salvatore veniſſent, æternâ beatitudine cum Sanctis reliquis præmiandi? Extra dubium eſt, Deus ergo utrumque gloriâ privavit, per omne tempus illud, & uſque ad mundi everſionem. Et verè equidem ſine illorum præjudicio non facit Deus, nec juſtitiam hic diſtributivam obſervat, gloriæ debitum illis ſuſpendendo Reſpondet S. Auguſtinus, Deum abundè remuneraturum gloriam tanto tempore ſubtractam, Martyrio ambos coronando. *Compenſabitur eis tolerando Martyrium.* Quid hoc propriè, compenſare? compenſare, id eſt, *reddere aliquid ad æqualitatem.* Accepero v. G. centum aureos mutuos eo pacto, ut intra menſem reſtituam; expirat terminus; & quia nummos non habeo paratos, reddo æquivalens, puta monile tanti aut certè majoris pretii, & ſic aureos conceſſos compenſo. Iſto ſenſu luſit Ovidius.

L. de Anim cap. 20.

c. 141.

*Tot tamen amiſſis te compenſavimus unum.* Ovid. Ep. 3.

Ergóne hoc velit Auguſtinus, Deum compenſaturum gloriam Paradiſi Prophetis illis debi-

debitam, conceſſo Martyrio? S. Patris ea mens eſt, tanti Deum agonem Martyrii, quanti coronam gloriæ æſtimare.

Joan. 1.

S. Pater Ambroſius ad Apoſtoli Joannis verba, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, affirmat, Chriſtum omnium, quæ tetigit, naturas mirabiliter commutaſſe, quemadmodum idipſum de terra in creatione hominis Franconius Abbas inſinuat his verbis: (O lutum, quàm fragile, quàm vile, quàm abjectum eras! Ecce quam ſolidum, quàm gratum, quàm glorioſum factum es, poſtquam in manus cæleſtis Figuli aſſumptum es! lutum in Deum ſolidatum eſt.) Ita etiam Chriſtus, ſi aquas tangebat, eas ſanctificabat; ſi tenebat, in lucem convertebat; ſi infirmitatem, in ſanitatem commutabat; ſi peccatorem, in juſtum; ſi mortem, in vitam transformabat. *Infantia in Chriſto facta fuit, ergo infantia in Chriſto vita fuit. Vulnus in Chriſto factum fuit, ergo vulnus in Chriſto vita fuit. Mors in Chriſto facta fuit, ergo mors in Chriſto vita fuit.* Et Cardinalis Toletus: (Verbum enim (*inquit*) quod ſola ſua Divinitate, omnium creator erat, ratione carnis in ſe acceptæ & Divinitati conjunctæ, auctor eſt vitæ, non enim aliter fecit hominem vivere, niſi per carnem; non quia non poſſet, ſed quia ita facere ab æterno diſpoſuit.) Humanitate ſuâ ſacratiſſimâ tetigit Chriſtus & recepit, quotquot Martyria imaginari quis poſſet; dicendum ergò nedum ſanctificata ea eſſe, ſed in ſuum contrarium permutata. Quid Martyrium antequam attingeret Salvator? dolor & mors acerba; at verò à Chriſti tactu mutata in gaudium & vitam glorioſam. S. Auguſtinum audite confirmantem: *Ecce Martyrium Chriſti, & apud homines in hoc mundo, non ſolum non eſt opprobrium, ſed magnum eſt ornamentum. Ecce non ſolum in conſpectu Domini, verùm etiam in conſpectu hominum jam pretioſa eſt mors Sanctorum ejus. Ecce non ſolum non contemnuntur: verum etiam magnis honoribus præferuntur Martyres ejus.*

De Grat. Dei tom.

S Ambr. in c. 1 Ioan.

In cap. 1. Ioann.

Tom. 8. ſer. 9 in Pſ. 1. 8.

Gloria, intuitu Dei quæ Sanctos beat, à Theologis Divina vocatur. Sic Martyrium reſpectu Chriſti utpotè ſubjecti recipientis, dici poſſit Divinum, quia à Chriſto jam Deificatum. Theologos conſulamus & ab eis inquiramus, an non ea ſit illorum doctrina, & vera hæc propoſitio: Quidquid à Verbo aſſumptum, Divinum factum eſt? Hinc per *communicationem idiomatum*, Sanguinem Salvatoris docent, eſſe Divinum, carnem Divinam; animam Divinam, corpus Divinum, humanitatem Divinam; imò etiam crucem ipſam vocant Divinam, quòd humeris eam Chriſtus portarit, adeoque, ut quid Divinum, *cultu latriæ*, non aliter quam ipſummet Deum adorari.

Quis autem ignoret, Chriſtum aſſumpſiſſe dolores noſtros, & omne Martyriorum genus à Tyrannis excogitatum in ſe ſuſcepiſſe? *Dolores noſtros ipſe portavit.* Nemo igitur neget, Martyriis aliquid Divinum ineſſe, ut propterea pari veniant paſſu cum gloria. Etenim, ſi verum eſt Philoſophorum hoc dogma. *Forma dat eſſe ſpecificum rei, cujus eſt forma, & denominatio deſumitur magis à forma, quam à materia*, cum ſancti Martyres (ut ita dicam) Martyrii Divini formam recipiunt, vocari meritò Martyres Divini poſſunt; & cum Sancti Innocentes in Martyrio Divinitatis formam acceperint, Divini facti ſunt non minùs quàm à gloria Sancti cælites glorificati.

Quando in S. Scriptura & SS. Patribus de gloria cæleſti fit ſermo, nomine lactis, mellis, & dulcedinis metaphoricè efferunt. Ita David: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Et S. Auguſtinus adjungit: *Hanc dulcedinem tuam ineffabilem, ut reor, ipſe guſtaverat, qui dicebat: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* Et Sanctus ille Pater de gloria repetens, quam Chriſtus Apoſtolis communicarat, & ſpecialiter Petro, ait: *Hanc ut guſtavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quaſi ebrius: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: hic moremur & contemplemur, quia nullo alio indigemus; ſufficit nobis, Domine, videre te; ſufficit tantâ dulcedine ſaturari. Vnam ſtillam guſtavit iſte dulcedinis, & omnem aliam dulcedinem faſtidivit.*

Pſal. 30.

S. Aug. Soliloq. c. 21.

S. Aug. in Milleloq. verb. Dulcedo.

Sic ubi facta eſt mentio de deliciis terræ promiſſionis, per quas in ſenſu analogico æternæ gloriæ felicitatem colligimus, metaphora lactis & mellis repræſentatur. (Juravit Patribus tuis, ut daret tibi terram fluentem lacte & melle. Audi Iſrael & obſerva ut facias, quæ præcepit tibi Dominus, & bene ſit tibi, & multipliceris ampliùs, ſicut pollicitus eſt Dominus Deus Patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem. In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti, in terram quam provideram eis, fluentem lacte & melle, quæ eſt egregia inter omnes terras.) Et hinc deducitur, à cæleſti gloria omnem excludi amaritudinem, & ineffabilem dulcedinem contineri. Videndum nunc (NN.) utrum cum gloria in

Exod. 13.

Deuter. 6.

Ezech. 20.

hoc

hoc etiam conveniat Martyrium, quod alvearium poſſit dulcedine mellis abundans, & apes mellificantes meritò Martyres nominari. Ne tamen hyperbolicè loqui me credatis & exoticum, Joannis Chryſoſtomi audite ſententiam expreſſam his verbis: *Omnes ad Martyrium quaſi ad alvearium apes volant.*

S. Ioan. Chryſoſt. in Mart. SS. Iuven. & Max.

Gloriam, ut præmium affectûs, Deus impertitur iis, quos amat; & quanto flagrantior eſt affectus, tanto majus eſt gloriæ donum, quo remunerat. An non mecum ſentietis omnes, Martyrium eſſe ſpeciem gloriæ, ſi id diligentibus ſe, ut amoris præmium, à Deo datum commonſtrem? Tribus vicibus S. Petrum de dilectione Salvator interrogat: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Reſpondit Apoſtolus: Quid hoc à me petis? Tu, Domine cordium inſpector, & ſecretiſſima perſcrutans, ut optimè omnium noris, quantus ſit erga te amor meus. *Tu ſcis, Domine, quia amo te.* Iterum cæleſtis Magiſter petit: *Simon Ioannis diligis me?* Etiam, Domine, dixi: & quis de maximo meo in te affectu dubitet? ſi lubet, experiaris, ut, quod jam verbis, factis probem. Tertiò idem replicat: *Simon Ioannis, amas me?* Magiſter bone, jam tibi mentem aperui: vis ut ſeria magis fide teſtificer, aut inſtrumento Notarii publici obſtringam? Quid ergò? Cupis ut ſanguinem profundam vel etiam vitam? Ad omnia præſto futurum ſemper invenies. Satis ſuperque jam habeo, reſpondit Chriſtus, video quod ames, & amori tam ſyncero præmium reponam. Quid hoc, Salvator mi? Fortaſſis Evangelici gregis illi committere regimen intendis? aut Apoſtolici Collegii caput conſtitues? vel cæli terræque principatum & plenum illi dominium reſervaſti? nil ſimile: alia meditor beneficia referenda. *Amen, amen, dico tibi, cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem ſenueris, alius cinget te, & ducet quò non vis.* Singula hæc attentè perpendamus. Quid hoc ſibi vult: *Cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas?* Tertullianus, olim more receptum fuiſſe ſcribit, ut cum rei crucifigebantur, ad medium corporis faſcia alligarentur, quò manus facilius reliquorum membrorum onus ſuſtinere ſic poſſent. *Alius cinget te.* Junior ipſe te cingebas, at cùm jam ſenueris, carnifices in cruce te cingent. *Tunc Petrus ab alio cingitur, cum cruce accingitur,* inquit Tertullianus. Tunc *ambulabas quò volebas*; at cum jam cani ſunt tibi crines, Romam traheris, quò ire recuſas. *Ducet quò tu non vis. Crucifigendus, quò nollet, eſt ductus,* ait S. Auguſtinus. Tandem in cruce manus extendes. Id ergò, verbo dictum, volebat Chriſtus: Petre, amorem in me tuum compenſabo, & in præmium dabo Martyrium, quod pro pignore accipe cæleſtis gloriæ, quam tibi in alteram vitam reſervo. Merces tua crux erit: *Hoc ut crucifigaris.* Chriſtus ergò amorem Petri examinat priuſquam Martyrium conferat, hoc ipſo innuens (ut benè docet S. Fulgentius) gloriam ubique Martyrium comitari, ad quod conſequendum, neceſſe eſt, ut ſemper in Dei Servis amor præcedat. *Primitùs Chriſtus Dominus Petrum ad confeſſionem amoris invitat, ut facultatem ponendæ animæ, ſuo deinceps amatori concedat.* Accedit S. Joannes Chryſoſtomus: *Cum dixiſſet Petro Dominus de amore quem habebat ad ipſum, pronunciat ei Martyrium, quod pro ipſo debebat ſuſtinere; erudire nos volens, quomodò eum amare oportet. Vnde dicit: Amen, amen dico tibi, cum junior eſſes cingebas te, &c.* poſteà ita concludit: *Hoc autem dixit, ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum. Non dixit, moriturus eſſet, ut diſcas, quoniam pati pro Chriſto, gloria eſt patientis & honor.*

Ioan. 21. — Ioan. 21. — In Catena D. Thom. in c. 21. Ioan. — S. Fulgent. ad Traſ. Regem. — S. Ioan. Chryſoſt. in Catena D. Thom.

Alludit (ni fallor) ad crucem Petrus Damianus, quam in præmium à Chriſto Petrus accepit, cum glorioſo titulo ſic eam inſignit: *Victorum corona.* Meo quidem judicio meliùs crucis proprietates expreſſiſſet, patibulum dicendo, mortis inſtrumentum & acerbi Martyrii. Hanc reor fuiſſe beati viri mentem, q.d. Servi Dei, poſt acerrimas perſecutiones, quas ab impiis Eccleſiæ hoſtibus pertulerint, in agone mercedem recipient, pro præmio Martyrium crucis obtinentes. Sed quomodo hoc ſit, cum pro mercede gloriam cæleſtem Redemptor noſter illis addixerit? Teſtis mihi S. Matthæus in Evangelio. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati eſtis, cum perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* S. Auguſtinus hunc locum exponit: *Non hic cælos puto dici ſuperiores partes hujus viſibilis mundi: non enim merces veſtra in rebus viſibilibus collocanda eſt; ſed in cælis dictum puto, in ſpiritualibus firmamentis, ubi habitat ſempiterna juſtitia.* Ut quid tandem pro gloria offert crucem? Ergóne Deus fallit nec ſtat promiſſis? Dixiſſet igitur B. Petrus Damianus, & melius, *Gloria, non crux, eſt victorum corona,* ſiquidem aſſerente S. Remigio,

Serm. de Exal. S. Crucis. — Matth. 5. — In caten. D. Tho. ad Litt.

( Obſequium quod ipſis ſub religionis opinione delectum eſt, mercede non fraudat )

*In Cat. D. Thom.*

Difficile & hoc ſupereſt. In Martyrologio Romano legitur de S. Anaſtaſia, cùm ad Martyrium iret, ſitientem à Cyrillo refrigerium petiviſſe, & aquam ſtatim impetraſſe, Cyrillo autem pro exhibito charitatis opere præmium Deus conceſſit; ſiquidem ( ut habetur in Martyrologio ) *Martyrium pro mercede accipit.* Quid hoc? An non ergo Deus gloriam promiſit exercentibus miſericordiam, exempli gratiâ, alicui ſitienti potum offerentibus? Nunquid apud Matthæum Veritas ipſa aſſeverat: *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ. Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam:* Idem expreſsè S. Marcus enunciat: *Quiſquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo; amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Et merces iſta, quid aliud quàm gloria? S. Matthæus affirmat: *Sitivi, & dediſtis mihi bibere,* atque ideò. *Venite Benedicti, poſſidete paratum vobis Regnum.* Janſenius apertè confirmat, Evangeliſtæ hìc mentem exponens: [ Docet magnum præmium manere etiam eos qui ſuo nomine infirmos Fidelium vel minimo aliquo afficiunt beneficio, quale eſt præbere potum aquæ frigidæ. ] Et alibi explicat quale futurum ſit iſtud præmium, ubi dicit ſi non æternum, defectu requiſitæ diſpoſitionis in nobis, ſaltem temporale aliquod obtinendum. [ Opus tale ſine remuneratione, vel in præſenti, vel in futura vita non reliquendum, ſed qui fecerit, mercedem ſuam erit accepturus, ſi non æternam, ſaltem aliquam temporalem: Pro uno calice aquæ frigidæ, ipſe tribuit Regnum cælorum. ] Quare igitur Cyrillus mercedem non habuit, ſed Martyrium? *Martyrium pro mercede accepit:* quia tanti eſt Martyrium apud Deum, quanti gloria & Martyrium largitur pro gloria, ut idem ſit & martyrizari ac glorificari. Benè proinde locutus eſt B. Petrus Damianus, cùm ait: *Crux eſt victorum corona.* Quoties ergò Deus preſſos in hoc mundo & vexatos, qui patienter ferunt, cruce & Martyrio remunerat, non minùs quàm cælorum Regnum ac gloriæ coronam donat.

*Martyrol Rom. V. Kal. Oct.* — *Matth. 10.* — *Marc. 9.* — *Matth. 25.* — *In Cõcord. Evang. 1. 54.* — *Idem c. 71.* — *Alb Pat. ſer. 8. fer. 4 Ciner.*

Beati qui cæleſti perfruuntur gloriâ, calamitates non ſentiunt, neque adverſis dejici poſſunt, ſed interminabili felicitate potiuntur. *Et mors ultra non erit, neq; luctus, neque clamor, neq; dolor erit ultra.* Idem SS. Martyribus evenit; nihil in Martyrio ſiniſtrum, nil infauſtum ferunt. Inquirunt SS. Patres cur lanceâ perfoſſum fuerit Chriſti latus dextrum, cur non potiùs ſiniſtrum? Seraphicus Doctor hanc adfert rationem: *Pro nimio tui amoris fervore voluit lancea ſuum latus aperire, ut demonſtraret quod tibi tradidit cor.* Si verum hoc, magis ad ſiniſtram partem cor, quàm ad dextram locari, potiùs ſiniſtrum latus aperuiſſet, ut inde facilius ad cor perveniſſet. Quid ad hæc Longine? Quare latus iſtud non perfodiſti? Reſpondet ille, ideò ſic à ſe factum, quia cùm ad latus dextrum Chriſtus caput inclinavit, locum, quò lanceâ pertingerem, deſignavit. Et tu piiſſime Salvator, ut quid inclinato dextrorſum capite indicaſti, velle te lateris dextri apertionem, non ſiniſtri? Innuit ſic bonus Jeſus, ex inflicto hic vulnere ſanguinem affluxurum & aquam; per hanc autem perſecutiones, & per illum ſignificari Martyrium, conſtat. Voluit ergò latus dextrum vulnerari, ut, emanante hinc ſanguine & aquâ, diſceret mundus, perſecutionum aquas & Martyrii ſanguinem non eſſe infelicitatis, quin imo maximæ noſtræ felicitatis omina, non in Martyrio dolores, ſed gaudia, non pœnas, ſed gloriam repetiri. [ Et cur adeò triſtia & acerba ſigna non magis à ſiniſtris notabantur? planè ſimul enunciabantur tribulationum Juſtorum qualitates, quæ dexteræ ſunt & nunciæ venientis felicitatis, ] Excandeſcat impiorum malitia, & SS. Innocentibus graviſſima infligat tormenta; victa tandem illorum perfidia cedet his, quos ſcuto inexpugnabili cælum munit & protegit. Ex minis atque excidiis intentatis trophæa exſurgunt, & ubi Tyrannus in Sanctitatis deletionem conſpirat, ad triumphum invitat. A barbaris illis perſecutoribus currus glorioſus conſtruitur, non feretrum funerale. Non itaque ad mortem raptavit Herodes puerulos, ſed ad gloriam elevavit.

*Apoc. 21.* — *S. Bonav. in ſtim. amor.* — *Didac. Ponſeca c. 12. §. 4. in Ioan.*

Feri ſint ac ferrei Tyranni, & quidquid ad crudelitatem facit, exerceant: etiam infernus pateat ad Servorum Dei perditionem; ſanguinem innocentem immitiſſimus Herodes effundat, ut Regnum ſolus ipſe poſſideat; Tarquinium imitetur, & non papaveris floribus cinctum, ſed puerulis Bethlehemitis vitæ innocentiâ formoſiſſimis, amputet caput. Quid inde? fatendum tandem erit, poſt tot tempeſtates, vincula, carceres, & tam copioſi effuſionem ſanguinis, nihil infauſtum ſequi, ſed veræ felicitatis ea eſſe prænuncia.

Ne tamen mihi ſoli credatis, patientiſſimi Jobi teſtimonium adfero. Ille, cùm ab infernali adverſario gravia pateretur incommoda, ita exponit: *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illicò* *Job. 19.*

ſur-

*ſurrexerunt.* Non abſque ratione, omnes diaboli inſidias & perſecutiones ſibi evenire à dextra affirmat, non à ſiniſtra Orientis. Dicendum erat, quantum ego judico, *Ad ſiniſtram Orientis* inſurrexiſſe Chaldæos & armenta diripuiſſe; vento valido ædes ſubitò everſas, ac filios interemiſſe; ulceribus ſe plenum eſſe & toto corpore læſum, an non hoc valdè ſiniſtrum videatur & maximè adverſum? Ut quid igitur aſſerit, *Ad dexteram venerunt calamitates!* mille locis oſtendi poſſit

Quin. 1. proœm. l. 4. — tam in ſacris quàm profanis, per *dextram* res proſperas ſignificari (*Adſit Domitianus dexter ac volens*) per *ſiniſtram* aliquando adverſa: & videtur hoc ſenſu canere Ovidius:

Faſt. — Dî *precor, à nobis omen removete ſiniſtrum.*

Et hinc, putem, moribundus Jacob filios benedixit, Manaſſem ſiniſtrâ & Ephraim dextrâ, ut huic proſpera, iſti adverſa futura indicaret [Dextera ſemper meliora eſſe videbantur, contra ſiniſtra infortunia.] Ita expreſsè S. Auguſtinus docet his verbis: *Per dexteram proſperitas, per ſiniſtram adverſitas ſignificatur: quia dextra in Scriptura nominatur in omnibus bonis, ſiniſtra in malis.* Ideò prædeſtinati ad dextram erunt, reprobi ad ſiniſtram. *Hoc ſignificat* (proſequitur S. Pater) *quod etiam in judicio dixit, ſe agnos ſtatuere ad dexteram, hœdos autem ad ſiniſtram eſſe poſiturum.*

Guil. Hum. in c. 28. Gen.
S. Aug. T. 3. loc. ſuper Gen. l. 6. 86.
Idem. T. 3. de agon. Chriſt. c. 26.

Quid inde infert patientiſſimus Propheta? Adverſa iſta, quæ ſiniſtra quidem apparebant, ſub accidentibus tamen illis veræ felicitatis ſubſtantiam continere, ita, ut ſub conchæ fœcundæ aſperâ cortice candidam & pretioſam margaritam efformari compertum eſt. Audite Gilberti Abbatis verba. [Jure ventum illum (*inquit*) dextrum vocavit, qui nihil ei quivit ſiniſtrum inferre; quin etiam corona gloriæ viro juſto comportavit augmentum, quando virtus probata enituit, & quando provocata exerevit.]

Serm. 38.

Armentur ergo Tyranni, inſoleſcant contra SS. Martyres, & furias infernales etiam provocent, nil tamen nocebunt, ſiquidem in gloria Martyrii nil patiuntur, ſed gaudent, non ſecus ac Beati in cælo. Inflicta vulnera, ſanguis effuſus, rotæ, cruces & aculei, felicitatis ſunt effectus, non calamitatis, eventus dextri ſunt, non ſiniſtri.

Feliciſſimi vos Innocentes, quos impiiſſimi Herodis gladius in tenerrimâ ætate de terra eradicavit, ut cæli horto amœniſſimo insereret: non fuit hæc tyranni crudelitas, quæ oculos veſtros lachrymarum aliquâ nube obſcuret, quin potiùs gloriæ ſplendore quodam illuminet & recreet. *Occiduntur pro Chriſto parvuli;* (loquitur S. Auguſtinus) *pro juſtitia moritur innocentia. Quam beata ætas, quæ necdum Chriſtum poteſt loqui, & jam pro Chriſto meretur occidi! nondum opportuna ætas confeſſioni, & jam idonea paſſioni! Quam feliciter nati, quibus in primo naſcendi lumine, æterna vita obviam venit! Incurrunt quidem inter ipſa primordia acceptæ lucis periculum & finem ſalutis, ſed de ipſo protinus fine capiunt principia æternitatis; immaturi quidem videntur ad mortem, ſed feliciter moriuntur ad vitam, Vixdum deguſtaverunt præſentem, ſtatim tranſeunt ad futuram. Nondum ingreſſi infantiæ cunas, & jam perveniunt ad coronas. Rapiuntur quidem amplexibus matrum, ſed recipiuntur gremiis Angelorum.*

S. Aug. ſer. 4. Innoc. & ſer. & Ord. ſer. 9. de Sanct. 10.

Nota eſt hiſtoria de pictore illo, qui cùm non poſſet equi pulcherrimi ſpumam ad vivum depingere, iratus ſpongiam accepit, quâ penicillos ſolitus expurgare, & maculatam diverſis coloribus, ori equi admovit, ut expungeret, ſed tamen nunquam melius pinxiſſet, & ſic quod defectu patientiæ non potuit, per iram effecit. Cùm Innocentes hodiè contemplor, videre videor generoſiſſimorum equitum exercitum, Herodes quidem ferri applicat ſpongiam, ut deleat, Martyrii admotis cruciatibus, contra tamen evênit: ſpe fruſtratus eſt Rex; cùm enim putavit deprimere & extinguere parvulos, exaltavit in terris & ita glorioſiores reddit, quam umquam aliter fieri poterant; ut vel hinc clarè jam videamus, quàm verè ſit ab Apoſtolo dictum: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Et S. Auguſtinus effectum iræ Regis in pueris Innocentibus conſiderans, ſenſa ſic exprimit: *Numquam profanus hoſtis beatis parvulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio.*

Pet. Rom. in Venit. evit. §. 3.
Areſius lib. 3. nu. 34.
Rom. 8.
Apud Ludolph. à Saxon. p. 1. c. 13.

Beati in cœlo ſecuri ſunt, neque ullo modo unquam periclitantur: cælum ruat & univerſus orbis, ſtabunt tamen illi infracti. Neque dixeris, ſolum eſſe proprium Beatis illis, qui jam cæleſti gloriâ perfruuntur; id enim & Martyribus convenire, jam oſtendam. Mandaverat Deus Noë ut arcam extrueret, ut foret ipſe cum creaturis reliquis ab univerſali diluvio liber: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis.* Septuaginta Interpretes legunt, *Fac tibi arcam de lignis quadratis.* Sed in quem finem voluit Deus arcam formari ex lignis quadris? Impoſſibile videri poſſit; nam oportet lignorum alia longiora eſſe, alia rotunda, multa triangularia &c. juxta fabrilis artis exigentiam.

Gen. 6.
70. Interp.

S. Auguſtinus dicit arcam fuiſſe figuram Eccleſiæ

cleſiæ. *Arca Noe figuram geſtabat Eccleſiæ.* Et alibi confirmat iiſdem verbis. *Arca ſignificabat Eccleſiam.* Ligna ex quibus unitis conſtruitur, ſunt Sancti, & ſingulariter Martyres: quia ſi ligna illa prius iteratis ictibus contundi oportuit, ferro ſecari, ſerra dividi, dolabrâ æquari, clavis perforari, ita fit cum Martyribus iſtis. Unde S. Auguſtinus ait: *Sicut arca de lignis quadratis construebatur, ita Eccleſia de Sanctis conſtruitur.* Sunt autem illi figuræ quadræ; *Nam quadratum lapidem* (inquit idem S. Pater) *quacunque verteris, ſtat,* non ſecus ac alea, quoquò eam projeceris, erecta manet, adeò ut ſcito emblemate non nemo expreſſerit, additâ voce. *Semper jactatus, ſemper erectus.* Ita ſancti Martyres, myſtica S. Eccleſiæ ligna quadratæ ſunt figuræ, perire non poſſunt, cælum ruat, ſurſum deorſum, ultrò citroque terra invertatur, nunquam cadent. Hoc itaque nedum eſt proprium Beatis in Patria, ſed & Martyribus in via; his virtute Martyrii, illis intuitu gloriæ, poſſeſſio firma manet. [ Non enim fruſtra ædificata eſt arca Noë de lignis quadratis, quæ figuram geſtabat Eccleſiæ; (*verba pono S. Auguſtini.*) Quid eſt enim Quadratum? attende ſimilitudinem quadrati lapidis, ſi impellitur & ſi quà vertitur, non cadit: nam quadratum lapidem quacumque verteris, ſtat: ſimilis debet eſſe Chriſtianus: in omni tentatione, Chriſtianus non cadit. ]

*Pſ. 86. & in Milleloq. Item in Dialog. 65. qq. q. 52. t. 4. & Lib. 15. de Civit Dei, c. 26.*

Sancti Innocentes, quos Herodes occidit, ligna minima ſunt, ex quibus Arca Eccleſiæ conſtructa eſt; quantumvis conetur Tyrannus evertere, vulnerando, laniando, trucidando, præcipitare nunquam poterit; ſemper erecti, utpote figuræ quadratæ, ſtabunt, neque ſubverſionis incurrent diſcrimen: at verò ex multiplicatis hoſtium perſecutionibus infantes minimi accreſcunt perfectionibus innumeris & conſtantes manent.

Hoc unum prætereà Martyres habent in terra, quod non Beati in cælo. A maledicorum linguis impetantur cælites & ludibrio excipiantur ab impiis, nihil quidem illorum gloriæ detrahetur: at verò in Tyrannorum perſecutionibus non ſolùm nil perdunt Martyres, ſed gloriam novam acquirunt & augent. In illorum Perſona loquebatur Job: *In nidulo meo moriar, & ſicut Palma multiplicabo dies meos.* Hebræus legit: *Et ſicut arena.* Tigurina: *Et ſicut Phœnix.* Palma, Arena & Phœnix quomodo ſimul ſint, & conveniant? Palma terræ planta, & aquæ confinis eſt; Phœnix moritur in flammis & renaſcitur.

*Iob. 29.*

*Tigurina.*

Quid ergò his tam diverſis voluit Propheta? Hoc intendit, credo: Si Martyres duriſſima à perſecutoribus ſuſtineant, ad internecionem adigantur, & in terram vellantur, victi non occumbunt, ſed ſicut Palmæ reſurgunt glorioſè triumphantes. Si in aquas jactentur, merita accumulant, *& ſicut arena* multiplicantur: non immoriuntur, ſed renaſcuntur ut Phœnix. [ Et planta eſt, & arena, & Phœnix vir juſtus, ne ullo ſciat cedere elemento, ſed ex omni contrario gloriæ recipiat augmentum. ]

*Didac. Penſer li. 15. c. 5. §. 4.*

Et, ſi pro perſecutionibus toleratis & carcere, data ſit à Rege corona aurea fideliſſimo Joſeph, ut Rupertus adſert. *Pro compedibus carceris, à Rege auream catenam accepit; pro ſervili vinculo, annuloque ferreo, regium accepit annulum: pro habitu ſordido, indutus eſt ſtolâ byſſinâ: pro antri ſqualore, adeptus eſt amplum imperii currum.* Nil minus recipient iſti Martyres, non catenam auream, ſed gloriæ coronam; non annulum regium, ſed remunerationem æternam; non veſtem byſſinam, ſed beatitudinis ſtolam; non currum deniqúe terreſtrem, ſed Paradiſi triumphum. Nondum erant habiles ad certamen ineundum contra Tyrannos, ſed jam erant experti & apti ad reportandam victoriam. *Nondum motibus membrorum valent ſuſcipere pugnam* (inquit S. Auguſtinus) *& jam victuri efferunt palmam.* Triumphantes curru mortis evehuntur ad capitolium æternæ vitæ. *Nati ſunt ad mortem,* (Proſequitur idem S. Pater,) *ſed continuo eos mors reddidit vitæ.* Inſtar globorum igneorum impulſu furoris tyrannici inferiora hæc perrumpentes, ad cælum empyreum ſubvolarunt. In membris illis, gladio ceu aratro ſubactis, gratiam ſeminavit, ut inde meritorum ſurculi pullularent. Non in plagis iſtis mors prævaluit, ſed exorta eſt vita: & priuſquam mortis pallor obductus, ab oriente Paradiſi circumfulſerunt radii gloriæ

*S. Aug. li. de ſymb. tract. 3. c. 9. c. 4.*

Verùm (NN.) quid gloriæ cum Martyrio? aliud omninò eſt, glorificari, & Martyrem effici. Si tamen foret S. Chryſoſtomo optio libera eligendi, aut in terra Martyrium, aut in cælo gloriam, quid, putatis, faceret? Fatentem audite, *mallem pati pro Chriſto, quàm honorari pro Chriſto:* merito quidem, *quia potior beatitudo pati pro Chriſto, quàm cum illo glorificari.* Nec eſt quod objiciat aliquis, Chryſoſtomum ſic maluiſſe, ex vitæ tædio, ut ab ærumnis liber ad requiem perveniret: non quod mortem vellet, quam imminentem præſentiens timuit & abhorruit, ſed miſeriarum quæreret finem. Nemo hoc dicat;

*S. Chryſ. Hom. 5. de Pœnit.*

*Laur. de Ponte in Sap. Salom. c. 10. n. 14.*

nam

Rom. 5.

nam ſuper illa verba Apoſtoli, *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus*, mentem de-nuò exprimit & fervens patiendi deſiderium.

S. Chryſ. in Ep. ad Rom. c. 5.

*Ne mihi commemores Regnum cælorum, nec coronas illas immarceſcibiles, nec præmia, ſed hæc ipſa, quæ præſto ſunt, quæ afflictionem habent, quæ ærumnas & labores multos: hæc in medium affer, & poteris oſtendere quod ob hæc magis ſit glorioſum.*

Hoc tamen poſſit obtrudi, eam eſſe unius opinionem, neque conſequenter ex ea allegandam eſſe legem, aut formandum judicium univerſale. Facilè hic aſſentiar ſi non plures ſint iſtius mentis. Mirum eſt, Apoſtolum Chriſti Andream duos dies in patibulo crucis, in ſummis tormentis vivum pependiſſe. *Biduo vivens in cruce beatus Andreas, &c.* Si ita ſtatim ac crucifixus, mortuus fuiſſet, nunquid ereptus à tantis cruciatibus? nonne anima ad cælum illicò evolaſſet pro ſlabore mercedem æternam receptura? Cur igitur biduum privatur gloriâ, & detinetur in graviſſimis illis pœnis Martyrii? Credite (NN.) tanta erat gloria, & tam magna dulcedo, quam percipiebat in cruce pendens, ut maluerit biduum privari cæleſti gloriâ, ne biduum Martyrii perderet. q. d. Crux hæc verus eſt Paradiſus, Martyrium hoc, quid aliud, quàm gloria? tantâ perfundebatur dulcedine, ut per totum corpus diffuſa, illud alvearium mellis efficeret, & ſepulchrum mannâ ſuaviſſimo repletum adverteretur. *Ajunt de ſepulchro S. Andreæ manna in modum farinæ emanaſſe.*

Eccleſ. in Feſto S. Andreæ.

Hiſtor. Lombard. de S. Andr.

Teſtem ex inferis Luciferum ipſum darem, ſi non eſſet ipſe mendaciorum author, nec leges prohiberent. *Teſtis criminoſus eſſe non poteſt*, præſertim ubi *crimen eſt grave & notorium, & criminoſus in ipſo crimine perſeverat.* Sed quis neſciat, è radice fœtida odoriferum excludi lilium, ex toxico haberi antidotum, ex obſcuritate ſyllogiſmi fallacis veritatis claritatem non adumbrari, ſed illuſtrari & candorem erui? Dicam ergo. Petrus in monte Thabor cæleſti recreatus gloria, Dominum precabatur, ut poſſet ſemper in loco iſto verſari, ubi æternâ felicitate potiri dabatur, ibique perenniter habitare, ubi cœleſti beatitudine ſine fine gauderet. D*omine bonum eſt nos hic eſſe.* Origines hic ſubintrat & ſubtiliter, ut ſolet, examinat, petieritnè Petrus motu proprio hanc ſibi fieri gratiam, an verò inſtinctus ab alio, concluditque feciſſe inſtigante diabolo. *Forſitan & in hoc malitioſè operabatur diabolus, per eum, qui neſciebat quid loquebatur.* Dicit itaque fuiſſe Infernalis tentatoris occultum valdè hoc ſtratagema, utpotè qui bono noſtro ſemper invidens, diutius ferre non poterat, Deum conferre ſuis tantam gloriam, qua per demerita ſe videbat privatum. Perſuadendum ergò potiùs Petro, ut pro deceſſu inſtaret, & ita oraret: *Domine bonum eſt, nos hinc diſcedere.* Non ſic, inquit diabolus, non ſic: ut mihi benè ſit, *meliùs eſt hic eos eſſe.* Intellexerat, de quibus rebus inſtitutus erat ſermo. *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem, id eſt de Paſſione & morte ſua.* Ita S. Thomas. Secum hunc diſcurſum diabolus efformabat: Si in monte remaneant, cæleſti gloriâ perfruentur; ſi diſcedant hinc, Chriſtus Jeroſolymam ibit, initium paſſioni daturus, Apoſtoli per univerſum orbem diſpergentur ad prædicandum Fidem, & ſic obtinebunt Martyrium, ſub cujus accidentibus gloria invenitur: Optarem quidem ab utraque hac gloria eſſe excluſos, ſed non facilè eſte-cero. Quid igitur? non video modum niſi ut Petrum inducam, ad eligendum ex duabus iſtis, minorem gloriam, ſcilicet illam montis Thabor, & hac via intentum aſſequar, cùm majorem gloriam perdet, quæ ex Martyrio redundat. Eoque inſtigavit Petrum, ut diceret: (Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus hic tria tabernacula. Ut iſtinc diſcas, dæmonis, non hominis eſſe judicium, gloriam paſſioni præferre; & beatius æſtimare glorificari, quàm pro Chriſto pati.)

C. ſupe r. de Teſt. l. fin. C. de prob.

Matth. 17.

Origen. in Matth. hom. 3.

D. Tom. 3. q. 45. art. 3.

Laur. de à Ponte. To. 2. in Sap. c. 10. n. 8.

Et eſt tam verum hoc (NN.) quod dixi, ut ſi non eſſent in terra Martyres, non videretur perfecta in cælo beatitudo, quaſi Martyrium foret cæleſtis gloriæ complementum. Adeſte Theologi, audire à vobis hic lubet, ut æterna beatitudo perfectè completa ſit, quid requiratur. Nunquid omnis lætitia & jucunditas, quam excogitare quis poſſit, ita ut, ſi vel unica conſolatio deſideraretur, plenum gaudium non haberetur in cælo, neque perfecta beatitudo? Quocirca dicebat Pſalmiſta: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, vel, (ut legunt alii) *ſatietate deliciarum: Delectationes in dextera tua uſque in finem* S. Auguſt. explicat: D*exteram regnum gloriam, beatitudinem, felicitatemque æternæ vitæ accipite.* Agedum: ſi vel unica ſpiritualis & ſancta lætitia tibi deſit in cælo, nonne quodam modo imperfectam dices, eò quòd deſiderium tuum abundè non ſatiet? & hoc non dixeris, ſi nil ibi deſiderari ampliùs poſſit: Sed quænam eſt lætitia, quam in cœlo non habeant Beati? Illa eſt; quâ perfunduntur ſervi Dei cùm pro fide certantes, ſuſtinent Martyrium. *Lætati ſumus, pro diebus quibus vidimus mala.* S. Apoſtolus Paulus hâc lætitiâ recrea-

Pſal. 15. S. Auguſt. in expoſ. Symbol & de orat. ſer. 2. Ita Geneb. in Pſ. 11 n. 12.

Pſ. 89. Rõ 5. Actor. 5.

recreatus, fatetur: *Superabundo gaudio in omni tribulatione. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii.* Et beati, cùm pati non poſſint, neque etiam lætitiæ & gloriæ redundantis ſunt capaces; cupere quidem poſſunt, ſed non aſſequi. Atta-
*In Adelph.* men, ut cum Terentio loquar, *Vetus hoc eſt; communia eſſe amicorum inter ſe omnia.* Martyres hanc ſuam gloriam cum beatis cœli incolis partiuntur, & ſic etiam hi perfectè ſatiantur in Beatitudine. *Audeo dicere* (inquit S. Bernardus) *expertem beatitudinis eſſe illam cæleſtem Patriam, niſi fateatur quod hac lætitia fruatur ex me, & in me.*

Nonnemo fortaſſis difficultatem adhuc moveat, addatque gloriam lætitiæ confœderatam
*Apoc. 21.* eſſe, & à planctu ſemper averſam. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor.* S. Auguſtinus exclamat: *O felix Patria ubi dolor nunquam ſentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triſte nunquam videtur, ubi lætitia ſemper habetur, ubi nullum malum timetur!* At verò in SS. Innocentum Martyrio lætitia non reperitur, nil quod exhilaret aut ſoletur, ut meritò commiſeratione intimè commota ſit Rachel. *Vox in Rhama audita eſt, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos.* Dicendum ergò Martyrium doloriſerum potius, quàm glorioſum. Contrarium ego repeto, & vel ex ipſo Rachelis planctu, Martyrium Innocentum gloriam quandam eſſe confirmo. Attendite, particulatim totum, ut contigit, enarrabo.

Impius ille & inhumanus Judeæ Tyrannus, Regni coronam & ſceptrum perdere, nato jam novo Rege, timebat: ſolicitus erat, & angebatur quo uti conſilio poſſet: maximo timoris cruciatu præpeditus ad loquendum, tacitè ſecum volvebat. Itane? Viderem ego hiſce oculis alterum Judææ Dominatorem? Egòne ſubderer fortaſſis uni eorum qui jam ad juſſa mea trepidant, & ad ſingula obſequentiſſimè parent? Ah! abſit hoc? Quæram Regem, & occidam potiùs: ſubmergam effuſo ſubditorum ſanguine, & ſic honori & Regno meo conſulam. Prudentis eſt naturæ, merces in mare projicere, nihilque curare, dummodo navis à periculo ſalva ſit. Ea Hortulani induſtria eſt, folia præſecare, ut planta ipſa liberè magis in altum creſcat. Membra cætera pereant, modò, quod præcipuum eſt in Regno, caput ſervetur. Adeſte milites, & ſtricto gladio perſequimini, etiamſi mille juſtos occidatis, modo reus non evadat, perimantur innocentes. Canis hic rabidus, (NN) cùm in manu nil poſſit, in umbram ſævit, præcipitque puerulos omnes, quotquot in Judæa, ſine ulla exceptione aut commiſeratione crudeliſſimè trucidari.

Intereà cum impiam ſententiam exequuntur carnifices, ab Eccleſia Rachel plorans introducitur, de filiorum internecione cum lachrymis quærens. *Vox in Rhama audita eſt, ploratus & ululatus multus.* Luctum omitte, pulcherrima Rachel, lachrymas abſterge, & ſerenato vultu gaude; non ſunt tui, ſed ſororis tuæ Liæ liberi ſunt, quorum hic ſanguinem vides, & immerſa tot corpora: filiis tuis benè eſt, ſalvi ſunt & in pace: ergò contenta jam eſto & ne ultrà plangas.

Reſpondit Rachel: Quid? Filii mei vivunt? Martyrio non ſunt affecti? hinc illa mea afflictio: iſte eſt doloris gladius, quo cor meum perfodi ſentio. Plangam ergo, nec facilè aliquis conſolabitur, *quia non ſunt*, ſcilicet, occiſi in perſecutione tyrannicâ. Quomodo Rachel? tantam ſævitiam in filios adhibes, in ſanguinem, in temetipſam facta crudelis? ubi jam maternum pectus & tenerrima illa dilectio? Tigridem dixero ferociſſimam, non mulierem benignam, non miſericordem parentem. Scio equidem, ſi Innocentes puerulos in cruciatu vidiſſes, prima omnium auxilium attuliſſes, & miſerata ſolatium. Lachrymas tum excuſſiſſent ferrei illi carnifices inſtar Leonum indomitorum ferocientes, quando hic in pectus inſultat, iſte caput, ille manu & brachia amputat, alter infantulos ad parietem allidit, alius ſtrangulat vivos, & alius cor perforat; hic iſte in cunis dormientes extinguit, & fit quietis lectus acerbæ mortis feretrum, & hic tenelli & verè Angelici puerult mortis & ſomni propinquitatem indigitant. Eheu! Adeſdum Rachel & audi (prô dolor! quis hic lachrymas contineat? gemitus & lamenta matrum, quæ nondum à partûs doloribus liberæ, & vix in lucem editos pueros, coguntur videre occiſos. Vide hic matrem, ut filiolum ſalvet, fugam arripit; ſed non evadit, ibi ad preces recurrit, neque iſtæ juvant; hæc prolem humi laniatam cernens effuſa in lachrymas, pectus tundit: iſta vociferans natum inclamat, & non eſt qui reſpondeat: illa ſolicitè dilectum quærit, neque reperit: hæc inventum exanguem, lachrymis abluit: iſta extinctum amplectitur ulnis, ut calefaciat & fortaſſis ad vitam reſuſcitet. Si quæ chariſſimum uteri ſui pignus dimittere renuit, & amplexibus retinet, gladio ſtatim ei pectus transfigitur, ut unde lac vitæ anteà ſuxerat, hauriret parvulus ſanguinem mortis.

Hi ſunt Rachel, deſolatarum parentum dolores & acerba lamenta; & primi ſunt ex Bethlehem deplorandi eventus. Converte obſecro luctum in gaudium *Noluit conſolari.* Ratio eſt, *quia non ſunt* ſcilicet occiſi & Martyrio coronati. Plangit itaque & conſolationem nullam admittit, quia filii ejus Martyrium non ſubierunt, ut filii Liæ q. d. Quamdiu non ſunt vulnerati in corpore, neque ſanguine ſparſo profuderunt pro Domino vitam, privantur gloriâ, & cùm non Martyres, glorificati etiam non ſunt. Origenes loquatur. *Cum tribus Iuda ex Lia, tribus autem Ioſeph & Benjamin ex Rachele, conſideratâ illorum Infantium, qui ex Iuda occiſi ſunt, felicitate, deflevit, quod non ſuis contigerit pro Chriſto mori, & illos, quaſi non eſſent, exiſtimavit.* Lia tamen non lugebat (inquit S. Hilarius,) quia partus ejus *in æternitatis profectum pro Martyrii gloria efferebantur: conſolatio enim pro re amiſſa adhibenda eſt, non vero pro re accepta.* Tandem ita concludit S. P. Auguſtinus: *Tunc ergo Rachel cœpit filios ſuos plorare, quando filios ſororis ſuæ in tali cauſa vidit occiſos, ut æternæ vitæ hæredes exiſterent: cui enim aliquid adverſi evenerit, ex felicitate alterius, infauſta ſua miſerè luget.*

*Hom. 3. in diverſ.*

O felices vos Innocentes! Martyres dicam, an factos glorioſos, neſcio; ſi tamen Martyrium pro gloria ſit, prædicabo per manus carnificum in martyrio glorificatos. Herodes impius nimio ſuo dedecore in vos factus crudelis, in corporibus veſtris ceu marmore candidiſſimo puritatis nitorem ſculpſit, & charactere cicatricum & ſanguinis, gloriam impreſſit. Per Martyrium prius glorioſi dicti eſtis in terra, quàm in gloriam ingreſſi & habiti Martyres in cœlo. Lamentetur itaque Rachel, & ſuorum infortunium deploret, *quia non ſunt*, Exultet Lia, quia ex ejus ſanguine oriundi, *mercedem habent* (S. Hieronymi ſunt verba) *effuſi ſanguinis pro Chriſto, & pro terra Herodis inimici tenent Regna cælorum, & reverſuri ſunt in Sedem priſtinam, quando pro corpore humilitatis receperunt corpus glorioſum.*

*Guid. Caſ. p. 2.*

*Pargoletti Innocenti*
*Martyris fortunati,*
*Felici ne tormenti*
*Fra le pene beati*
*Fate del cie'o acquiſto*
*Vittime offerte in Sacrificio à Chriſto.*

*S. Petr. Chryſol. ſerm. 152.*

*Chriſtus non deſpexit ſuos milites, ſed prævenit, quibus dedit ante triumphare quam vivere: quos fecit capere ſine concertatione victoriam: quos donavit coronis, antequam membris: quos voluit virtutibus vitia præterire: ante cælum poſſidere, quam terram: nec ante humanis inſerere, quàm Divinis. Præmiſit ergo Chriſtus ſuos milites, non amiſit: recepit ſuas acies, non reliquit.* Hactenus Sanctus Petrus Chryſologus, & poſteà ſic concludit: *Beati, quos Martyrio natos vidimus eſſe, non ſæculo: Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mœrores in gaudium commutarunt.*

Sanguinis veſtri reflexis radiis facti eſtis corpore glorioſi & nomine illuſtres. Vulnerum faſciæ ſpolia ſunt, quæ ab Hoſte barbaro reportaſtis, & in ſuperbiſſimo crudelitatis capitolio, meritorum virtute jam triumphatis. *Eſtis periti laude, qui fuiſtis imperiti ſermone.*

*Glorioſè Fenici*
*Che per la via di latte al Ciel' volate.*
*Pargoletti felici*
*Ch' il Bambino Gieſu vivo ſerbate.*
*Voi ſete del Martyrio i primi fiori.*
*Del voſtro Redentor voi Redentori.*

At cum in exordio de aqua & luce cœptum ſit, ne finis jam à principio diſcordet, de aqua & luce reſumpto verbo finiamus: & quandoquidem dictionis meæ lumen ad extremum venerit, ſitque jam propè extinctum, vos interea charitatis ignem in cordibus veſtris accendite, & eleemoſynæ vaſe, argenti aquam infundite, ut ſic opis veſtræ cymbâ pauperes erepti ſint ex calamitatum naufragiis, quæ miſeris illis impendent & minantur.

## PARS SECUNDA.

QUis fuit (NN.) ille ventus, putatis, qui tantæ crudelitatis in corde Herodis flammam accendit, ut tam ſedulò & ſollicitè puerum natum quæreret, & trucidaret inventum? Ambitione intumuit, aſpirans ſibi Regium nomen fulcire, quod à Chriſto recens nato auferendum timuit. (Cum eſſet Herodes ambitioſus, (ait Dionyſius Carthuſianus) formidavit regno privari, & velut alienigena à populo Judæorum cui prius Rex natus eſſet, repelli. Sic gemini Jacob & Eſau in utero matris luctabantur, quia alter alterius oppreſſione Regium ſibi thronum affectabat. Nunquid ambitione lapſus eſt Romulus, cùm, ut ſolus ipſe Romanorum Regnum obtineat, Remum fratrem occidit? Et quid non patravit Julius Cæſar, ubi eum ambitionis æſtus abſorbuit? Lucanus deſcribit. (Ille Tyrannus Julius Cæſar, quare univerſum mundum

*c. 2. in Matt art. 4.*

*Tit. Liv. lib. 5. l. 5.*

conturbavit, tantamque humani ſanguinis multitudinem effudit, niſi ut totius orbis imperium ſibi vendicaret?). Multa ſcelera in mundo & flagitia fiunt, verum eſt; ſed quorum omnium ambitioſus ſit conſcius, iiſque maximè contaminatus. (Omnia profectò in pace conſiſterent, ſi hominem imperandi cupiditas non teneret) Ambitio Tyrannum exſtimulat, cùm occidendo paucorum odia extinguit, ſed plurimorum fidem infirmat. Fallitur, dum ſic ad ſui amorem provocat, odium intimum in eos concipiendo, & perſequendo, quos ipſe offendit. Nobiles depreſſos tenet, & in ſola plebis abjectione gloriam ipſe venatur, Regii nominis exaltationem inde ſperando. Solem imitatur, qui magnatum eſt ſymbolum, ſplendore ſtellas omnes vincit ille, & adumbrat, dein aureis radiis vallium obſcuriſſima illuſtrat, etiam abditiſſima terræ viſcera penetrando ibique in ſummo fulgore eſt. Ut caput eſt infectum, humores noxios & venenoſos Nobilitatis cordi immittit ut enecet.

*D. Val. Epiſc. hom. 20. de Avar.*

Ambitio Regis Herodis, ut ignis eſt cordis medio recluſus, ſic ut ſcintillas ſuſcitet & iniquitatis peſſimæ flammas, quibus Filii Dei Majeſtatem & gloriam in cineres redigat, ſub pietatis apparentis umbra perfidiam contegendo. Verbo dicam: Ambitioſus ſuperiorem nunquam oculis feret. Quod veritus Herodes, tam execrandum facinus attentavit. (Hoc ad cæcam ambitionem & dominandi cupiditatem retulit. Severianus (inquit Ordinis Carmelitici doctiſſimus Scriptor.) *Quid enim non ambitioſus attentat? Quod crudelitatis genus non aggreditur?*) Crediderim ego, qui tales ſunt, electuros potiùs imperare in inferno, quàm alterius juſſis in cælo obtemperare; & malle in abyſſo dominari quàm apud Superos ſubdi imperio. Atque hoc modò videndum eſſe.

*Sever. ap. Th. Beauxã. Carm. t. 1. Harm. Evang. fol. 73. col. 4. l. 4.*

*Iſa. 14.*

Hæc locutus eſt verba Lucifer. *In cælum conſcendam, & ſuper ſolium Dei exaltabo ſolium meum.* Quid ergo Lucifer prætendis? Alchimus Avitus interpretatur:

*Divinum conſequar ipſe*
*Nomen, & æternam ponam ſuper æthera ſedem*
*Excelſo ſimilis, Summo nec viribus impar.*

*Alc. Avit. l. 2. in Biblioth. vet. PP. tom. 6.*

Dicite, ubi tunc erat Lucifer, cùm hæc protulit verba? in cælo Empyrio, altiſſimo omnium loco. Quare ergò ſic dicit: *in cælum conſcendam*, quaſi verò in cælo ſit inferiori, & excelſius velit? At verò ſi cælum non detur altiùs, quomodo ait, *Conſcendam*? Hæc (ni fallor) ejus mens fuit: Fateor, in cælo ſum Empyrio: quia tamen hic ſubmittendum eſt & obediendum, certè non pro cælo mihi eſt, imò potiùs infernum experior. Infernum ergo malim, ubi loco quidem inferior ero, ſed tamen imperare tunc potero, eritque meum hoc cælum, ſubditum non eſſe, ſed ad libitum dominari. O verè diabolica ambitio! Sicut Societatem illam ſanctam (inquit S. Alred.) in qua regnaturus erat Chriſtus, cælum videt nominandum, ita ipſos, in quibus dominari affectat, ſuum cœlum arroganter appellat.) Et (ut ſcribit Hiſpanicè Author) (de tal manera le cegò el apperito de mandar, que quiſo mas ſer Principe de las tenebras, que eſtar en el cielo ſuieto al Hijo de Dios encarnado, teniendo eſto por tormento. y aquello der deleyte) Erat in Judæa Herodes & videns Chriſtum, quem timebat fore ſuperiorem, ne ſubditus cogeretur obtemperare, plenus ambitionis æſtu, Chriſto mortem inferre molitur, cùm & tot Innocentes crudeliſſimè occidit. Captare ſtuduit hâc viâ ſubditorum affectum & reverentiam, oblitus, crudelitatem amori & virtuti non convenire.

*Serm. 17. in Iſa apud Chriſtoph. Avendano Carm. ſer. de S. Aug. diſc. 2.*

*Oſor. Dom. 3. Adv. fol. 2.*

Sub mentito Religionis habitu locutus, *Ite, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum*, tradere Chriſtum morti nitebatur. *Quærebat puerum ad perdendum eum.* Solet namque ambitio proditionum eſſe origo. Credere ſereno vultui ac placido, qualis erat Herodis, periculo ſubverſionis nunquam vacat. Cùm ſubſidunt fluctus & pacatum eſt mare, tunc vel maximè formidanda tempeſtas. Ambitioſus deſpectum ſe advertens (prout à Magis factum Herodi) ad iram convertitur & ad ulciſcendum incitatur. Nec eſt quod ab Ambitioſo aliud expectes, quàm technas & dolos.

*Matth. 2*

Verum ergò eſt, & apertiùs adhuc colligi poterit ex Evangel. S. Matth. ubi ita Chriſtus Diſcipulos alloquebatur: Hæc mihi gravis incidit cogitatio (ô Dilectiſſimi mei!) nutrire me lacte Divinæ gratiæ lupum unum, qui per ſimulationem amicitiæ nefariè me prodet hoſtibus & illorum manibus moriar. Prô dolor! Quantus hîc cordi meo cruciatus! *Vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Vos jam poteſtis (NN.) animis veſtris perpendere, an non fuerint verbis iſtis conſternati, conterriti & afflictiſſimi Apoſtoli. Mira quædam excogitârunt media ſciendi, quis illorum tantum auderet ſcelus; Ideò ſolùm, ut perſuaſionibus & minis ab execrando hoc crimine impium iſtum deterrerent. Hinc, ut ſcribit S. Lucas, ſtatim *facta eſt contentio inter Diſcipulos, quis eorum videretur eſſe major.* Cajetanus ſic interpretatur:

*Matth. 26*

*Luc. 22.*

natur: (Poſt turbationem Diſcipulorum, audito quod unus eorum foret proditor, obrepſit ambitio; occaſione acceptâ, ex eo quod inceperunt tunc cognoſcere, quod in veritate Jeſus eſſet occidendus, & propterea contendunt de Primatu.) Credideram ego, convocatos ad ſcrutinium, ut proditorem detegerent, & à propoſito iniquiſſimo retraherent; ſed tamen ſollicitè indagant, ut innoteſcat ambitioſus ille, qui Primatum, avidè prætenderet, poſt Chriſti mortem q. v. d. Noſtrûm aliquis primam ambit dignitatem, & modò nobis conſtet quis ille ſit, proditorem eſſe ſciemus. Ambitioni enim proprium, & omninò eſt inſeparabile, proditionibus & perfidiis inſidiari. Ambitioſum oſtende, ilicò monſtravero traditorem; nam, ut dixi, ambitio perfidiæ eſt mater. (Non poterant Diſcipuli excogitare, nec credere, in eorum gremio eſſe aliquem, qui tam flagitioſum ſcelus aggredi auderet, unde ſcilicet Magiſtrum traderet, niſi tantùm ille, qui major omnibus eſſe vellet) Did. Stella.

De multis apud Cæſarem accuſabant Archelatum Herodis filium, inimici ejus, quâcumque poterant viâ malignando, & quamvis non in omnibus eſſet ipſe culpabilis, ad culpam tamen non pauca imputabantur, eo ipſo quòd ambitionis vitio laborare deprehendebatur. (Credibilia videbantur (ſcribit Philo. Hebræus) propter naturam ſui, quod fieri poſſe judicabant à juventute, tum ab accenſa regnandi cupiditate.) Si ab Anatomico interiora ambitioſi ſingula oſtendantur, ſentina vitiorum videbitur. Audite quomodo id verum probet S. Petrus Chryſologus in perſona Herodis. Ille, (inquit) *quia ambitioſus, Magiſter mali, miniſter doli, iræ artifex, inventor ſceleris, impietatis author, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ, malus omnibus, ſuis peior, peſſimus ſibi, quem Chriſtus, non ut evaderet, ſed ne videret, aufugit.* Ant. l. 17. cap. 14.

Divus Chryſoſtomus diſertè his verbis confirmat: *Ambitio docet id, quod natura non novit, cupit, quod pietas abhorreſcit; audet perficere, quod novo ſupplicio Deus cogatur vindicare.* Accedit S. Bernardus & ait: *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocryſis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languores.* Quid non audet ambitioſus & aggreditur, ut ſceleratæ mentis deſideria peſſima exequatur? Reveretur, inclinat, idololatra fit, (*Vt & ego veniens adorem illum.*) & in agnum mitiſſimum transformatur: modò canis rabidi inſtar frendent, & crudelitate agit, ut finem perverſum aſſequatur. *Quærit puerum ad perdendum eum.* Hoc juris peritorum dicto excitatur. *Modus non curatur, dummodò effectum habeamus.* Hom. de Abſ. patrem perſequent. Ser. 6. in pſal. 90.

Fugite igitur, Fideles omnes, fugite & ab ambitione non minus quam à morte cavete. Quòd ſi ambitionis gradu aſpiratis ad honoris apicem, periculum incurritis æternæ infelicitatis, à qua vos Deus præſervet, & à peſtilentiali ambitionis malo eripiat.

Ite in pace.

***

# DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

## ARGUMENTUM.

Expenditur in hoc Diſcurſu, ſitnè conjugatis optanda magis ſterilitas, an fœcunditas; annè præſtet habere liberos, nec ne. Filiorum erga parentes debitum proponitur, & quanta debeat eſſe parentum cura in illorum educatione, ne filii luctûs ſint, breviter perſtringitur.

## THEMA.

*Et erat Pater ejus & Mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo: & benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam Matrem ejus: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* S. Luc. cap. 2.

QUærebat olim Euripides, quid foret conjugatis meliùs, fœcunditas, an ſterilitas, liberos procreare, nec nè: & utrimque diſcuſſis maturè rationibus, tandem ſic prudenter aſſeruit.

Euripides.

*Dubius equidem ſum, neque dijudicare poſſum,*
*Vtrum melius ſit, progigni liberos*
*Mortalibus, aut ſterili vitâ frui.*
*Iſtos enim, quibus liberi non ſunt, miſeros eſſe video;*
*Econtra illos, qui prolem genuerunt, nihilo feliciores:*
*Nam, ſi mali fuerint, extrema calamitas eſt:*
*Rurſus, ſi probi evadant, magnum pariunt malum:*
*Affligunt enim genitorem, dum, ne quid patiantur, meruit.*

Exiſtimet quiſpiam primâ fronte, nil eſſe fœcunditate deſiderabilius, & genuiſſe liberos optimum, quod priſcorum ævo ſterilitas mulieribus opprobrio verteretur. Ideò enim Rachel querens & gemens, conjugem ſuum Jacob frequenter deprecabatur: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* (Gen. 30.) Agrippina in tantum gaviſa eſt, filium ſe peperiſſe, ut lubens mortem oppeteret ab ingratiſſima ſobole inferendam, modò ſaltem vel breviſſimo tempore Mater dici poſſet. *Occidat, modo imperet.* Anchiſes ſenio jam factus gravis, ab Ænea filio auxilium accepit & magnum ſolatium, cùm humeris ab eo efferebatur ex Trojano incendio, ut refert Claudianus:

*Quod ſi notus amor provenit in aſtra Lacones.*
*Æneam Phrygio raptus ab igne pater.*

An non magnus erat Filiæ iſtius amor, quæ Matrem, tanto tempore carcere detentam lacte proprio enutrivit & conſervavit, fame aliàs eneccandam ex ſententia Judicis? (Quod dum Judici innotuiſſet, matri donavit vitam, admirans filiæ pietatem.) Cornelia Romanæ Urbis matrona ſpectatiſſima ingenuè fatebatur nil ſibi carius in mundo, nil eſſe pretioſius, quàm liberos, eoſque theſauri loco. Et verè ut dicam, vir & uxor ſine liberis, quid ſunt aliud quàm duæ plantæ ſine fructibus? (Valer. Max de piet. lib. erga parentes Plut. Arẏ c. 39.)

Audire tamen adverſæ partis rationes hîc lubet. Agar, quàm ſolicita fuit pro Iſmaele nato & quàm afflicta? (Gen. 21.) Quis occidit Regem Sennacherib certè alius nemo, quàm Adramelech (4. Reg. 19.)

&

*Joan. Rav. Text. de amore parentum in liberos. Idem ubi ſupra Catullus.*

& Saraſar proprii ejus filii. Autolia Laertæ uxor, cùm falſo nuncio intellexiſſet Ulyſſem filium apud Trojam in bello decubuiſſe, impatientiâ mœroris vitam projecit. Gordianus ſenex auditâ filii morte, ſeipſum laqueo ſuffocavit. Theſeus Ægeo patri mortem acceleravit, cùm occiſo Minotauro, opeque Ariadnes à labyrintho eductus, paternorum monitorum immemor, nigro in Patriam velo tevectus eſt; cùm tamen albo, in ſignum victoriæ, debuiſſet: quod eminùs è ſpecula intuitus Ægeus, filium interiiſſe ratus, doloris impatientiâ ſeſe in mare præcipitem dedit. O quàm benè & verè dixit Tertullianus? *Amara eſt liberorum voluptas.* Habere liberos ſolamen ſi quod eſt, miſcetur luctu. Idcircò Veritas ipſa mulieres laudat ſteriles: *Beatæ ſteriles, quæ non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* Et ſi quando parentum labores & moleſtias allevient filii, infortunia magis poſtmodum gravant; ut meritò dixerit Auguſtinus: *Si natos non habes, age gratias Deo.*

*Luc. 23.* *In Pſ. 127.*

Adeſte oculis, & mentis aciem parum intendite in rupem cordium Joſeph & Mariæ, videtis modò anguſtiis premi, modò conſolationibus erigi & Jeſu Filio recreari. *Et benedixit illis Simeon:* ecce gaudium. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius:* ecce triſtitia. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam:* iterùm ecce mœror. *Et in reſurrectionem multorum:* ecce ſolamen. *Puer autem creſcebat & confortabatur plenus Sapientia, & gratia Dei erat cum illo.* Et quid, obſecro, poſſit ab illis jucundius aut plauſibilius excogitari? Verùm quidem eſt; ſed quid additur? *Poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur.* Afflictio turſus hæc tanta eſt, ut ad mortem uſque parentes dejiciat.

*Luc. 2.*

Dicite modò, filii, an parentibus gaudium, an verò mœſtitiam dare velitis. Non dubito, quin pro affectu filiali & gratitudine debita, omne levamen & ſubſidium conferre conabimini, ſi ad hæc obligationem eſſe maximam ſciatis. Et hoc facilè quidem adimplebitis, ſi obedientiam, honorem & auxilium illis deferatis, juxta monitum Archiepiſcopi Florentini, qui ſic ait: (Parentes tripliciter ſunt honorandi, ſcilicet obedientiam faciendo, reverentiam exhibendo, & in neceſſitatibus ſubveniendo) Accedit Ludolphus à Saxonia. (Filius multa debet parentibus, obedientiam in honeſtis, reverentiam in verbis, & honorem in operibus.) In hoc Jeſu parvuli imitatores vos eſſe velim, qui tametſi Deus eſſet, obedientiam, reverentiam & ſubſidium præſtitit Mariæ Matri & Joſepho.

*D. Ant. q. p. tit. 5 t. 9. §. 1. & 2. Ludolph. Carthuſ. p. 1. c. 15.*

Nolim tamen (NN.] ut fœcunditatem, de qua exorſus ſum, ægrè in me feratis, neque de ſterilitate veſtra conquerar. Intereà igitur quo lingua fœcundus ero, vos eſte ſteriles ſilentio & attentione.

## PARS PRIMA.

Filiorum eſt, ne parentes mœrore afficiant, illos honorare. *Obedientiam faciendo.* In quocumque ſit ſtatu, ætate quavis aut conditione filius, obedientiam genitoribus ſemper debet. (Ab obſequio & obedientia parentum quovis aut dignitatis, aut divitiarum, aut magnæ familiæ prætextu, eximere ſe non poteſt.] Unde ſic gloriari ſolitus Seneca: (Imperio parentum meorum, ſive æquum, ſive iniquum fuerit, obſequentem ſubmiſſumque me præbui: ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer.) Quando filiis ſtatuit Deus quomodo ſe erga parentes gerant, ait: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam*, uſus hoc termino *Honora*, eo, quòd timorem honor præſupponit & amorem, quorum hic à voluntate, iſte ab intellectu procedit. Quiſquis timet, etiam obedit: qui amat, ſuccurrit ille & in neceſſitatibus auxiliatur, Deus bone! quantam in S. Scriptura conſecutus eſt laudem Iſaac, cùm patri obedientiam præſtitit & filialem amorem? Quantum econtra Abſoloni hoc dedecus, imò æternum, patri reſiſtere, vi & armis perſequi? Cain etſi omnis pietatis ſit expers, numquam tamen eſt auſus Abelem fratrem occidere in conſpectu parentum, ſed antea foras eum alliciens, inquit: *Egrediamur in agrum,* ne parentes videant, & triſti hoc ſpectaculo affligantur. Eſau tametſi malignitatis & odii peſſimi veneno eſſet infectus, itaque incenſus in fratrem, quòd benedictionem ſurripuiſſet, vindictam tamen diſtulit, neque ante mortem patris quidquam attentavit. Dicebat quidem: *Venient dies luctûs patris mei, & occidam fratrem meum.* Sed coràm patre ſemper ſe cohibuit. Hoc ego crediderim, ſi tam Adam quàm Iſaac filios ſuos vidiſſent tam enorme crimen patrantes, eoſque abſtinere juſſiſſent, uterque deſtitiſſet, quantumque etiam eſſent perverſi, ad obedientiam parentibus debitam reflectendo.

*Thom. Beaux. Carm. tom. 1. Harm. Evang. fol. 78.* *Seneca 3. de Benef. cap. ult.* *Deut. 5.* *Gen. 22.* *2. Reg. 17.* *Gen. 4.* *Gen. 27.*

Narrabat Joſeph ſomnium nocte præcedente habitum, & auſculantes, quotquot domi erant, *pendebant ab ore.* Somnium inquit, mirabile: Videbar eſſe vobiſcum in agro, fratres, quemque noſtrûm in meſſe laborare manipu-

los colligando, & manipulo meo reliquos veſtros inclinari, quaſi obedientiam exhibendo. Gen. 37. *Putabam me ligare manipulos in agro, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Et quamquam ægre id tulerint fratres interpretatione propoſitâ, *Nunquid Rex noſter eris? aut ſubjiciemur ditioni tuæ?* nihilominus pater & mater non curabant; quin imò gaviſi ſunt intelligentes ex ſomnio filium illum, quem plus cæteris diligebant, (*Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos,*) dominaturum, & reliquos omnes illi obtemperaturos.

Expoſito primo hoc ſomnio, ſecundum addidit. Audite: aliud quoque habui ſomnium. Cælum intueri videbar, & in eo ſtellas undecim, quæ ſimul cum ſole & luna cultum mihi deferebant, adorando quaſi obedientiam promittentes. *Vidi ſolem & lunam, & ſtellas undecim adorare me.* Et hoc patrem commovit, ægrèque tulit, quare acriter objurgavit: Quid hoc eſt, audacule? Somnies, necnè, nolo ſic effutias. Pudeat referre talia: & niſi deinceps abſtineas, promitto tibi, non impunè facies. *Increpavit eum pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium quod vidiſtis?* Notate dicentem *hoc*, non *illud ſomnium.* Loquitur ergò de ſecundo. Sed cur de ſecundo hoc arguit, & non de primo? non enim video differentiam, niſi fortaſſis in ſignificatione vocum, quia per ſpicas intelligimus terrenos fructus; per ſtellas ſolem & lunam ſigna cæleſtia denotantur. Per ſomnium primum volebat innuere ſe fore à fratribus aliquando adorandum: ſed per ſecundum, etiam ſolem & lunam, id eſt, patrem & matrem ſibi ſubjiciendos & obſecuturos intellexit. *Nunquid ego & mater tua adorabimus te?* q. v. d. Quomodò? Egóne jam, cùm ex ſolo ſenectutis intuitu apud omnes paſſim venerabilis ſim, eò redigar, ut ſubſim tibi, qui filius meus es? Tace, neque deinceps facile quid ſimile proferas: nam etſi Rex eſſes aut Imperator, adhuc patri & matri obedientiam deberes & honorem. Lib. de Ioſeph. Philo-Hebræus ita docet: (*Viſus eſt videre ad ſe venientem Solem, & lunam, & ſtellas undecim,* quod pater miratus, in mentem recondidit, de eventu præſagii ſollicitus: graviter autem objurgavit filium, timens ne quid ille peccaret. Poteſtne, inquit, fieri, ut pater materque adoremus te? Nam per ſolem patrem, per lunam matrem ſignificare videris, quod cave ne unquam tibi in mentem, mi puer, veniat: trade potius oblivioni viſiones illas nefarias.

Adeſte, Filii, & obedientiam parentibus debitam ex actionibus Chriſti addiſcite. Cum penderet in monte Calvariæ crucifixus Redemptor, viderunt Phariſæi ſpectaculum, & obdurato manent corde, nec commiſerantur: vidit & turba & ita Chriſtum allocuta eſt: *Si Filius Dei es, deſcende de Cruce, & credimus tibi.* Luc. 23. Matt. 27. Marc. 15. q. d. Jactaſti millies eſſe te Dei Filium, neque hactenus credibile id nobis viſum: quia, ſi Filius Dei eſſes, haberes eandem Divinitatem, & conſequenter etiam Deus eſſes; ſed cùm realiter ſis à Genitore diſtinctus, non ſecus ac inter nos diſtinctus à patre filius; hinc ſequeretur non modò unum eſſe, ſed duos realiter inter ſe diſtinctos Deos, quod à fide noſtrâ alienum eſt, & ut falſum reſpuimus: nihilominus ex pacto & convento, credimus te verum Dei Filium, ſi miraculo hoc novo oſtendas, deſcendendo de cruce.

Audis, Domine? Occaſionem commodam habes ad fidem convertendi Hebræos, tot jam feciſti miracula, majora quidem; hoc unicum adde: ſine tuo detrimento id poteris, illiſque ad ſalutem proderit. *Quod tibi non nocet, & alteri prodeſt, facile eſt concedendum.* Tex. in lib. Sicul cap. de Servit. Sed tenuit Sapientia increata, neque voluit de Cruce deſcendere, licet alia facilè indulſiſſet, & plura miracula patrâſſet, exorari hic non potuit, ut annueret. Scriptores ſacri diverſas adferunt rationes. Theodoretus: *Diabolus movebat illos ad dicendum, quod de cruce deſcenderet; quia noverat, quod ſalus fiebat per crucem. Rurſus ingerebat ſe ad tentandum Chriſtum, ut, ſi à cruce deſcenderet, certus fieret, quod non eſt vere Filius Dei, & ſic ſalus, quæ per crucem eſt, deſtrueretur.* S. Chryſoſtomus: *Sed è contrario quia Filius Dei eſt, ideo non deſcendit de cruce: nam ideo venit, ut crucifigeretur pro nobis.* Serm. de Paſſ. Rabanus: (Si autem tunc de cruce ſurgeret, inſultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonſtraret; ſed expectaret paululum, irriſionem ſuſtinuit; qui de cruce ſurgere noluit, de ſepulchro reſurrexit.) Rabanus Maurus. S. Hieron. *Fraudulenta autem eſt promiſſio cum addunt: Et credimus ei: Quid enim plus eſt, de cruce adhuc viventem deſcendere, an de ſepulchro mortuum reſurgere? reſurrexit, & non credidiſtis, ergo etiamſi de cruce deſcenderet, non crederetis.* denique S. Bernardus ita concludit: *Noluit deſcendere, ne deſcenderet ſibi, ſed moreretur mihi.*

Aliter reſpondent alii & magis ad noſtram mentem, Chriſtum eſſe à Patre æterno ad hæc terrena miſſum, ut in cruce moreretur pro redemptione noſtra; at verò ſi de cruce veniſſet, neque

neque mortuus fuiſſet: paternæ voluntati ſic non
obedíviſſet; ut ergò ſe Filium obedientem de-
monſtret, in cruce expirat, neque cupit deſcen-
dere.

Et ex quo, putatis, concluſerunt Hebræi eſſe
Matt. 27. Dei Filium, dicentes. *Vere Filius Dei erat iſte,*
Marc. 15. niſi quia viderunt obedientem Patri? Si autem
deſcendiſſet, ex ipſa inobedientia argumentum
duxiſſent, non poſſe eum eſſe Filium Dei. (Vi-
Io Pinna tom. 1. cit, ut parerat, obedientia paterna pravitatem
Judaicam. verùm ſi illi ſanâ mente, Chriſti fa-
ctum penſâſſerit, multò fortius argumentum ex
hac obedientia Chriſti erga Patrem haurire po-
tuiſſent, ad confirmandam Divinam Chriſti
Filiationem.]

Atque hæc Filiorum ad obediendum tam
ſtricta eſt obligatio, ut, ſi pater vel mater quid-
piam præciperet, quod ſine incommodo ſuo
& detrimento non perficerent, obtemperare
nihilominus indilatè & alacriter teneantur.
Gen. 37. Quandoquidem obedientiæ ſpeculum ſit Jo-
ſeph, factum aliud expendamus æternâ me-
moriâ dignum. Accerſit eum pater ejus Jacob,
jubetque ut ad agros pergat, & de fratribus nun-
cia referat. Joſeph ilicò patri obedit & ſe dat
itineri. Dicite (NN.) nunquid illi conſtabat de
odio concepto ex ſomnio quod eis narraverat,
& de machinatione in ejus internecionem? an
non adverterat illorum indignationem & ad
vindictam concitatos animos? ſciebat om-
nia, & ad hæc ſimplicitatem ſuam, atque im-
potentiam, ut illorum malignationem effuge-
ret. Dixiſſet ergò, & licitè, non expedire, ut
eos ſolus accederet, ſed mittendum potiùs fa-
mulum domûs aliquem, eò quod à fratrum o-
dio grave ſibi malum timeret, uti poſteà fa-
ctum, cùm illi mortem intentârunt, deinde Iſ-
maelitis vendiderunt; quod non eveniſſet, ſi
foras egreſſus non eſſet; ut patris obedientiam
adimpleret. Abſit (inquit Joſeph) pater meus
ipſe jubet, nil moror, nec tergiverſari fas eſt, li-
cet mille etiam mortes immineant cùm patris ex-
equor juſſa, ad vitam eo. *Quia Ioſeph fertur ad*
In Scala Parad. grad. 4. *audita exequenda, non examinanda.* (concludit
Joannes Climacus:) *Verus enim obediens ſolas au-
res habet ad audiendum, non autem oculos apertos
ad videndum.* Talem eſſe convenit omnem Fi-
lium erga patrem.

Ageſilao injunctum eſt à patre, ut ſententiam
proferret in favorem Thaletis cujuſpiam, & ni-
hil filius contradixit, etiamſi contra rationem
contra leges facturum ſe ſciret. (A te, mi pater,
(*inquit*) jam inde ab initio edoctus ſum legibus Plutar-
parere: itaque etiam nunc tibi obtemperabo, ni- chus.
hil in leges peccando.) Malè factum exiſtimabat,
non impingere in leges, ut non delinqueret con-
tra paternum mandatum.

Expertus eſt cum diſpendio vitæ Steſumbro-
tus (non minùs quàm Marſyas qui ab Apolline
excoriatus) quàm periculoſum ſit & pernicio-
ſum, non obedire: huic enim præceperat Epa-
minondas Dux Thebanorum, ab exercitu evo-
catus, ne ullatenus cum Spartanis ad conflictum
iret. Hoc ſciverunt hoſtes, indeque occaſionem
arripuerunt ad certamen provocandi in abſentia
Epaminondæ. Steſumbrotum abjecti animi mi-
litem & degenerem eſſe exprobrabant, ſi non in
aciem, citatus veniret. Quid faceret ipſe? Exer-
citum collegit ad pugnam & victor evaſit. Intel-
lexit Epaminondas, nihil curans, filium cum eſ-
ſe, decollari mandavit, ut qui patri fuiſſet inobe-
diens. (Spartani ejus abſentiâ cognitâ, juveni Creſiph. 3.
timiditatem exprobraverunt: quod ille indignè ret Plut.
ferens, oblitus paterni mandati, pugnam con-
ſeruit, & vicit.) Pater autem ei coronato collum
abſcidit.)

Idem fecit Manlius vocatus Imperioſus, filio
ſuo Tarquinio, quia renitente patre Samnitibus
bellum indixit & victoriam retulit. Conviciis
juvenem irritârunt & ad prælium elicuerunt: ex
eo is victor diſceſſit; pater autem cum ſecuri pe-
cuſſit; & ideò ſolum, ut dixi, quia in hoc patri fuit
inobediens. Unde nunquam auſus eſt Tiberius
ſe matris voluntati opponere.

Quid de obedientia Cariolani jam dicemus? D. Ant.
De invicto hoc milite ſcribunt plerique, è civi- Arch. Flor.
tate pulſum à Romanis, & exilio relegatum inter p. 1. tit. 4.
Volſcos, arma ſumpſiſſe contra patriam, ut il- c. 5. §. 13.
latam injuriam ulciſceretur. Exercitum con- Ariſtid.
gregavit & urbem Romam obſedit, atque tot Mileſ.
anguſtiis preſſit, ut ex conſilio Senatus ad Co- Plut. Virg.
riolanum legatus expediretur de conventione l. 8. Liv.
acturus, aut pace ineundâ, ſed repudiatus eſt, l. 8.
neque fuit auditus. Secundò idem evenit. Tan-
dem Sacerdotes mittuntur, ac fruſtrà Quid ergò?
ad Victoriam matrem accurrunt ſupplices, ut illa
pacem à filio impetret: Illa annuit & natum his
verbis aggreditur; (Potuiſti populari hanc terram Apud Ro-
quæ te genuit & nutrivit? Si ego te non pepe- bert. Ep.
riſſem, Roma non oppugnaretur: Si filium non Aq. ſerm.
haberem, libera in patria mortua eſſem.) Hæc 54. cap. 1.
dicta matris Coriolano fuerunt expreſſa manda-
ta, ut ne vel momento unico matri reſiſteret,
promptiſſimè obedivit arma deponens & ca-

nens receptui, Patriam ab obſidione liberat, atque ad matrem Victoriam converſus in has erupit voces: (Expugnaſti & viciſti iram meam. Patriam ego utero tuo dono. Recordatus fuit ergo Coriolanus, quantum matri debebat, in cujus utero ſuſcepit eſſe.)

*Valer. Max. de pietate liber erga parentes.*

Ut parentibus filii mortem gerant, poſtponendum eſt quodvis proprium commodum, & partialis omnis inclinatio devitanda. Sententia eſt Creontis; (Sic oportet, filii, ſentire ex animo, paternæ voluntati omnia poſtponenda eſſe.) Sed prô Superi! quanta hoc ævo noſtro liberorum impietas, qui ne dum patri & matri non obtemperant, verùm ipſimet ad obediendum ſibi parentes cogunt, & per fas nefaſque in ſuam ſententiam cogunt invitos, nihil curantes ſitnè contra conſcientiæ dictamen aut etiam Legis Divinæ regulam! Qui hujuſmodi ſunt, plus dixerim monſtra quam homines, cùm ſic ab hominum more degenerant, vitiis enormibus deformati.

*Creon: apud Sophoc. in Antig. v. 650.*

Præter obedientiam, parentibus honorem debent liberi, utpotè quibus in univerſo orbe nil ſit charius. Pindarus interrogat: *Quid eſt charius bonis viris, quàm venerandi parentes?* Alexander pluris faciebat unicam Olympiæ matris lachrymam, quàm ſexcentas Antipatri litteras. Quod nos ad Deum honorandum & reverendum obſtringit, idem ſuò modò ad venerandum parentes obligat, juxta mentem Doctoris Angelici. Audite rationem. *Deus honorandus eſt ſicut principium noſtri eſſe, & quia parentes ſunt etiam principium noſtri eſſe; quia, ut dicitur, tria habemus à parentibus, ſcilicet eſſe, vivere, & diſciplinam; ideo conveniens eſt, ut poſt mandata ordinata ad Deum, primum eſſet ordinatum ad parentes.* Atque hoc primum eſt ſecundæ tabulæ præceptum. Regi Ptolomæo ſcire volenti quo modo parentibus gratiam referre poſſet acceptam, reſpondet ex Septuaginta Interpretibus unus: *Si nulla in re illos triſtitia afficias.* Si ita eos honores & revereatis, ut nunquam affligas; quia bene dictum eſt, *Valde ſunt amandi, piè timendi, & promptè obediendi.*

*Plutarch.*

*D. Thom. Epiſt. ad Epheſ. c. 6. lect. 1.*

*[illegible]iſt. q. 33*

Tanti pendit Deus honorem parentibus debitum, ut inter præcepta Decalogi, quæ ad creaturas ſunt, primum haberetur & præcipuum *honorare parentes.* Unde benè obſervat quidam Author, Deum tradidiſſe Moyſi præcepta duabus diſtincta tabulis; quarum prima continebat ea ſolum quæ Dei cultum ſpectabant. *Non habebis Deos alienos coram me. Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum. Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.* Atque tria iſta erant primæ tabulæ; reliqua ſecundæ, & inter illa primum hoc. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Quæſtio nunc oritur, quam ob cauſam voluerit Deus ea eſſe diſtinctè inſcripta duabus tabulis? Nunquid una ſatis, quæ ſimul omnia complecteretur? Sed tamen gratis demus, duabus tabulis debuiſſe diſtingui, ſaltem ea poſuiſſet æquali numero, quinario ſcilicet in una tabula, quinario in altera, Reſpondent Authores, eam feciſſe diviſionem, ut inde quilibet ſciret, poſt præcepta ad Divinum cultum immediatè ordinata, primum eſſe ac principale, *Honorare parentes.* Bene rem tetigit temporis noſtri Eccleſiaſtes. (Cùm eſſent decem, (ait ipſe,] cur quinque in una tabula & quinque in altera non deſcripſit Moyſes, ſed tria in priori & ſeptem in altera? Noluit Dominus æqualiter illa diſtingui in quinque & quinque, ut agnoſceretur excellentia præcepti paterni amoris; & ideò voluit ut primum in ſecunda tabula eſſet hoc patris & matris, tamquam excellentius & nobilius cæteris.)

*Angel. Vanius. in Diction. Theol. circa decem præcepta.*

*Exod. 20.*

*Gorus ſer. 4. Dom. Quadrag.*

Præcepti hujus obſervantiſſimus Samſon. Cùm ex patriis ille ædibus in Thannata decederet, matrimonium contracturus cum Dalila, in platea irruit leo ferociſſimus, rugitu & oculis exterrens, faucibus inhians ut in fruſtra diſcerperet obvium, effuſo ſanguine ſitim extingueret, & carne ventrem ingurgitaret. Samſon autem nil conſternatus, intrepido luctatur animo, manibus pedibuſque dejicere nititur, & feliciter facit. *Dilaceravit leonem quaſi hœdum in fruſtra diſcerpens, & hoc patri & matri noluit indicare.* Cur generoſum hoc factum parentibus non revelat? an fortaſſis illorum afflictionem metuebat? Fruſtrà iſte metus: quia honor filii, in parentum gloriam redundabat. Id mihi perſuaſum, idcircò celaſſe, quia honorem & reverentiam genitoribus debitam conſervare ſtudebat: ſi enim actum heroicum indicâſſet, fortiſſimum eſſe cognoviſſent, adeoque fortaſſis eum timuiſſent & à correptione abſtinuiſſent, quod ſine diminutione reſpectûs debiti fieri non poterat. (Noluit patri & matri indicare. Cur tam inſignem victoriam tam profundo ſilentio contexit? planè, ut mihi videtur, ne, ſi parentes tantas filii ſui vires, animoſque agnoſcerent, eum formidarent, proindeque ab eo reprehendendo, ſi opus eſſet, abſtinerent. Suas igitur vires occultare voluit, ne paternis increpationibus eximeretur.)

*Iudic. 14.*

*Mendoz. in lib. 1. Reg. cap. 1. v. 28. ſect. 3*

Quiſquis

Quiſquis filiorum patrem & matrem non honorat, omnibus fit exoſus, & tantum hoc opprobrium eſt, ut nemo in univerſo mundo velit commercium amicitiam aut affinitatem. Moribundus Patriarcha Abraham ſervum ſuum fideliſſimum Eliezer ad ſe venire juſſit, ut ultimam indicaret voluntatem; & ne eam exequi negligeret, juramento promitti voluit. *Pone* (dicebat Sanctus ille Senex) *manum tuam ſubtus femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terra.* (*Geneſ. 24.*) Oleaſter exponit: (Mihi videtur ſuppoſitione manus ſub femore, pacta firmari, in qua velut domus in columnis (quarum figuram præ ſe ferunt femora] totum corpus ſuſtentatur. Eſt ergo ſenſus: Pone nunc manum tuam ſub femore meo, id eſt, oſtende ſignum firmitatis juramenti, ponendo manum tuam in firmiori loco meo, ſcilicet ſub femore.) (*Oleaſter ad litt. adnot. in c. 24. Geneſ.*) Prudenter egit bonus Senex, cùm ab Eliezer priùs ſponſionem exigit jurejurando firmatam, quàm ei juſſum reliquit. Audiamus ergò quid velit: *Non accipies uxorem filio meo de filiabus Cananæorum.* q. d. Cum extremum vitæ reddidero ſpiritum, hoc, rogo, juratus addicas, te nunquam permiſſurum, ut filius meus Iſaac uxorem ducat, quæ ex ſanguine Cananæorum ſit oriunda. Mirum ſanè, adeò ſollicitum eſſe, ut jusjurandum requirat! Quid vidit unquam, quod in Cananæis ita diſplicuit? Cananæi non ſunt divites, honorati, & nobiles. Non video cur affinitatem hic timeat. Petamus ergò cum Oleaſtro quid moveat: (*Oleaſter in c. 24. Geneſ. adnot. ad morum compoſ.*) (Sed quid, bone Senex, times filium Cananæam in uxorem ducere? Nonne tu ſtatim Cheturam es accepturus? Laborant juſti nil agere, quod Dei promiſſiones poſſit impedire: ſimiliter non dare juveni occaſionem adorandi & colendi idola.) Sed de filiis & parentibus ſit ſermo. Antequam ad punctum principale deveniam, cum Oleaſtro hic obſervandum, Abrahamum oculatum fuiſſe & valdè ſollicitum in ſelectione puellæ, cui filius nuberet. (*Idem ubi ſupra.*) (Ubi docentur parentes qualiter laborare debeant, ut filiis conjungendis bonas uxores eligant, maximè quòd non ſint alterius ſectæ, quoniã facilè cõjugis animum ſeducit fœmina.)

Alii ideo prohibuiſſe ferunt, quia mandatum erat à Deo filiis Iſrael, ne genti iſti nuberent. *Dominus Iudæis prohibuit accipere filiis ſuis Cananæas uxores & eas ſibi conjungere.*

Sed ad rei noſtræ punctum redeamus, & locum alium Sacræ Scripturæ, qui tamen ad propoſitum faciet, aſſumamus. De Noe intellexiſſe vos ſæpiùs non dubito, agri & vineæ cultorem fuiſſe, vites plantaviſſe, uvas collegiſſe & vina. Die quodam, cùm intenſior eſſet ſolis æſtus, ipſeque ſiti plus ſolito cruciaretur, vina libavit & liberiùs genio indulſit, adeò ut vino illo generoſiori captus ſit (*Bibenſque vinum inebriatus eſt*) (*Geneſ. 9.*) ſomnoque gravatus obdormivit. Vidit jacentem nudatis membris Cham pater Chanaam, & convocatis fratribus, irridere parentem cœpit, familiariter cavillando & jocando cum probo Sene, reſpectum perdidit, *pudenda patris ſui* oſtendendo. Legunt alii inhærentes ſignificationi vocis Hebraicæ *harah* i. e. *nudare, diſcooperire*; volunt enim patrem jacuiſſe coopertis veſte membris, & audacem illum ac impudentem detexiſſe & irriſoriè fratribus commonſtraſſe *pudenda patris ſui*. Ut ut ſit, hoc præcipuè facto innuitur, Cham deliquiſſe, patrem cultu debito non venerando, ut meritò contemptus pœnas tulerit cum filio ſuo Chanaan cùm à Deo juſtè ſit maledictus. *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit, &c.* Oleaſter Interpres hîc ait: (*Oleaſter in c. 9. Gen. ad mor. adnot. c. 2.*) (Et ſi tantas pœnas dat puer, quòd fratribus patris verenda indicavit, quid illi fiet, qui in faciem injurii ſunt, quiq; percutiunt aut occidunt.)

A filiis iſtis Cham & Chanaan à Deo maledictis ob patris deſpectum oriundi ſunt Chananæi. Abſit hoc (inquit S. Patriarcha Abraham) ut cognationem habere cogar cum tam infami hac ſtirpe. Adeſdum Eliezer, & nunquam id permiſſurum promitte, ut quietè ſic moriar. S. Ambroſius his verbis confirmat: *Conſtrinxit eum, ut non de ſemine Chananæorum uxorem accerſeret Dn. ſuo, cujus generis author patrem non honoravit.* (*S. Ambr. c. ult. Abraham*)

Quantum ex parentum deſpectu oritur mali, tantum ex veneratione etiam boni. Mirum eſt, quod ab Ariſtotele refertur in Philoſophiæ compendio. De monte Ætna ſcribit, ignes evomere & incendio finitimas regiones invadere, agros vaſtare: arbores & homines etiam vivos, ſi non celerrimè fugiant, abſorbere. Accidit aliquando ut cùm darent ſe in fugam omnes, ne flammis extinguerentur, reſpexerint filii & viderint decrepitos parentes longè & retrò manſiſſe, neque poſſe viribus propriis aſſequi. Quid agerent? regreſſi ſunt, nec veriti trãſire per medios ignes, parentes eripuerunt & humeris exceperunt. Quis non mortalium exhorreſcat? quis non obſtupefactus intueatur ignem abſumentem omnes, exceptis his, qui, ut erga parentes eſſent pii & obſequioſi, vitam expoſuerunt; illos, inquam, flamma non læſit, nõ ſecùs ac ſi ænei fuiſſent; illos nõ tetigit favilla, ſed quaſi reverẽdo ceſſit & inclinavit.

*D. Hier de honorand. parent.*

Audite Filii, monentem Hieronymum: *Præbeatur patribus amoris mixta formido, qui primi ſunt nobis cauſa naſcendi. Exhibete patribus, filii, quod vos poteſtas paterni nominis cogit, quæ à Deo eſt eorum meritis attributa, ut ipſa de vobis exigat, quod natura jubere non potuit.* Pro matribus infrà ſic natos alloquitur: *Matribus quoque debitam impendite reverentiam, quæ vobis uteri livore ſervientes pondus corporis veſtri tolerant, atque ignotam portantes infantiam, famulatum quendam exhibent naſcituris.*

De filio narratur, falſis teſtimoniis convictum fuiſſe, & innocentem morte condemnatum ſententiâ iniqui judicis. Cùm jam in loco ſupplicii eſſet, coram omnibus de injuſtitiâ expoſtulavit, proteſtatus ſe non reum ſceleris impoſiti, moriturum tamen juſtè & meritò, quia, reminiſcor, ait, hoc in loco ſemel graviter offendiſſe matrem, adeò, ut facta ſit impatiens, his verbis imprecata: Faxit Deus, & hunc obteſtor, ut eo ipſo loco ſuſpenſum te videam, ubi in matrem eſſe impius & crudelis non erubuiſti. Non ſum mihi conſcius alterius criminis unquam perpetrati; quàm quod ſemel in matrem deliqui, adeò ut omninò mihi perſuaſum ſit, ideò ſolum mortis ſupplicio nunc puniendum. (O filii ſuperbi! exclamat Robertus) O filii parentibus noſtris inſultantes! O filii irreverentes, inobedientes & contumaces! timete paternam & maternam maledictionem; nam ſicut longa vita ſuperanda eſt ab illis, qui parentes honorant; ita & brevis vita & infelicitate plena à malis filiis eſt pertimeſcenda.) Et nunquid leges graviſſimæ minantur filiis, qui parentes chariſſimos non haberent, nec in honore, ut par eſt? Lex naturæ maledictionem æternam in illos fulminat: lex Divina perpetuis ignibus dignos pronunciat: lex Moſaica ſententiâ capitis damnat: lex civilis legitimâ hæreditate excludit. *Filius amittit hæreditatem paternam propter multa, utpote ſi gravem injuriam parentibus intulerit: item ſi parentibus ſuis manus intulerit.*

*Robert. Epiſc. Aquil. ſer. 54. c. 3.*

*Lex Imp. in Aut. coll. 8. rubr. ut cum de appell cognoſc. §. aliud quoque.*

Fatebor quidem, parentes ſenio reddi difficiles, graves & faſtidioſos, cum quotidianis querelis aures filiorum obtundunt, tametſi reipsâ & animo gratiſſimos eſſe plerumque contingat: nihilominus libenter feremus, ſi reminiſcamur hoc ſenectuti proprium eſſe, ſemper conqueri, & facilè ſuſpicionibus angi. S. Hieronymi verbis dicam: *Habet quandam ſenectus infantiam; ſolent utique ſenes eſſe tædioſi, ſuſpicioſi, queruli, immundi & in domo inutiles.* Quid inde? An ideo vilipendendi, aut aſperè tractandi? Cavendum eſt, inquit S. Doctor: *Non tamen propterea filii debent per impatientiam verbis illos exaſperare. Nemo parentes aſperis verbis lædat. Hoc filiorum ora loquantur, quod delectat parentes audire.*

*D. Hier. de honorandis parentib.*

Conſiderate nunc viciſſim quàm fueritis moleſti matribus, cùm vos novem menſibus in utero portârunt, & quàm ſollicitè à pueris educârunt: recogitate, inquam, quoties domum totam fletu veſtro turbaveritis, patrem & matrem crebertimè è ſomno excitantes; placidè tamen & ſedatè tulerunt; & vos periniquo animo patiemini? Quiſque ſibi ab Eccleſiaſtico dictum hoc audiat: [Suſcipe ſenectã laborioſam & oneroſam, recordans infantiæ tuæ: quando flebas, turbabas domum, inquietabas dormientes, fatigabas matrem, fœdabas pannos, & alia faciebas quibus infantilis ætas ſolet eſſe moleſta; ſicut enim toleravit pater & mater, imò ſuſcepit & adjuvit infantiam tuam, ſic & tu ſuſcipe & non abhorreas ſenectutem illorum.] Quod ſi conjugibus ea obtingat felicitas, ut filios obedientes ſortiantur, meritò gaudeant illi & exultent cũ Maria & Joſeph *Benedixit illis Sim.*

*Eccl. 3. Robert. Epiſ. Aq. ſerm. 54. c. 3.*

At verò ſi filii tertiam inſuper conditionem obſervent, ſcil: *in neceſſitatibus ſubveniendo*, parentes illos feliciſſimos dixero. Et ut diligenter hoc filii curent. S. Hieron. monet: *Foveatur itaq; parentum ſenectus, & factis eorum viciſſitudo reddatur.* Idipſum lege præceptum eſt: *Filii facti dívites, tenentur alere parentes.* Nunquid idem lex Divina confirmat diverſis S. Scripturæ locis, modum amandi, reverendi & juvandi parentes, inculcans? Verba ipſa perpendamus: *Honora patrem tuum &c:* ubi notat doctiſſ. Oleaſter: *Honora* Hebraicè *Chabad* hoc eſt, *onerare, gravare. Honora igitur patrem, interpretabitis, onera Patrem; quoniam verbum Chabad non ſolum oſtendit honorandum, ſed onerandum donis & muneribus, ut ſciat filius, non ſolùm ſe teneri ad honorem præſtandum patri, ſed etiam omnia alia neceſſaria,* & alibi repetit: *verbum Chabad, quod hic ponitur, non ſolum honorare, ſed etiam onerare ſignificat, ut cognoſcat, hoc præcepto non ſolùm præcipi parentum honorem, ſed etiam ſuſtentationem & alia neceſſaria.*

*D. Hier. ubi ſupra.*

*Lex Imp. eod. de alend. liberis l. 1. p.*

*Exod. 20. Deuter. 5.*

*Oleaſt. in cap. 20. Exo. c. 3.*

*Idem in c. 5. Deut. c. 4.*

Tenentur ergo parentes in neceſſitatibus ſublevare, vel ex eo ſolùm, quòd tot ab illis beneficia receperint. Quot & quanta ea ſint, recenſet ex parte Robertus. [Quisnam explicet quot à parentibus filii beneficia receperunt? Ab illis equidem ſumpſerunt eſſe, quod bonum tam grande eſt ut ipſum ſit fundamentum omnium aliorum bonorum: nam qui non habet eſſe, nullum aliud bonum habere poteſt, non

*Robert. Epiſc. Aq. Sc. 54. c. 1.*

divi-

divitias, non gloriam, non famam, non ſcientiam, non virtutes, non gratiam, non vitam æternam. Ipſum etiam eſſe bonum, ab omnibus eſt deſiderabile.) *Vnde Ariſtoteles ait*: Omnia appetunt eſſe, & illius cauſâ agunt quæcumque agunt ſecundùm naturam. *Et Boetius*: (Omnium bonorum ipſum eſſe (*inquit*) bonum eſt.) Nonne igitur ingratitudo maxima eſſet, tot tantaque beneficia maleficiis compenſare. Lex jubet: *Beneficientibus nobis benefacere debemus; nam beneficiis receptor naturaliter obligatur.*

*Ariſtot. 2. de Anima.* *L. & ſi le. 9. conſul. Sen. ff. per. de pet. hæred.*

Mirum hîc addit Oleaſter de opinione Rabbini Simeonis: ſcio quidem hyberbolicè dictum; Deus enim ante creaturas omnes longè magis honorandus eſt; audiamus tamen citati Interpretis verba: (Adnotavit hic (ſcilicet Rabbi Simeon) Scripturam pluris feciſſe parentum honorem quàm Dei, ut voluerit nos Deum honorare ex ſubſtantia noſtra juxta illud Salomonis: Honora Deum de tua ſubſtantia, parentibus verò voluit filios ſubvenire ex labore manuum ſuarum; & ſi non habeant, teneantur in priſtrino laborare, ut parentibus victum quærant!) Attendite, quàm appoſitè ad mentem noſtram id explicet Oleaſter his verbis: (Vides hîc quanto pluris faciat Deus parentum honorem quàm ſuum.) Quomodo iſtud (Eos alere potiùs *voluit* quam ſibi offerre ſacrificia.) q. d. Fili mi, ſi fortè aliquando ſic accideret, ut uno & eodem tempore ſacrificandum ſit Deo, aut quid aliud agendum, quod cultus Divinus requirat, & ex parte altera occaſio exigat, ut hic & nunc parentum inopiæ ſublevandæ ſuccurras, nec poſſis ſimul, & ſemel utrumque præceptum adimplere, mavult Deus caſu illo parentes in miſeriis priùs adjuvari. *Eos alere potiùs, quàm ſibi offerre ſacrificia.* Idem hoc aliùs ſic clarè confirmat: (Si filius eſt impotens ad utrumque ſimul, ſcilicet ad munus Deo offerendum, ad ſubveniendum parentibus; omittenda eſt oblatio, & ſubveniendum eſt patri & matri.

*Rabbi Simon apud Oleaſt. c. 20. Exod.* *Io. Mariæ Ver. fer. 4. Dom. 3. Quadr.*

Idcircò jam filios ſedulò hortor & moneo, ne procul unquam à parentibus abſint, ut ſemper præſto ſint, poſſintque, ubi ſic erit opus, opportunè ſtatim auxiliari; nam, ut loquitur S. Auguſtinus, *nihil charius filiis, quàm pater.*

*S. Aug. de ſer. Dom. in monte c. 3.*

Cùm juxta mare Galileæ obambularet mundi Redemptor, reperit Jacobum & Joannem, qui ſoli exponebant retia, ut ea non modo ſiccarent, ſed & fracta repararent. *Vidit duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem ejus reficientes retia ſua.* Subintrat hic D. Chryſoſtomus, petitque cur ibi etiam aderat illorum pater non ut juvaret, utpote totus ſenex & quietis jam indigens; illi verò juvenes erant robuſti atque experti, ſic ut patris illic opera ſuperflua videretur. An non itaque meliùs ei fuiſſet, domi relinqui, ut rei domeſticæ intenderet, ſeque quieti eâ ætate daret? Chryſoſtomus reſpondet, filios ita feciſſe ex affectu in patrem & obſervantiâ debitâ; nam ſi fortaſſis aliquid patri defuiſſet eo tempore, quo à domo aberant & piſcabantur, quærendi fuiſſent, nec ita ſtatim opitulari potuiſſent, ideo ſecum eum ſemper aſſumebant, ut præſentes ſtatim ei ſubvenirent in quavis neceſſitate oborta, & omnia quibus indiguiſſet, ſine mora ſubminiſtrarent, Aurea Chryſoſtomi excipite verba. *Et quod ad majorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate ſic patri ſuo ſuccurrebant, ut ſecum eum bajularent in navi, non ut ille iſtos adjuvaret in opere, ſed ut iſti illum conſolarentur ſuâ præſentiâ. Non parva autem eſt hic demonſtratio virtutis, inopiam facile ferre, ex juſtis nutrire laboribus, colligari invicem amoris virtute, patrem habere ſecum & curare.* Sciebant illi quantus debeatur honor parentibus, quantus amor, ideoque pro beneficiis acceptis gratiam referre ſtudebant auxiliando, eo præſertim tempore, cùm eos viribus & opibus deſtitutos vident; ita adimplentes quod filiis inculcabat Doctiſſimus aliquis, ubi ait: *Pro ſuſtentamento & nutritione, quam recipiunt in juventute, debent eis in ſenectute cum delectatione & ſine improperatione vel contriſtatione, ſed cum gaudio neceſſaria ſubminiſtrare.*

*Matth. 4.* *D. Chryſ. in Catena D. Thom. in cap. 4. Matth.* *Auguſt. triumph. in Cant. B. V. M. cord. 4. q. 2.*

Chriſtus ipſe, qui in hunc mundum venit, ut peccatores quæreret & converteret, etiam Judam ad ſuam diſciplinam admiſit; reſpuit tamen illos, quibus curæ non ſunt parentes, quoſque in neceſſitatibus deſerunt & in egeſtate juvare negligunt. Refert Evangeliſta Matthæus de juvene qui in magno erat deſiderio ſequendi Chriſtum. Acceſſit ille ſupplex, petitque Diſcipulorum numero aſſcribi, ſubmiſſionem promittens & obedientiam: *Magiſter, ſequar te quocumque ieris.* Sed repudiavit Chriſtus, ineptum ad ſequelam judicans: *Vulpes foveas habent & aves nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet*, atque his dimiſit.

*Matth. 5.*

S. Evangeliſta immediatè de alio Diſcipulo ſubdit, qui, cùm jam ad Diſcipulorum collegium erat admiſſus, licentiam quærebat, ut ſemel poſſet ad ædes patrias reverti. *Domine, dimitte me primum ire & ſepelire patrem meum*: at Salvator recuſavit. Pro ratione addens: *Sinite mortuos ſepelire*

Q 3 mor-

*mortuos ſuos:* Æquum eſt & juſtum quod requirit, ut quid, mi Redemptor bone, non annuis? negotio urgetur ut domum redeat; nuncium accepit de morte patris: opus miſericordiæ exhibere cupit, mortuum ſepeliendo. Quis hic non miretur? ille petit vivere & mori in Chriſti convictu, & non impetrat: iſte licentiam decedendi poſtulat, neque poteſt obtinere. Exiſtimem ego utrique concedendum quod exigit, ita ut retineatur ille qui rogat admitti, dimittatur iſte qui domum reverti deſiderat. Non ita fiet (ait Salvator;) iſte enim vult me ſequi & mecum remanere, ne ſemel quidem de patre cogitans, ut, ſi fortaſſis ad egeſtatem redigatur, quis ei ſuccurrat: abeat iſte, non eſt me dignus: ille verò præſto eſt, ut patri etiam mortuo opem ferat, & cadaver ſepeliat, & eum volo mecum manere, aptus eſt & de illo benè ſperandum. [ Illum ad ſe venientem abjicit, (concludit noſtri temporis Commentator) hunc à ſe fugientem revocat & retinet: eſt enim pietas erga parentes valde admiranda, & qui in illa ſe exercet, utilis eſt ad Chriſti conſortium, unde tenendus, etiamſi abire velit: qui verò erga parentes immiſericors eſt, pellendus à Chriſti conſortio. ] & ut S. Auguſtini verbis abſolvam. *Quantum mali in illo, tantum boni videbat in iſto; ideo iſtum tacentem & nihil promittentem invitat, ut ſequatur. Novit Dominus qui ſunt ejus.*

*Pinna Tom. 1 fol. 185. n. 13.*

*S. Aug. ſer. 7. de verb. Dom. in Matth.*

Hoc ergò firmum teneatis, hominem, quamdiu vixerit, ad honorem deferendum parentibus obligari. SS. Patres obſervant, quomodo Chriſtus, matrem Joanni, matrique Joannem commendabat, genitricē ſuam ſimplici hac voce *Mulier* compellaverit; *Mulier, Ecce filius tuus.* Ut quid non ait, *Mater*? Nôſti credo, piiſſime Salvator, quæ & qualis ſit ea matrona, quam commendas: an ergo neſcis matrem tuam eſſe dilectiſſimam? cur igitur hoc affectus titulo non jam honoras, uti quidem in nativitate tua dignatus es? non modò deſiiſti eſſe filius, cur non hæc foret amplius mater? an fortaſſis delictum aliquod fecit, unde matrem pudeat nunc appellare? nequaquam, cùm ſe ſuaque omnia Divinæ voluntati perfectiſſimè ſemper conformârit.

*Joan. 19.*

Hoc ego putem. Cum populus frequens & extraneus ad crucifixionem Salvatoris conflueret, cui nota non erat Maria, videndo ſtantem ſub cruce: & audiendo vocari matrem, temerè de Mariæ probitate ac integritate judicâſſet: Quomodo, ſi filius ille ſit (uti Hieroſolymis publicum eſt) qui mortem tam ignominioſam ſit meritus, qualis poſſit eſſe mater illa, facilè quiſque noſtrûm conjecerit. Ne ergo hac infamiæ notâ ab hominibus deturparetur, Filius Dei ad extremum vitæ ſuæ curavit, & maternum honorem ſollicitè propugnavit. Ita ſcribit Cardinalis Vigerius: (Eximio proprietatis officio, illam, non matrem, ſed mulierem appellaſſe, ne daret crucifixoribus anſam duriùs contra illam agendi; hac ratione ſe non indicavit filium.) Arnoldus Abbas confirmat: (Jeſus antiquum decretum, quod de honorandis parentibus dictaverat, obſervavit.)

*Marc. Vig. 3. par. ...*

*Arnold. Abbas ... na Vall. Tract. ... 7. Verb. Dom.*

Progrediuntur ulteriùs Expoſitores alii, & acutiùs indagant quare Mariæ reliquerit Joannem in filium Servator noſter, cùm jam Spiritum exhalaret: *Mulier, ecce filius tuus.* Reſpondentque eam eſſe cauſam, quòd ſcilicet prævidiſſet ipſe matrem fore in diſceſſu deſolatam, nihilque poſſe ad dolorem acerbius ei accidere, quam ſic violenter à chariſſimo ſuo pignore avelli: ſicut ergò Ulyſſes à Penelope uxore fidiſſima abiturus Femium Domodici filium ei reliquit, qui muſicorum cantu dolorem mitigaret, ut ſic abſentiam levius ferret; quod etiam Agamemnon fecit, Clitemneſtræ Democritum committendo; ita etiam Chriſtus ex hoc mundo migraturus, Mariæ Joannem ideò dedit, ut foret ipſe matri, ob abſentiam afflictiſſimæ unicum ſolatium: *Mulier; ecce filius.* q. d. Scio, dulciſſima mater, intimè ſenties, cùm abſcedentem me jam videbis & te derelictam; ſed ecce Joannem habes, hic in filium tibi erit & gaudium. Ad noſtram inſtructionem hoc fecit, inquit Chryſoſtomus, ut addiſceremus quanta ſit noſtra erga parentes obligatio, quæ non poſſit niſi morte terminari. *Ipſe autem crucifixus Matrem ſuam Diſcipulo commendavit, erudiens nos, ad ultimum uſque ſpiritum vitæ parendum, curam habendam.* Accedit S. P. Auguſtinus. *Tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri monentis.* Quid, obſecro, monuit? *Exemplo ſuo ſuos inſtruit præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus.* Neque hic omittendum quod Ludolphus in Vita Chriſti expreſſit: (Tu, Domine Jeſu, quamquam eſſet dolor intolerabilis, plaga inſanabilis, in agonia mortis & ultimo ſpiritu conſtitutus, non obliviſceris matrem tuam, caput inclinans & eam in matrem Joanni commendans & eum ſibi filium adoptans. Felix depoſitum, ſingulare privilegium, inſigne ſolatium! Urgebat te ſiquidem, Domine Jeſu, præceptum. Honora patrem tuum & ma-

*Homer. ... Euſt.*

*Idem Od. 3.*

*S. Chryſ. Hom. 84 ... 19.*

*S. Aug. ... Joan. Tr. 119.*

*Ludolph. Carthuſ. ... 2. c. 63. ... Paſſ. Dom. Verbo 1.*

trem

trem tuam; ſervitium quod ipſe exhibuit ſibi, exemplum poſteris relinquendum.

Æternis digni ſunt laudibus duo illi filii Anapius & Amphinomus, Æneam imitati, cùm patrem & matrem ex incendio, Catanæ in Sicilia, rapidiſſimo, humeris ſublatos à morte imminenti liberârunt.

*Author Ætna apud Ioan. Ravii de amore liberorum in parentes.*

*Amphinomus, frater〈q〉; pari ſub munere fortes,*
*Quum jam vicinis ſtreperent incendia tectis,*
*Accipiunt pigrum〈q〉; patrem, matrem〈q〉; ſenilem, &c.*

Mortuo in carceribus Miltiade, Simon filius captivus eſſe petivit, ut ab Athenienſibus ſepulturam patri impetraret. Oppius etiam à mortis periculo ereptus eſt, quem velut Æneas alter intrepidè in Siciliam uſque filius aſportavit.

Denique (NN.) etſi laude digniſſimos illos cenſeam, non ſunt tamen mirandi, quia rationis habebant uſum, adeóque obligationem erga parentes maximam apprehendebant, & formato diſcurſu benè concludebant, ſolvendum honoris, amoris ac commiſerationis debitum, ne ingratitudinis notam alioquin incurrerent. Sed hoc vehementer admiror & ad confuſionem filiorum hujus ævi noſtri commemoro, animalia eſſe, quæ non rationis, ſed naturæ ductu reguntur, & tamen alimenta quærunt & adferunt eis, à quibus eſſe & vivere acceperunt. Ciconiam videamus, (difficulter aliquis credat, ſi non experientia ad oculum monſtretur) quàm ſollicitè parentes jam ſenes curat, nidum accommodat, cibos procurat, calore fovet, imò alis etiam ſublevat & ad amœniora devehit. Ego ipſe hìc dubius hæream, ſi non apud Authores ut certum legiſſem. Sophocles ita ſcribit: (Quid eſt quod ſapientiſſimas in aëre volucres contemplamur, quæ alunt parentes, à quibus prognatæ ſunt & educatæ? Nos verò contrarium facimus.) Caſſiodorus ſic habet: (Plumis ſuis genitorum membra frigida refoventes, eſcis corpora laſſa reficiunt, & donec in priſtinum vigorem alis grandæva redierit, piâ viciſſitudine juvenes reddunt, quod à parentibus parvuli ſuſceperunt, & ideò non immeritò longâ vitá ſervantur, quia pietatis officia non relinquunt.) Omnium optimè confirmat S. Baſilius: *Ciconia naturali inſtinctu, cum vident parentes confectos ſenectute, in volatu ſupportant, plumis calefaciunt, & alimenta eis procurant.*

*D. Amb. lib. 5 Exã. Epiphan. apud Marcum Ferd. Fer. 4. Dom. 3.*

Pudeat vos, filii, aliter facientes: cùm parentes habetis ſenectute fractos, contemnitis, & mœrore conſumitis; non quaſi amici ſint, ſed ut inimicos perſequimini. Omni dedecore infames ſunt, eruntque ſemper nationes illæ, quæ vel ipſas feras crudelitate evincant. Indos hic arguo, quibus tam crudelis lex eſt, ut parentibus mortem inferant, cùm ad ſenectutem extremam vixerint. Non minùs Caſpii ſæviunt: illi enim (teſte Cælio Rhodigino) genitores ſeptuagenarios includunt carceribus ut fame enecent: Bactriani canibus objiciunt laniandos. Sardis, ſcribit Ælianus, lex viget, quâ teneantur proles occidere patrem & matrem ſenio jam graves. Quid magis crudele & quid inhumanum magis excogitari poſſit? Prô dolor! quot non, hodie, filii ſceleratiores ſint & truciores, ſi non retineret eos pudor! Hora illis annus videatur donec morti occumbant parentes, quos ſtatim domo ad tumulum elatos vellent: plus cani adblandiantur, quàm patri & matri, quos in angulum detrúſos vix oculis dignentur aſpicere. Illáne parentum merces! O ſceleſtum & nefarium facinus deflendum ſanguineis lachrymis! Dicite filii, an atrociora faceretis, niſi parricidæ eſſetis? Matres eſſe cogitate, quæ tam anxiè parvulos educârunt; & illas perſequimini ferocientes, ac ſi non lacte, ſed toxico enutriviſſent. O horrendum & deteſtandum ingratitudinis malum! Verè amara eſt illa voluptas quâ genitores perfunditis! Utinam ſteriles manſiſſent potiùs, quàm ut forent tanto ſuo gravamine fœcundi. Quot ſunt filii, qui, etſi non cum Abſalone patri mortem machinentur, ex animo iniquiſſimo tamen imprecantur: & nil duriùs illis, quàm ut diutiùs in vivis tolerent: nil foret gratius quam ut obiiſſe videant, non ſolum ut ſe à diſciplina ſubducant, ſed ut domini ſint rerum, quas labore nimio & ſudore vultus ſui parens comparavit, & vitæ diſpendio cuſtodivit; ut illas, inquam, ad placitum ſuperfluè prodigant & per luxuriam conſumant. O Filii! (ſed nec titulo hoc eſtis digni) monſtra potiùs dixerim, urſo, tigride & cæteris hujuſmodi feris indomitis longè crudeliora, non jam feriat turres, ſed in vos de cælo jactetur fulmen & diſſipet, cùm in terris ſupplicia deficiant, veſtris flagitiis condigna.

*Herod. lib. 3. Strab. c. 2. Greg. Cælius lib. 11. c. 18. Pet. Greg. lib. 36. ſyntag. c. 21. num. 29. Cæl. Rhodig. lib. 11. lect. antiq. c. 21. Cal. ſup. Alex. ab Al. 3. gen. c. 2. Corr. 1. miſc. c. 5. Ælian. de var. hiſt. lib. 4.*

Iſti ſunt, ô pater & mater, gladii, quos vobis prædixit Simeon, cor & animam intimè transfigentes. *Et veſtras ipſorum animas pertranſit gladius.* Illi ipſi *poſiti ſunt in ruinam parentum,* quia multoties cauſa ſunt æternæ veſtræ damnationis; at verò *non ſunt poſiti in reſurrectionem veſtram:* etiamſi enim guttulâ aquæ vel unicâ ſolùm vitam veſtram poſſent redimere, apertâ fronte recuſarent; adeò ut dicere ſit ſolitus Euripides:

*Eurip. apud Boetiũ.* ripides: *Carentem liberis infortunio eſſe felicem.* Et hæc pro prima parte ſufficiant.

## PARS SECUNDA.

NE Filii patrem & matrem perdant ac doloris gladio affligant, ſed exhilarent potiùs ac gaudio tanto perfundant, ut felicitatis eſſe diem illum quo nati ſunt, teſtari jam poſſunt, ſollicitè educandi ſunt à pueris:

*Oven. in Ethic. monaſ. & Polit. n. 32.*

*Dum tenera eſt ætas, generoſos imbue mores:*
*Tunc facile eſt cunctis artibus ingenium.*

*ApudStob. ſer. 41.* Alioquin ut vites erunt incultæ, fructum boni operis non producentes. Diogenes id aſſerit. (Haud enim umquam vites utilem fructum protulerunt, quæ non benè ſunt excultæ.) Ut equi indomiti, præcipites feruntur. (Nec unquam pulchri fient equi, pullorum educatione neglectâ.) Quemadmodum molliſſimam ceram ad arbitrium formamus & fingimus, ita juvenilem animum, cùm adhuc tenera eſt, facile flectimus ad virtutem & bonis moribus imbuimus. Accipite monitum Damiani. *Inſtruendi eſtis, O Pueri, quia nunc ætas veſtra cerea eſt; & ſicut teneri eſtis in puſillitate membrorum, ita etiam utrimq; flexibiles diverſitatibus morum.* Ex educationis aurorâ Plato diem vitæ colligebar. (Apparet itaque, qualis cujuſque fuerit puerilis educationis initium, talia etiam fore, quæ ſequuntur.) *(Opuſc.13. Io. 10.)* *(Pla.4. de Imp.)*

Sed quomodò rectiſſimam virtutis viam filii teneant, ſi non eam in juventute inveniant majorum veſtigiis tritam? ſi ab ineunte ætate animum admiſceri vitiis ſinant, poſtea difficulter expurgent & ad bonum reducant. *Difficulter eradicatur* (inquit S. Hieronymus) *quod rudes anni perbibunt.* Quintilianus idem ſentit: (Naturâ tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percipimus.) O quanta ſunt bona, quæ ex recta educatione doctrinaque puerili promanant! Poëtam canentem audire hic lubet. *(Epiſt. 7. ad Latam.)* *(Quint. 1. Inſt. 1.)*

*Marcell. Paling. in capric. v. 76.*

*Per magni refert etiam; quos quiſque parentes*
*Accipiat, quo ſit pacto nutritus & à quo*
*Inſtructus: nã quos mores puer adbibit, & quas*
*Artes à teneris didicit, retinebit adultus.*
*Illa diu durant, animiſq; tenaciter hærent,*
*Quæcumq; à primis naſcentes hauſimus annis.*

*Eurip. Iphig. in Aulide v. 561.* Et ut verbo abſolvam, Euripidis dictum eſt, receptum apud omnes:

*Educatio cum diſciplina*
*Multum confert ad vitam.*

Quam eſſe cauſam arbitramini (NN.) cur in S. Scriptura, ubi de filiis agitur teneræ adhuc ætatis, metaphoricè dicantur poſſeſſio: ut Geneſis 4. cap. *Poſſedi hominem per Deum.* Deuteronomii 32. *Ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te.* Ita mille aliis locis; item apud Ariſtotelem. *Poſſeſſio parentum;* ut idem ſit *poſſidere* ac *generare.* S. Scriptura utitur iſto termino *poſſidere,* ut ſic indicet, quâ curâ & ſollicitudine agros & poſſeſſiones cuſtodimus, ne quid detrimenti patiantur ab hominibus malignis aut terræ animantibus; eandem adhibendam eſſe à parentibus diligentiam in puerorum inſtitutione. (Cur obſecro filii poſſeſſionibus comparantur? Planè quia, ut homines tuendis augendiſque poſſeſſionibus invigilant, ita & parentes debent probè erudiendis informandiſque filiis excubare.) Curas & cogitationes magis in canem aut equum conferunt quàm in proprios natos. An non rectè illis conveniat hoc Plutarchi effatum: (*Tales patres agunt, ac ſi quis de calceo ſit ſollicitus, pedem nihil curet.*) *(Gen. 4. Deut. 32.)* *(Mendo. tom. 1. in lib. Reg. 1. n. 180. not. 11. ſ. 1. n. 3.)*

Magna quidem & infeſta vexatio eſt, ubi pater filios videt malè inſtructos, diſſolutos moribus, & neſcio, quomodo patienti animo ferat: panem doloris & amaritudinis maſticat; ſed meritò has pœnas luit, & lachrymas fundit, quia anteà nimium indulſit pueris & malè facientibus arriſit, cùm acriter erant corripiendi & *in virga ferrea* ad timorem Domini excitandi. *Reges eos in virga ferrea, ſceptro ferreo, rigido, invicto, cujus acri verbere eorum inſolentia conteratur: duriter & rigidè te cum eis geres.* Parentes hodiè proles monere, aut digito leviter tangere timent cùm enormiter peccant, ne caſtigando affligant, & ſic nimia patris & matris indulgentia non jã cohibet, ſed potiùs invitat, ut graviora audeant perpetrare: ideò frequenter ſic Deus permittit, ut filii luctûs ſint & in illorum ſanguine ſcelerum maculas lavent, aut in morte ſuam gloriam quærant. Credite verum: Pater ille, qui filium ad ſæculi delicias & carnis voluptates abire ſinit, ſerpentem in ſinu fovet. *(Pſal. 1. Genebrardus in Pſ. 2.)*

Attendite parentes & quod veſtri eſt muneris intelligite. (Ad officium matris pertinet, non ut ad libertatem ſuos liberos aſſuefaciat, ſed ut ad temperantiam, modeſtiamque inſtituat. Vide igitur ne non amantis, ſed adulatricis partes agas: nam educata ſimul cum pueris voluptas, intemperantes & prodigos reddit.) Hæc Thean. *(Thean.)*

Platonis commentum eſt in Timæo de curru, quem duo equi trahebant, unus curſu velociſſimus, & motu alter tardiſſimus: rector in curru ſedens manu unâ flagellum tenebat quo tar-

diorem

diorem ad accelerandum ſtimularet, alterâ fræ-num quâ velociorem à curſu retineret. Ex quo nimitum documentum hoc dare voluit: Juven-tus à ſenſibus ducitur, qui properi ſunt ad ma-lum, & ratione, quæ ad bonum tardior eſt. Quid faciet pater ut à præcipitio filios præripiat? fræno timoris contineat, & correptionis flagello ad bo-num exſtimulet, ut ſic rectâ per viam ſalutis ince-dant. [ Benè natos, ſi benè etiam educantur, ita demum ad virtutem pervenire neceſſe eſt.] Si ali-ter fiat, contra parentes, Deo ſic permittente, filii inſurgent, rebelles & contumaces erunt, neque mitius cum illis agent quàm cum matre Ariſto-bulus, de quo refertur, nedum matri honorem & opem non detuliſſe, ſed ipſammet occidiſſe. [ Ad-eò nequam fuit, ut matrem in vinculis, fame con-ſumpſerit. ] Mirum hoc & dolendum, patres nonnullos ſatagere, ut filios in omnibus exerce-ant, nil minus cogitare quàm ut timorem Dei in-culcent, ad ſpiritualia opera hortentur. [ Canere diſcunt (Plutarchus inquit) ſaltare, litteras, agri-culturam, equo inſidere, calceari, veſtiri, pocula miniſtrare. At quæ dementia eſt, ô mortales, cùm hæc omnia præter diſciplinam non liceat commodè agere, & probè hominis vitam inſti-tuere ] Unde ergò timorem Dei jam habeant aut pietatem? an ex utero matris ſecum tuliſſe puta-tis? nullâ diſciplinâ, nullâ adhibitâ ratione, aut arte, ſed fortuitò exiſtimatis contingere? ecquid inde conſequatur, niſi ut peſſimi ſint & malè pe-reant?

*Plato Alc. l. P. 440. E.*

*Albert. Patav. ſerm 17 de Epiph.*

*lib. de educ. liberis.*

Conſcientia debitum eſt; ſi non ſatisfacitis, exacta Deo reddenda erit ratio in noviſſimo die. *Peccant parentes non inſtruentes filios in lege Dei & artibus virtutis; & qui delectantur in malitiis & nequitiis eorum, erunt etiam teſtes nequitiæ in dam-nationem ipſorum.*

*Auguſt. Triumph. in Cant. B. M. V. chorda 4. q. 2.*

Cùm jam benè inſtituti ſunt puerilibus rudi-mentis, applicari eos oportet exercitio honeſto conformiter ad cujuſque ſtatum & naturalem propenſionem. Patres econtrà jam faciunt. Quamvis advertant filiæ ſuæ à vitâ monaſticâ averſionem, tamen eam omni modo, velit, nolit ad ingreſſum Religionis incitant & impellunt, ideò ſolùm, ut ſibi dotem lucrentur. Eſto, fit mo-nialis, inquietè vivit, Conventum totum pertur-bat, maledicit diei, quo aſſumpſit ſacrum habi-tum, diaboli tentationibus continuò vexatur, & tandem ab omni ſpe derelicta miſerè emoritur.

Filius tibi eſt, inter homines operarios magis optet vitam agere quàm inter Religioſos: adver-tit tamen pater, nil boni ab ipſo domi ſperan-dum, non parentibus levamen, ſed onus futurum: in ſtudiis enim nihil profecit, malæ eſt educatio-nis & voluntatis peſſimæ; perditis vivit mori-bus, luſui & luxui deditus. Pater, inquam, hæc omnia videt, ideò quocumque poteſt modo in-ducit, ſpe, pretio, minis ac promiſſis ad religionis aſſumendum habitum. [ Peſſima profectò ele-ctio eſt, ſi matrimonio idoneus, Religioſus fiat.] Ipſe autem qui libertatis amans, nilque magis quàm ſeculum quærit, hodie in uno delinquit, cras in altero, & quem religioſum volebat, factus eſt homo flagitioſiſſimus, libidinoſiſſimus, ne-quiſſimuſque. Et quis tantæ perverſitatis author? certè nemo alius niſi tu ipſe, pater, cum filium ad religionem coëgiſti invitum.

*Diez To. 1. de S. to. Evang.*

Priuſquam Unigenitus Dei Filius humanam naturam aſſumeret, Angelus ad Mariam legatus venit, ut, quemadmodum futura jam erat Spiri-tûs Sancti ſponſa, daret ante conſenſum. Sed cùm Deus ipſe totius univerſi ſit Dominator & Arbi-ter, cui velle, cui poſſe ad placitum; cur alterius expectabat aſſenſum? ad erudiendum nos fecit, ut vel inde diſceremus, neminem invitè ad ſta-tum aliquem eſſe applicandum, ſi non eò ſuâ ſponte inclinet. [ Hinc diſcere, & percipere pote-ſtis quantoperè parentes errent, qui filias invitas deſponſant, aut filium cogunt, ut ſe claudat intra monaſterii ſepta. ] Caveat ergò quiſquis eſt pa-rens filios impellere: & ad conditionem ample-ctendam cogere invitos, ne ſerò pœniteat.

*Gorus in Conc. annunc.*

Affliguntur alii, quia ſemper filiis veſperas de-functorum occinere ſoliti. Quid hoc ſibi vult? Primum ibi locum inter Pſalmos obtinet *Dilexi*; nimis iniquam, liberos amant, & illi occaſione hinc habitâ antiphonam *Placebo* præcipiunt, ex-orbitando redundantes & ſuperfluentes juvenili impunitate & licentiâ: parentes, ut affectum oſtendant, digitum porrigunt; at illi manum to-tam apprehendunt. Patre ergò & matre cantan-tibus *Dilexi*, pueri *Placebo* intonant, ad placitum in bonis dies ſuos ducendo. Eſſe ſui juris præten-dunt, obedientiam majoribus debitam non ob-ſervant, timorem Domini nil curant. Quid tan-dem? miſerrimo fine vitam perdunt, & parenti-bus canendum eſt *Requiem*, maximo ſuo dolore, & dedecore irreparabili. Ut verè de quolibet ta-lium filiorum dictum ſit: *Poſitus eſt in ruinam multorum.*

Hoc igitur credite: quò plus nimio amantur, eò magis inſoleſcunt. *Nam pura corpora* (inſi-nuat Hippocrates) *quò magis nutris, eò magis læ-dis.* Simia in tantum catulos amat, ut, cùm affe-ctum

*Hippocr. lib. 2. Aphor. 10*

ctum exprimere ſatagit complexibus, ſuffocet. *Perdit amando.* Numquam memoria excidat Sapientis dictum: *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum* è contrà, *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat ille flagella.* Unde prudenter nonnemo parentibus hoc reliquit monitum: (Ne inaniter inſoleſcat filius adoleſcens, verbis & flagellis erudiendus eſt.) Idem velim obſervent, ne aliquando nimis indulſiſſe pœniteat.

*Alphons. de Nroz. declam. 1. in ſep.*

Veſtrum eſt, Filii, parentibus morem gerere & honorem, in neceſſitate ſuccurrere, & ſanguine (ſi opus) adjuvare: nam quid in mundo poſſidetis, quod amore veſtro magis ſit dignum? S. Auguſtinus apertè fatetur. *Nil charius debet eſſe filiis quam Pater & Mater.* Diſcurſum abrumpo, & Poëtæ verſibus concludo:

*S. Aug. in Ioan. tract. 119.*

*Qui cupis eſſe ſenex, charos venerare Parentes:*
*Quæ patri facies, filius illa tibi.*

*Oven. in Mono ch. n. 41.*

---

# IN FESTO CIRCUMCISIONIS

## ARGUMENTUM.

Ex Myſterio Circumciſionis eruitur, guttas illas effuſi ſanguinis ſigna fuiſſe prognoſtica vehementis deſiderii, quo Chriſtus toto vitæ curſu adurgebatur, ut mortem ſubeundo, mundum redimeret, & circumciſionis noſtræ exemplum daret. Ex cœleſti item nomine omnibus fœcunda ſalutis vena proditur & felicitatis ſcaturigo copioſa.

## THEMA.

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus IESUS,* S. Luc. cap. 2.

*Th. Spin. de Invid. anat. c. 10.*

ERuditiſſimus ille & expertiſſimus Invidiæ Anatomiſta ex malo initio nonniſi finem peſſimum expectandum aſſeruit. Subdam ego. Siquidem *Oppoſitorum eadem eſt diſciplina,* ex principio bono finem optimum & perfectiſſimum ſperari. Unde Gentiles olim vanâ ſuperſtitione anteiviſſe legimus: Anni initium obſervabant: cùm in diem Dominicam incidebat, Veris humiditatem augurabantur, Æſtatis intenſos calores, vini & frumenti abundantiam, cæterorum fructuum penuriam maximam. Et hoc ipſi nos attendimus, cùm ex primo lucis ortu diei ſerenitatem notamus, ſicut ex cantu avem, ex fructu plantam, ex ſtipulis ſpicam, ex uvarum racemis vitis fœcunditatem, ex ſerenitate vultus compoſitionem animi & paſſionem cordis elicimus. (è culmo ſpica conjicitur, cauda de vulpe teſtatur, ex ungue leonem, & cantu dignoſcitur avis.) Sic ex primo nativitatis puncto linea vitæ deducitur, & ex teneræ pueritiæ moribus, cujuſmodi futura ſint ætatis provectioris opera, non levi conjecturâ perpenditur. Rem acu tetigit gravis & ingenioſus Poëta:

*Antō. Rit. Brix. Io. Iac. Rit. Marit. Muſ.*

*E ſi ben molto la fortuna meſce,*
*Pur' qual' eſce il principio, il fin rieſce.*

*Act. 2. ſcen. 2.*

Zoroaſtres ridendo naſcitur, & ideò hilarem in vita futurum ſemper divinârunt. Apes mellificare viſæ in ore Pindari, Platonis & Divi Ambroſii adhuc in incunabulis, dant præſagium dulciſſimi eloquii & ſuaviſſimi ſtili. A pueris dicere ſolebat Julius Cæſar: *Si jus violandum eſt, cauſa regnandi violandum eſſe,* & hoc ipſum ſucceſſu temporis factis Heroicis verum probavit. Alcides in cunis ſerpentes eliſit & hoc indicium fuit invictæ fortitudinis, quâ poſteà leonem

*Fabius Paul. l. 1. hebdom. fol. 22.*

*Ioā. Sarib. de nug. curial. l. 1. c. 13.*

nem

nem ferociſſimum dilaceravit. Ipſo nativitatis Alexandri die viſæ ſunt in aëre binæ aquilæ, (*Balth de Vias in Sylv. Reg.*) quæ cùm imperiales ſint volucres, imperatorem Europæ & Aſiæ infantem prænunciârunt. Gentiles auſpicia & omnia pro certiſſimis obſervabant, & ut Cicero teſtatur, *nihil publicè ſine auſpiciis, neque domi, neque militia gerebatur.* (*Cicero de Divin.*)

Sed hæc profana: ad ſacra & noſtra tranſeamus. Quis non geminos illos Jacob & Eſau, non tam fratres quàm inimicos fore, facile judicaſſet, cùm in utero matris luctantes conſpexiſſet? (*Gen. 25.*) Domitianus in conflictu quodam leviter vulneratus unâ manu, ita ut pauciſſimæ effluerent ſanguinis guttæ, graviſſimam pugnam inde prævidit & fundendi ſanguinis maximam copiam, ut in cœlum elatis oculis ſuſpirans exclamaverit: *Vtinam ſufficiat!* (*Sueton. Tranq. de vita Cæſar.*)

Video in ætate tenerrima, *poſtquam conſummati ſunt dies octo* puerulum ab antiquo Sacerdote circumcidi, & guttas ſanguinis effuſi lego, (*Luc. 2.*) quibus ceu characteribus exprimitur ferventiſſimum Filii Dei deſiderium, quo continuò ſtimulabitur, donec pro ſalute mundi ſanguinem & vitam adultus profundat. Flores ſunt primo Vere germiantes, certiſſima purpurei coloris auguria; ſanguinis, dico, in paſſionis autumno ſub crucis torculari eliciendi. Et ſi quis velit præſagii dicti ſcriptum authenticum, Ludolphus à Saxonia exhibebit. (*P.1. c.10.*) (Jeſus ſumens initium circumciſionis, accepit ſignaculum, ut pro te ſanguinis pretium non tardans effundere, ſe tuum veriſſimum Salvatorem oſtendat, Patribus tam verbo quàm ſignis repromiſſum.) Atque hoc meum jam erit aſſumptum, quod in præſenti rationibus probare conabor, & ex effectibus in perſona ipſiuſmet Salvatoris ſecutis clarè proponam. Unicum peto, ut attentè dicentem audiatis, & ne prolixitate nimiâ ſim moleſtus, cùm Circumciſionis hodie Feſtum ſit, brevitatis cultello ad pauca diſtinctè conciſa jam aſtringar.

## PARS PRIMA.

P*Oſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, &c.* Quæritur à SS. Doctoribus quam ob cauſam voluerit Dei Filius ex ſtirpe Hebraïca naſci, non ex Gentili. Indignati potius oportebat, ſynagogam habere matrem, à qua inhumaniter ſe tractandum & crudeliſſimè occidendum prævidebat. Elegiſſet potiùs ex Gentilium ſtirpe generari, cùm ſciret eos fore fideles, & ut verum Meſſiam ac Dei Filium adoraturos.

Pia non minùs quàm myſterioſa eſt S. Irenæi Martyris reſponſio. Gentiles, ait ipſe, circumciſionem non admittebant, ut Hebræi: Ideò, ut circumcidi potuiſſet ſtatim ac homo factus, ortum habere maluit ex Hebræorum quàm ex Gentilium ſanguine. *Quia Gentilitas carebat circumciſione.* (*S. Iren. Mart. l. 3. c. 7.*) Sed nondum ſic dubitatio tollitur, quin potiùs augetur magis. Ad quid enim inſtituta eſt circumciſio, niſi *ad tollenda ſuperflua & contra peccatum originale & conſequenter quodlibet aliud*, ut docet Angelicus Doctor! (*S. Thom. 3. p. q. 78. a. 4. Item 3. p. p. 38. a. 3. & q. 62. 63.*) Ergò ut integer ac purus ipſe ab hujuſmodi noxis & maculis diſcerneretur, non erat ſubdendus circumciſionis legibus: naſci conveniebat ex Gentilibus, at non ex Hebræis, Proinde miratus eſt S. Bern. *Quid eſt enim circumciſio non ſuperfluitatis & peccati indicium? In te Domine Ieſu, quid eſt ſuperfluum, quod circumcidatur? nonne tu verus Deus es de Deo Patre, homo verus ſine omni peccato de Virgine Matre? quid facitis circumcidentes eum? putatis quia ſuper eum poſſit cadere illa ſententia: Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit anima ipſius de populo ſuo?* (*Serm. S. de Circumciſ. Dom.*) Quis ergò Circumciſionis Chriſti aſſignabitur finis, ne alioquin ceremonia ſuperflua credatur? S. Thom. allegat his verbis: *Vt oſtenderet veritatem carnis humanæ: ut approbares circumciſionem: ut probaret ſe eſſe ex genere Abrahæ: ut Iudæis excuſationem tolleret, ne eum reciperent, ſi eſſet incircumciſus: ut obedientiæ virtutem nobis ſuo commendaret exemplo: & ut legis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere liberaret.* (*D. Thom. 3. p. q. 37. 1. & q. 40. 4.*) Vel certè dici poſſit hic finis, ut error levaretur Manichæorum, Apollinaris, Valentini & aliorum, credentium Chriſtum aſſumpſiſſe corpus phantaſticum, non verum ac naturale. Occurrit ergo B. Simon de Caſſia & ita opponit: (*Lib. 1. c. 10.*) [Nec non teſtimonium aſſumptæ carnis pervalidum fuit, quòd in octava die circumciſus eſt, fuſuſque ſanguis, quo verum humanum corpus non phantaſticum habuit.]

Ad S. Irenæum regredior, cujus mihi reſponſio placet; & difficultatis nodum, ſaltem implicitè, ſolvit verbis prætactis: *Naſcitur in Iudæa, non inter Gentiles; quia Gentilitas carebat circumciſione.* In illa enim facti ſunt primi ſanguinis ductus, & ad paſſionem foditur via acutiſſimo circumcidentis gladio; & quia eò æſtuantibus deſideriis feſtinabat Chriſtus, Hebræorum ſtirpem elegit, non Gentilium. [Durus cultellus applicatur ad Divinam carnem (inquit citatus author.) (*B. Simon ubi ſupra.*)

thor.) ut confodiens, dolore ad gemitum commoveret infantulum, ut moris eſt: turbatur ex dolore illa ætas octo dierum.) Quærebat anxiè occaſionem ut pro nobis pati inciperet, & ſanguinem profunderet. (Tempeſtivè cœpit pati pro nobis; & qui peccatum non fecit, pœnam hodie portare incipit pro peccatis noſtris: non ſolùm enim in virili, ſed etiam infantili ætate ſanguinem ſuum pro nobis voluit fundere.)

*Ludolph. à Sax. p. 1. c. 10.*

Ea in puerulo, ut dixi præſagia: videndi ſunt modò in adulto ſecuti effectus. Cum Diſcipulis Chriſtus loquebatur, ſeque neceſſitate coactum ire Jeroſolymam indicabat, neque jam tergiverſandum, ſiquidem hoc ſtatutum atque decretum erat, per mare ſanguinis in crucis ligno mortis profundum trajicere flagellorum remis, ut æternæ felicitatis portum homines paratum tenerent. *Oportet me ire in Ieruſalem & multa pati à Senioribus & occidi.* S. Petrus, hoc audito miratus, ſurrexit, & Magiſtri ſui vitam tüeri volens, diſſuadere ſtuduit: *Abſit à te Domine.* Hæc nos cogitatio affligit, conſilium muta; & hoc iter funeſtum omitte; optamus omnes, ut potiùs nobiſcum maneas ſine tuo incommodo, etſi mori nos oporteat, quàm ut ad mortem jam properes, ut vitam nobis obtineas. Tantanè cæleſtis Medice, tua erga ægros cura eſt, ut ſanguinis tui balneum adhibere diſponas? *Abſit à te Domine.* Ecce nos ad mortem ultrò ibimus, ne tu ſanguinem effundas; & certè magno nimis hoc pretio ſit, auro viliſſimum plumbum redimere. Vix hæc talia protulerat Petrus, cùm ecce Redemptor conjectis in eum oculis retroque vultu intuitus acriter increpavit. Pudet me, Petre, ſic tui te oblivisci, ut tam inconſideratè in honorem meum impingas, amicum te credidi hactenus, ſed ſpem meam fallis, video, cùm tuo etiam nomine te reddis indignum. Apage hoſtis, recede hinc Sathana, nec in conſpectum deinceps venire præſumas. *Vade poſt me Sathana, ſcandalum mihi es.* Petrus pudore nimio ſuffuſus ilicò ſe ſubduxit, & dejectis animis, depreſſis in terram oculis graviter ſuſpiravit.

*Matth. 16.*

*Cajet. in cap. 16. Matth.*

Sed quid tam malè hîc actum à Petro, ut tam ſeveram reprehenſionem audire debeat? etſi delictum, ut cum Hieronymo fatear, non eſt niſi à maximo pietatis affectu. *Nimii ardoris, amoriſque quàm maximi fuit Petrus in Dominum Salvatorem:* Aviditas me tenet, & vellem petere à Chriſto tam acris admonitionis rationem; ſed vereor ne, cùm adhuc perturbatus ſit, qui dilectum Apoſtolum ut Sathanam, me ut Luciferum excipiat & redarguat. Differam in tempus magis opportunum.

*D. Hier.*

Intereà ad Hortum Gethſemani tranſibo, ut Judæ traditoris ſcelus expendam. Irruentem video cum militum turmis: ad Salvatorem accedit, & ſub eſcæ oſculo hamum perfidiæ abſcondit, Magiſtrum amplectitur & illo ipſo momento, quo fictè oſculatur & ſalutat: *Ave Rabbi*, manus injicit & hoſtibus tradit. At verò inſtar apis cælicæ Redemptor ex amariſſimo hoc flore, quem labiis admovet Judas, dulce mel ſugit amicitiæ, eructando. (Amice, ad quid veniſti? q. d. Amice, tibi compatior pluſquam mihi; amo te; te appello amicum, ut perpetuæ lenitatis & indulgentiæ meæ te memoria ſubeat, ne deſperes. Ego te amo, quantumlibèt me vilipendas, dum tam parvâ pecuniâ prodis, ego te carum habeo, amicus adhuc tibi ſum, ne, quæſo, deſperes; ſi tu adverſum me inimico & avaro animo veniſti, ego pro te me offero clementer & libenter turbæ te ſequenti.) Ita Card. Viger. Auſim ego nunc interrogare piiſſime mi Redemptor, cùm tam affabilem te video & tenerrimo affectu commiſerantem, ecquid, obſecro, eſt, cur Judam ſceleratum benignè tractes, amicum nomines, at Petrum incorruptæ vitæ virum aſperè repellas, & averſeris ut inimicum? ergóne hominis perverſi partes defendis, & juſtum perſequeris? an Judæ jam confœderatus, & Petro adverſarius? nil mirum: (NN.) Petrus enim (quamquam præter intentionem id ageret) impedire videbatur, ne Salvator in Judæam progrederetur, ut ſanguinem funderet & pateretur, ideoque tam durè correptus eſt. *Vade poſt me Sathana, ſcandalum es mihi.* Judas autem perfidè tradendo, ſanguinis effuſionem (etſi præter intentionem) acceleravit: & ideò Chriſtus habitâ ratione actus phyſici, non autem moralis, amicum appellat? (Amice ad quid veniſti? Amicum vocat (*ſcribit Ianſenius*) non quòd ab ipſo diligeretur, ſed quòd ipſum diligeret, eique benè vellet, & de ejus perditione doleret: aut etiam quòd hactenùs ſecum tamquam amicus vixiſſet, atqui etiam nunc velut amicus & ſalutaret & oſculum præberet.) Et de S. Petro ſubdit D. Hieronymus. *Vade poſt me Sathana; quaſi diceret: Mea voluntatis eſt & Patris, ut pro hominum ſalute moriar; tu tuam tantum conſiderans voluntatem, non vis granum tritici cadere in terram ut multos afferat fructus: & ideo quia contraria loqueris voluntati meæ, debes adverſarius appellari: Sathanas enim interpretatur adverſarius ſive contrarius.*

*Card. Viger. in captura Chriſti.*

*Ianſen. Concord. Evang. c. 137.*

*In Caten. D. Thom. ſup. c. 16. Matth.*

Quo-

Quomodò tamen hoc verum ſit, ſi Angelo
ad hortum illum Gethſemani comparente & ca-
licem paſſionis exhibente propinatum ab æterno
Patre recuſare oſtendat, ſic deprecans: *Pater, ſi
fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Nunc angor,
Matt. 26. mi pater, quare oro te & obteſtor, ut, ſi in te erit,
Marc. 14. calicem hunc amariſſimum amoveas. S. Hila-
rius admiratus Salvatorem interrogat: *Cur cali-
cem à patre propinatum bibere recuſas?* Reſponde-
ri hic multi fariàm poſſit. S. Auguſtinus hoc mo-
do interpretatur, voluiſſe Chriſtum, ut dolor
ille, quem jam in anima maximum ſentiebat,
dicens: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem,*
Matt. 26. per corpus etiam diſpergeretur & premeret.
*Tranſeat, hoc eſt, ab anima ad corpus.* Ita S. Pater
Auguſtinus. Beda aliam adfert rationem. *Orat
autem tranſiſſe calicem, ut oſtendat verè quod ho-
mo erat:* Cajetanus ita factum aſſerit. *Non vo-
luntate deliberatâ, ſed velleitate naturalis affectûs.*
Accedit S. Hieronymus & locum hunc S. Scrip-
turæ exponit. *Signanter dicit, calix iſte, hoc eſt,
populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ ha-
bere non poſſunt, ſi me occiderint, habentes legem,
& Prophetas qui me vaticinantur.* Repouit S.
Hilarius: *Quod autem, ut à ſe tranſeat, rogat;
non, ut ipſe prætereatur, orat, ſed ut in alterum il-
lud, quod à ſe tranſit, accedat.* Denique ut cum
Drutmaro loquar, intelligi poſſit & iſto ſenſu:
*Si poſſibile eſt, ſalvare Gentes ſine abjectione Iudæo-
rum, ut non ipſi mihi inferant mortem, fiat Verun-
tamen, non quod humano affectu loquar, ſed magis,
quod tecum in Divinitate diſpoſui, fiat.* Ut omit-
tam expoſitiones reliquas, clarâ ſimilitudine
concludam & doctrinâ B. Laurentii Juſtiniani
confirmabo.

Infirmus ſit qui æſtu febrique jactetur aſſi-
duâ, graviùs ardentiùſque ſitiat. Medicus invi-
ſit, & ut impatientem ſoletur & contineat, aquæ
frigidæ vas plenum addicit, ex quo ad libitum
bibat & ad ſitis extinctionem: ſed in præſentia
ægrotantis, ſic tamen ut ipſe non audiat, ſtri-
ctiſſimè iis qui aſſiſtunt, injungit, ut aquæ po-
tum parciſſimè ſubminiſtrent, & hoc maximè
obſervent. Dictum ita & factum, clamat inte-
rim, clamat infirmus, ut refrigerium à Medico
præſcriptum citò adferatur. Sed ut videt vix of-
ferri guttulas aliquot, magis accenditur & ſiti
vehementiùs premitur: non ſecùs ac ſi jacenti in
nivibus & præ frigore penè morienti carbonem
ignitum unicum præſentet aliquis ut calefaceret,
certè non tam frigus ille pelleret, ſed augeret po-
tiùs. Infirmus ergò impatiens in verba iſta pro-
rumperet: Aut aquæ quantitatem à Medico pro-
miſſam ſtatim porrigite, aut modicum hoc ab
oculis etiam removete. Daturum ſe Chriſto non
modò torrentem, ſed pelagus tormentorum in-
exhauſtum pollicitus erat Pater Cæleſtis ut di-
ctum ſit per Prophetam: *Veni in altitudinem ma-* Pſal. 68.
*ris, & tempeſtas demerſit me.* Sed ubi vidit obla-
tum Angeli manibus tam puſillum calicem, in
ſe quodammodo motus. Quid hoc, mi pater!
inquit, contrà facis quàm promiſiſti: mare, ut
ita dicam, ſperabam, & calicem præſentas? ar-
dentior ſitis me torret, quàm ut modico iſto re-
frigerer: juſtè jam queri liceat: *Improperium ex-
pectavit cor meum & miſeriam.* Si mare recuſas,
etiam calicem ſubtrahe, Angele, & tecum ad cæ-
lum defer. (*Tranſeat à me calix iſte.* Non tamen
fugit, ut illa evaderet (explicat Ordinis Carme- *Incognitus*
litici jam notus & celeberrimus Author Michael *in pſ. 68.*
à Bononia) ſed ſpontè ad locum Paſſionis venit
crucifigendus, expectans pati pro nobis. Pro-
pter quod dicit: *Deſiderio deſideravi hoc Pa-
ſcha manducare vobiſcum antequam patiar;* &
hoc notans Chriſtus dicit: Improperium expe-
ctavit cor meum & miſeriam: & dicit, cor meum;
quia licet caro fugeret mortem, voluntas tamen,
quæ per cor intelligitur, illam quærebat, illam
deſiderabat.) Meliùs Laurentius Juſtinianus,
ex ſtylis effuſi in circumciſione ſanguinis ceu
veris deſideratiſſimæ paſſionis prognoſticis, ita
loquentem Salvatorem inducit: (Hæc pro Ele- *Laur. Iuſt.*
ctorum ſalute patior, iſta pro tuo honore ſuſti- *de tri-*
neo, verùm quia parva videntur, adde flagella, *umph.*
appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, *agon.*
percute, occide; univerſa hæc & majora toto de- *Chriſti.*
ſiderio ſitio.)

Obſervat S. Pater Bernardus, cùm jam irrue-
ret Phariſæorum turba, ut duce Juda perfidiſſi-
mo in horto apprehenderent Jeſum, quid face-
ret Filius Dei? non fugiſſe advertit, ſed ultrò tu-
iſſe obviam hoſtibus miratur. *Ecce appropinquat* Matt. 26.
*hora, & Filius hominis tradetur in manus peccato-
rum: Surgite, eamus hinc.* Quid ergò, Redemptor
bone! hoſti cum armata multitudine aggredi-
enti obvium te dabis ut repellas? quomodo
duodecim inermes fortiſſimum militem proſter-
nant? quid manſuetudo contra tantam ferociam
evincet? quid contra leonem timidus lepus?
conſultius ego duxerim fugæ dare: quidquid
prædicent alii, glorioſum in conflictu conſtanter
mori, nil minùs eſt fugiendo ſervare vitam. Rece-
de ergò & illorum conſpectum devita. Non ſic
charíſſimi, ait Salvator, non ſic: *Surgite, eamus.*

Inſequuntur me Phariſæi, ut gravia tormenta & crucem imponant: ego nihil hactenus ſollicitè magis quæſivi, quàm ut occaſionem patiendi reperiam, & modo fugerem? acceleramus ocyus, ut citius apprehendant; Anhelant, videò, meumque ſitiunt ſanguinem, ſed tamen ardentior eſt mea cupiditas ſpargendi ſanguinem: obviam properemus. Eam fuiſſe Chriſti mentem exprimit mellifluus Bernardus. *Quàm promptus ad paſſionem tuus fuerit animus, evidenter oſtendiſti, quando venientibus una cum proditore tuo viris ſanguinum, & quærentibus animam tuam cum laternis & facibus per noctem ultro occurriſti.*

*Serm. de Paſſ. Dom.*

Appoſitè, meo judicio, Venerabilis Beda illud Chriſti in Cruce lamentum expendit: *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Intima eſt, Jeſu amantiſſime, mea commiſeratio, cùm in mari Paſſionis ad mortis ſcopulos trepidantem contemplor: & quod tormentum longè maximum eſt, neminem video, qui juvet, qui ſoletur aut confortet. Prô dolor! neque ipſa hîc pietas movetur, & quod mirari ſatis nunquam potui, Pater æternus in ſummis illis cruciatibus non ſubvenit, unde lugubris illa lamentatio clamorque mœrens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Quis non querelis his moveretur, ſi non adamantinus ſit? Conemur ex Patrum ſententiis ad verborum ſenſum penetrare. Origenes mentem explicat: *O Deus! qui, cum omnium ſis Deus, meus tamen es peculiari quâdam ratione, & propriâ, ut quem unicè amo & colo, ut quid adeo unicum me dereliquiſti, qui ſoles adeſſe omnibus te invocantibus, atque colentibus, & humana omni ope atque conſolatione deſtituis?* Hic hæret Orig. & ſtupet, quomodò fieri ita poſſit, Patrem Filio ſemper intimum & omni momento in neceſſitatibus ſuccurrere ut homini hactenus paratiſſimum, jam, cùm in extremis verſatur & in mortis agone, manum ſubtrahere afflictiſſimumque non conſolari, quin imo ſpe omni deſtitutum deſerere. *Certè in anima Verbi natura mutata, Paterno in omnibus Chriſtus uſus auxilio, nunc inops ejus, mortique permiſſus ſolitudinem ſuam conqueratur, relinquenteſque ſe arguat.* Reſpondet Orig. *Non æſtimes humano more Salvatorem iſta dixiſſe propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in cruce.* Cur ergo mœſtus vociferatur? *Forſitan videns peccata hominum, pro quibus patiebatur, dixit: Quare me dereliquiſti?* Accedit Rabanus & benè confirmat: (Humana enim natura propter peccatum à Deo fuerat derelicta; ſed quia Filius Dei factus eſt noſter Advocatus, quorum ſuſcepit culpam, deflevit miſeriam: in quo oſtendit, quantum flere debeant qui peccant, quando ſic flevit, qui nunquam peccavit.) Gloſſa ſic habet: *Dicitur eum Deus deſeruiſſe in morte, quia poteſtati perſequentiū eū expoſuit: ſubtraxit enim protectionem, ſed nō ſolvit unionem.*

*Matt. 27.*

*Janſen. Concord. Evang. c. 145.*

*Hilar. in Caten. D. Thom. in Matt. c. 27.*

*Orig. ib.*

*Rabanus ibid.*

*Gloſſa in Matth. c. 27.*

Theodoretus hîc cenſet Chriſtum peccatoris perſonam ſuſtinuiſſe, cujus jam induerat habitum & ſimilitudinem, ut proinde ex ejus ore loqueretur. *Hoc loquitur homo crucifixus Deo pro me: nos enim homines ſumus derelicti, ipſe nunquam à Patre derelictus fuit.* Omnium optimè ad rem propoſitam concluſit Venerab. Beda, aſſerens lamentatum eum eſſe, cùm violentâ morte afficiendum ſe prævidit; non quia vitam hanc linquere formidavit, ſed eò quod moriendo finem patiendi reperiret. *Conqueritur Chriſtus, non propter tormenta quæ patitur; ſed quia non ei concedit longiorem vitam, ut plura pati poſſit.* Hæc ille, & infrà ſubjungit: *Chriſtus ex vi tormentorum ſuam mortem accelerare videns, volens diutius pro nobis ſufferre tormenta, hanc amore refertam querimoniam propoſuit Patri: Pater, cur tam cito me mori diſpoſuiſti? Cur non moras protrahis, ut magis magiſque pro hominum ſalute adhuc cruciarer?* Quàm vera fuerint in circumciſione ejus præſagia, ex effectibus evidenter jam conſtat.

*Beda in Matt. c. 27. Idem homilia de querela Chriſti.*

Et quandoquidem de Paſſione Salvatoris inciderit ſermo, crediderim tam lubenti ac ferventi animo ſpinas dolorum accutiſſimas pertuliſſe, ut ne vel floſculum conſolationis admittere voluiſſet, ne inde refrigerium aliquod aut levamen accederet; Ut idcircò quæſtionem unam aut alteram moverit, S. Paſchaſius: Primò, utrum in ultimâ Cœna adfuerit Maria & cum Diſcipulis communicaverit? Secundò, triduo illo Paſſionis cùm flagellaretur, coronaretur ſpinis, clavis perfoderetur & cruci affigeretur atque tandem ſepulchro retineretur, an tum ſub ſpeciebus conſecratis Corpus Domini noſtri haberetur? Ad utrumque quæſitum negativè reſpondet, & ad primum hanc fert rationem. Si Maria Virgo cum cæteris in communione Chriſtum ſub Sacramenti ſpeciebus recepiſſet, tantâ id puritate & fervore ſpiritus peregiſſet, ut ſufficeret ad Chriſtum recreandum & acerbitatem Paſſionis mitigandam: ſed quia ſolatium & refrigerium reſpuit, ſpinas ſine floribus eligens, ideò Mariam à cœna & communione abeſſe voluit. *In ultima cœna Corpus Chriſti non accepit Maria, ne hujuſmodi conſolatione, paſſionis dolores minuerentur.*

*S. Paſch.*

Ad alterum quæſitum, Cur in *illo triduo mortis* non manſerit ulla particula conſecrata, rationem adfert Epiſcopus Hoſtienſis, quia alioqui Chri- ſtus eodem tempore fuiſſet in cruce irriſus & ab Apoſtolis in Venerabili Sacramento adoratus, in cruce vulneratus, & in tabernaculo glorificatus; in cruce dolore dejectus, & in Eccleſia gaudiis recreatus: in propria humana ſpecie ab Hebræis contemptus, & in Sacramentali à fidelibus ho- noratus. Volo (ait Salvator) pungentes ſpinas ſi- ne floribus; fel peto ſine melle; anguſtias undi- que deſidero, ſed ſine ullo levamine. Noluit er- go (concludit Drogo) ne vel particulam ullibi ſupereſſe conſecratam in ultimo illo triduo, *ut undequaque pati diceretur.*

*Drogo Epiſc. Hoſt. de Paſſ. Dom.*

Quid ultra? non voluit ut à planta pedis uſque ad verticem capitis in Sacratiſſimo Corpore ſani- tas reperiretur, aut illæſum membrum.

Quid, putatis, intendit Chriſtus, cùm in cruce pendens caput verſus pectus reclinavit? *Inclinato capite.* nonne vobis ideò videtur, ut plagati cor- potis geſtibus amoris ſui ſigna oſtenderet? Au- guſtinum aſſerentem audite: *Totum corpus expo- ſitum habet ad redimendum, brachia extenſa ad amplexandum, cor apertum ad diligendum, & ca- put inclinatum ad oſculandum.* Vel dicamus, po- tiùs ad eam partem inclinaſſe, quam lancea Lon- ginus perfoderet, ut in corde amoris plagas pate- faceret. Alluſit ſic ingenioſus Poeta.

*Ioann. 19.*

*Lib. de Virgin.*

*Petrus Mich. p. 1.*

*Qual poi ſegno maggiore*
*Signor' ch' ei ti ſia grato*
*Moſtra à un' ſervo ingrato?*
*Non baſtan le Divine*
*Tempie cinger di ſpine?*
*Eſſer in ogni lato*
*Percoſſore flagellato?*
*Ch' anco dimoſtri ô mio celeſte Amore*
*Il ſanco lacerate, aperto il Core.*

Veriſimile etiam arbitror, pieque meditor in- clinatum caput, ut linguæ foret liberum cum corde à ſiniſtra pectoris parte habere colloqui- um. O quàm grata, quàm ſalutaris linguæ & cor- dis diſſertatio! Lingua exanguis geſtu mortuo reverenter ſubmittitur & cor palpitans beni- gnè ſalutat. Diſcurrit lingua profundo ſilentio, & cor reſpondet gravi ſuſpirio. Ediſſere cor me- um, obſecro: quid tibi eſt? cui cor: affligor, ait, quia nil patior: an non ergò (reſonat lingua) tot amoris ſufficiunt vulnera? nonne à paſſio- nibus interiùs ſat acerbus tibi ſit cruciatus? Eheu! gemens cor addit) cur mœror non exe- dit? Querar ergo (lingua reponit) cum luctu, & jure quidem, cæteris membris non deeſſe pœ- nas, meque vel renitentem hîc excipi. Juſtius ego deplorer (cor dixit) ab hac me palæſtrâ ex- cludi. O fortunatum caput! (clamabat lingua) quia ſpinis coronari dignum! Verè beati pedes (replicabat cor] ſtigmatibus inſigniti! felices ma- nus clavis perforatæ! feliciſſimum corpus fuſti- bus & flagellis lanitatum!

Non ſic, (ait lingua) non ſic, non acquieſcam donec ita patiar. Neque facilè placabor ego, re- ſpondet cor, niſi priùs doloribus opprimar. O quàm jucundum hoc amoris certamen! quàm dulce colloquium & quàm gratum duellum! Quid tandem? pactione facta apud Patrem expo- ſtulare proponunt: ita parat lingua innocen- tiæ chartam, cor ardentis affectûs calamum, & intincto ſanguine querelas deſcribunt, ſicque ad æterni Patris tribunal ſupplices expoſcunt: *Deus, Deus meus* (exponit lingua) *ut quid dereli- quiſti me?* Cor altius aſſumit. *Clamavit, clamore valido.* Eſſe ſolius cordis exclamationem teſtatur David. *Clamavi in toto corde meo: exaudi me Do- mine.* Exaudivit Pater & favendo petioni ſub- ſcripſit, cùm ecce ſtatim exequuntur miniſtri im- pii, ſpongiam felle atque aceto perfuſam ori ob- trudentes. *Vas ergo erat aceto plenum; illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſopo circumponentes, ob- tulerunt.* Et ita ſatisfactum eſt linguæ.

*Marc. 15.*

*Hebr. 5.*

*Pſ. 118.*

*Ioann. 19.*

Ex altera parte miles in equo inſultat & ſtri- ctâ lanceâ pectus perfodiens, cor vulneravit. *Vnus militum lancea latus ejus aperuit, & conti- nuo exivit ſanguis & aqua.* Ec ſic cumulatè da- tum eſt cordi, & ſatis linguæ; uni quidem ama- ritudine fellis, alteri vulnere lanceæ. Caput ergò JESUS incurvat, ne pars ulla corporis ſine læſio- ne reſtet. (Inclinato capite Chriſtus omnes ſui corporis partes luſtrat, an aliqua ſit pars quæ paſſa non eſſet. Vidit latus dextrum quod non ita paſſum videbatur, & vulneri locum aperuit, ut cor feriatur.) Hoc de corde dictum. De lin- gua S. Bern. affirmat: *Fractis membris omnibus, dulcis* JESUS *voluit puniri & linguam, & ad pœ- nam linguæ ſufficit, acetum guſtâſſe.* Pro utroque Pelbartus ſubſcribit his verbis: (Sola remanſerant lingua & cor; ſed, ne & illa remanerent abſque pœna, felle & aceto potatur lingua, & cor aperi- tur lanceâ.) Et extremis illis doloris effectibus correſpondit prognoſticis ſignis, quæ, vix natus oſtendit. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur.*

*Ioann. 19.*

*Alphonſ. Card. Palleot. de Paſſ. Chriſti.*

*Serm. 14. de Paſſ. Dom. L. 3. p. 3. a. 2. c. 2.*

Mirum

Mirum eſt quod ſubdo, pro certo tamen habendum. Ut excitatum in circumciſione extingueret deſiderii incendium, pati & mori in cruce voluit annis duobus ante ſtatutum tempus, & à SS. Prophetis præſignatum. In Sacra Pagina reperio notatum quandonam eſſet Chriſtus moriturus, ſcilicet ætate 35. annorum. Myſterii hujus videre impletionem ardentiſſimè deſiderabat Propheta Habacuc, humillimè ſupplicans: *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud,* ubi & præciſum terminum indicavit. *In medio annorum notum facies.* Hoc jam difficile, quodnam illud ſit annorum medium. Nonnulli opinantur, hìc annos omnes comprehendi à mundo condito uſque ad adventum Chriſti Judicis, neque medium hìc debere intelligi geometricè aut arithmeticè, ſed (quatenùs excludit principium & finem, id eſt, pro quacumque temporis differentia contenta inter hæc duo extrema principium, & finis.) Titelmannus tamen de annis humanæ vitæ interpretatur. (Quidam admodum ſubtiliter exponunt de medio annorum vitæ hominis, quo vivere poteſt homo ſecundùm conſuetum naturæ curſum in bona qualicumque valetudine.)

*Habac. in Cant.*

*Iacob. de Valentia in Cant. Habac.*

*Fr. Titelm. in Cant. Habac.*

At verò ſi incerti ſint anni vitæ hominum, cum videamus alios brevi, alios longo tempore, alios mediocri vivere, quomodò ergò quis hic certùm ſtatuat medium? hoc equidem verum, ſi aſſequi valeamus quot ſint determinatè vitæ hominum anni, facilè tum fore, annum aſſignare omnium medium.

Videtur id aliquando ſubindicaſſe Regius Propheta David, ubi ſic ait: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: amplius eorum labor & dolor.* Concurrit iterum & conſentit Titelm. (Dies annorum hominis & duratio vitæ humanæ, quâ poteſt homo ut plurimum ſecundùm conſuetum naturæ curſum in ſanitate & bona valetudine vivere, anni ſeptuaginta aut circiter vel paulò infrà, vel paulò ſuprà: quod verò ultra hos terminos eſt reliquum vitæ, in afflictione eſt, atque dolore.) Confirmat non jam Incognitus, ſed Ordinis Carmelitici notiſſimus Interpres. (Hic in particulari determinat vitæ præſentis brevitatem, dicens quòd durat uſque ad 70. annos, quibus transactis, vita hominis non eſt niſi quædam miſeria.) Si igitur dies vitæ hominis 70. anni, medium illorum conficient 35. ſicut intenderit Propheta Habacuc ita loqui: Oro te, Deus, ut cùm Filius tuus unigenitus noſtram aſſumpſerit carnem, eritque jam in medio ætatis, triginta ſcilicet & quinque annorum, genus humanum vivificetur. (Opus tuum quod creaſti & & manus tuæ formaverunt, jacet in vita hujus mundi ſauciatum & mortificatum: ergo vivifica illud per mortem ipſius, paſſionem & reſurrectionem.) Si ita eſt, (NN.) quarè ergo dies mortis Filii Dei tempori propheticè deſignato non correſpondet? ut quid mori non diſtulit ad trigeſimum quintum ætatis annum, ſed quaſi longioris moræ factus impatiens ad annos duos prævenit?

*Pſal. 89.*

*Fr. Titelm. in hunc locum Pſ.*

*Michael à Bononia in Pſ. 29.*

*Iacob de Valentia ubi ſupra.*

Religioſus ſit, qui votis omnibus cupiat hanc ſibi gratiam, ut quantociùs Sacerdos ordinetur & primitias in altari offerat: deſiderio accedit mora, defectu ætatis requiſitæ; nil tamen hâc ipsâ dilatione illi moleſtius: quid agit? medium excogitat, diſpenſationem temporis implorat & obtinet, neque tum diutiùs expectat, ſed feſtinanter ad altare ſe præparat, ut voto jam perfruatur. Deſiderio Chriſtus maximo tenebatur, nihilque cupiebat ardentiùs, quàm ut celerrimè ad aram crucis perveniret, cruentum æterno Patri Sacrificium oblaturus. Sed cùm triginta tantùm & trium annorum eſſet, duoque de triginta quinque requiſitis deficerent (piè dicam) factus impatiens diſpenſationem impetrare quâcumque etiam viâ concepit. Ad hortum pergit Gethſemani, memoriale exhibet Summo Pontifici: *Pater, non mea voluntas, ſed tua fiat.* Feliciter quidem: cùm ecce ex cœleſti nuncio intelligat conceſſum à Pontifice deſiderium. *Accedens Angelus de cælo confortans eum.* Ad Pilati Datariam properat urgetque Brevis ſubſignationem. *Tollite eum vos, & ſecundùm legem veſtram crucifigite.* Et ſic ordinatus Sacerdos. *Tu es Sacerdos in æternum.* Sacerdotalia induit, amictum coronæ ſpineæ imponit capiti, Albam veſtem porrigit Herodes, flagrorum funibus ab Hebræis præcingitur, manipulum vinculorum ſtringentium ſuper manum ponunt, pro ſtola accipit catenam ferream, pro planeta crucem, & calicem paſſionis præferens, introit ad altare montis Calvariæ.

*Luc. 22.*

*Ibidem.*

*Ioan. 19.*

*Pſal. 109.*

Et quia ritu ſolemniori celebrandum erat auguſtiſſimum hoc ſacrificium, Diaconi officio fungitur bonus latro, ſubdiaconi malus. Introitum dicit: *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Collectam incipit ac pro crucifixoribus orat: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Cantat Epiſtolam malus latro: *Si Filius Dei es, ſalva temetipſum & nos.* Evangelium pronunciat bonus: *Neq; tu times Deum, qui in eadem damnatione es:* Ad Offertorium proſequitur, Spiritum

*Marc. 15.*

*Luc. 23.*

*Luc. 23.*

*Luc. 23.*

æterno

æterno Patri offerendo : *Pater, in manus tuas*
*commendo ſpiritum meum.* Aſſiſtit miniſter, non
vinum & aquam in ampullis porrigens, ſed fel &
acetum. *Vas ergo erat poſitum.* Intonatur à turba
Præfatio: *Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce, &*
Marc. 15. *credimus ei.* Milites *Sanctus* clamant ore impio
blaſphemantes : *Vah qui deſtruis templum Dei,*
*& in triduo reædificas illud.* Hæret celebrans in
Memento, Diaconus adſtans precatur ut ejus
recordari dignetur: *Memento mei, Domine, dum*
*veneris in Regnum tuum.* Ad conſecrationem
Luc. 23. progreditur, etſi non tranſubſtantiet, Joannem
tranſmutat in Mariæ filium, & in matrem Joan-
Ioann 19. nis Mariam : *Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit*
*Diſcipulo: Ecce Mater tua* Etiam defunctorum
animabus ſacrificium applicat, & ſtatim ſecutus
eſt fructus. *Multa corpora Sanctorum, qui dormie-*
Matt. 27. *rant, ſurrexerunt.* Dicit *Agnus Dei,* ideò milites
Marc. 15. *revertebantur, percutientes pectora ſua.* Termi-
naturus jam Sacrificium, ut populum in pace,
Ioann. 19. dimitteret, ait : *Conſummatum eſt.* Et ſi præ om-
Ioann. 1. nibus ſacerdoti incumbat, ad *Verbum caro factum*
*eſt*, inclinare, Chriſtus etiam caput inclinavit.

Ecce tandem abſolutum Sacrificium, ecce
terminata eſt Paſſio & ſanguis effuſus duobus
annis ante decretum tempus. Concludo ergò
(NN.) his Titelmanni verbis : (Domine, opus
Fr. Titelm. in Cant. Abac. Proph. tuum in medio annorum vivifica illud. Hoc
enim tempus in pſalmis aſſignatur annis ſe-
ptuaginta. Si autem ſeptuaginta dividas in duas
partes æquales, tempus medium habet annos
triginta quinque. Chriſtus autem Dominus ſalu-
tem humani generis in Cruce operatus eſt anno
ætatis ſuæ trigeſimo tertio.) Et vel exinde oſten-
dere cupiebat, quantus eſſet patiendi ardor ex
illo inſtanti, *cum conſummati ſunt dies octo, ut*
*circumcideretur puer.*

Nos autem qui Chriſtiani ſumus, non ſubdi-
ti circumciſionis iſtius præcepto, quid hinc fru-
ctus, quid utilitatis excerceremus, cùm tamen
actiones Chriſti fideliter imitari Chriſtianos o-
Ioann. 13. porteat, ipſomet Chriſto aſſeverante: *Exemplum*
*dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos*
*faciatis!* Utique *omnis Chriſti actio, noſtra eſt in-*
*ſtructio.* Diſcamus ergò & nos ſpiritualiter cir-
Ludolph. à Sax. Carthuſ. in vita Christi p 8. c. 88. cumcidi. ( Significatur autem per circumciſio-
nem carnis, circumciſio mentis, quà mundatur
anima à vitiis; & ideò debemus circumciſionem
ſpiritualem in omnibus intra & extra habere,
& ex omni parte ſpiritualiter vitiis circumciſi
S. Aug de Circumciſ. eſſe) Hactenus Carthuſ. Author. *Et nos oportet*
(addit S. Aug) *circumcidi, non carne, ſed ſpiritu,*
*& præputium noſtrum, id eſt vitium omne à nobis*
*abſcindi, ut ſimus ſancti & immaculati in medio*
*nationis pravæ, inter quos luceamus ſicut lumina-*
*ria in medio, verbum vitæ continentes. Chriſtus*
*autem ſic ſuſcepit pro nobis circumciſionem, ut nos*
*ſpiritu circumcideremur.* Idem ſedulò Propheta Ier. 4.
Jer. prædicat: *Circumcidimini in Domino, & au-*
*ferte præputia cordium veſtrorum* Circumcidite
corda veſtra plena ſuperfluitatibus. Quis ve-
ſtrum in horto cordis plantam habet odii adver-
ſus proximum & jam radices agit, illud eſt ſuper-
fluum, illud citiſſimè extirpandum: ne in ſylvam
excreſcat. Quot depravatis redundatis vos, & ſu-
perfluitis affectibus? quot diſtortis paſſionibus
mens veſtra gravatur? quot ſuperbiæ, ambitionis
& vanæ gloriæ motibus inflatur? Jamjam con-
tritionis ferro evellite & ex fundo cordis penitus
eradicate. Duobus id modis fieri docet Melli-
fluus Pater: *Duplex eſt circumciſio, quæ à nobis fie-* S. Bern.
*ri debet, ſcilicet interior & exterior.* Audiamus:
*Exterior conſiſtit in habitu, ne ſit notabilis; in a-*
*ctu, ne ſit reprehenſibilis; in ſermone, ne ſit contem-*
*ptibilis.* Adhibenda ea eſt in geſtibus corporis &
modo externo converſationis: in operibus quæ
indies facitis, & in verbis, quæ tam innumme-
ra profertis; an verò hâc non quilibet ex vobis
indigeat? actiones ſuas quiſque conſideret, &
manum, ut ita loquar, pectori admoveat, atque
de ſe fateatur verum, & judicium ferat. *Interior* S. Bern.
*ſimiliter conſiſtit in tribus; in cogitatione, ut ſit* ubi ſupr.
*ſancta; in affectione, ut ſit pura; & in intentione, ut*
*ſit recta, tali circumciſione omnia vitia tolluntur*
*& excluduntur.* Quis non, obſecro, millenis co-
gitationibus impetitur? ecquis ille eſt, cui non
prædominentur impuri affectus? quis tam ſibi
præſens, qui rectam in actionibus ſuis omnibus
intentionem ſemper teneat, Deique voluntati
planè conformem? Si pupillorum tibi cura eſt,
quis finis? nunquid, ut illorum proventibus fa-
miliam ſuſtentes potiùs, quàm ut charitatem
Chriſtianam exerceas? Ædituus es, bona Eccle-
ſiæ adminiſtrans, quid hìc intendis? Dei ſolius
honorem? certè ſine præmio & emolumento
tuo non faceres: Juſtitiæ miniſter es, & quare?
Omnes pecuniæ vias nôſti, & omnia pecuniæ
causâ per fas & nefas procuras. O quàm neceſſe
eſt tam ſanctæ circumciſionis uti inſtrumento?
Circumcidite vos vanæ mulieres & puellæ le-
ves, ornatum illum ſuperfluum tollite. Quor-
ſum unguentis affluitis, calamiſtratâ comâ?
Scitis quid compti illi veſtri capilli, inſperſus
pulvis & madentes cincinnorum fimbriæ? Di-

cam ego: Incentiva libidinis ſunt & Diabolorum laquei, iiſque tot animos irretitos tenent, quot in cordibus flammas accendunt: illo vanitatis pulvere ſanctitas violatur, laſcivis illis capillorum circulis ceu totidem Lucifer decoratus inſignibus de animabus veſtris triumphat.

Non eſt, mihi credite, pars ulla noſtri corporis quæ circumciſionis hunc cultum non requirat: præſcindendi ſunt oculi ab inhoneſtis reſpectibus, aures ab audiendis otioſis & vanis, lingua à multiloquio, detractionibus & blaſphemia; manus ab iniquis injectionibus, furtis & rapinis: pedes à viis peſſimis quæ ducunt ad interitum & æternam damnationem. Arbores videamus, fructum non ferent niſi truncatis ramis; ubi enim frondium luxuries, fructuum abundantia non eſt ſperanda. Vitium pampinatio tempeſtivè neceſſaria, ne in folia virtutem omnem exerant. Ad confuſionem veſtram hoc adferam: An non obſervâſtis quomodo ferrum arte præſervetur à rubigine, argentum & aurum à terræ mixtura expurgetur, granum à palea, & vinum à fæce? Solus ergo peccator ferruginem vitiorum retineat, paleam vanitatis non excutiat, & in ſcelerum fæcibus tanquam in viſco adhæreſcat? Turpis ea eſt & nimis nocens vita, cùm in extremo ſalutis diſcrimine verſatur anima. Tollenda igitur ſuperflua hæc, exemplo Chriſti circumciſi. S. Auguſtinus monet: *Myſteria circumciſionis Chriſti ſunt mandata ejus, quibus præcipit quidquid ſuperfluum ſive in corpus, ſive in animum noſtrum irrepſerit, abſcindi à nobis & circumcidi.*

*S. Aug. Homil. de Circumciſ.*

Circumcidor ego in corpore, ait Chriſtus Salvator, ut vos circumdamini ſpiritu. Modum ego ſuggeram circumcidendi vos & ſpargendi ſanguinem ſine dolore & ferro. Duplicem habetis ſanguinem, unum qui in venis conſervatur, & iſte primus eſt, alterum qui in burſa, & hic ſecundus ſanguis à nonnullis vocatur. *Argentum & ſanguis mortalibus* dixit Ariſtophanes. In burſa ergo vos circumcidite, ſanguinem ſecundùm pecuniam, inquam, exprimite, ut ſic pauperes foveatis: id commendo.

## PARS SECUNDA.

Poſtquàm conſummati ſunt &c. vocatum eſt nomen ejus IESVS. In circumciſione puero nomen JESUS imponitur, quod ab Angelo fuerat è cœlo nunciatum. *Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquàm in utero conciperetur.* Impoſiti

*Luc. 2.*

ſic nominis multæ adferuntur rationes & congruentiæ. *IESVS* idem eſt quod Salvator: unde quia propter noſtram omnium ſalutem in hæc terrena deſcenderat, nomen hoc JESUS illi conveniebat. (Vocabis nomen ejus JESUM, id eſt, Salvatorem, quia ex officio, cui incumbebat, nomen habere debebat: ſtudebat autem humanæ ſaluti.) Confirmat Niceta: (*IESVS* tanquam Servator nominatur, & exponitur, cujus interpretationis Gabriel ipſe teſtis eſt, cùm Virginem his alloquitur. Vocabis nomen ejus JESUM, quoniam ipſe ſervabit populum a peccatis eorum.)

*Io. Vign. l. 1. c. 24.*

*Nicet. in Biblioth. Vet. P. Tom. 12.*

Debebatur Chriſto hoc nomen: ſicut enim ipſe omnium, qui ſub cœlo ſunt, longè erat ſanctiſſimus, celeberrimum etiam titulum requirebat: neque digniori unquàm poterat vocabulo exprimi, quàm dulciſſimo hoc nomine JESUS: de quo ſic aſſerit S. Vincentius Ferrerius: (Hoc nomen JESUS eſt virtuoſum, quia omnes virtutes, quas Deus poſuit in herbis, lapidibus, plantis, ſtellis, conſtellationibus, omnes ſunt & continentur in hoc benedicto nomine JESU.)

*S. Vinc. Ferrer. ſerm. in Circ. Do.*

JESUS erat appellandus: ſicut enim Chriſtus fons, à quo nobis aqua Divinæ gratiæ abundè promànat; ita nomen iſtud omnium bonorum origo eſt, quæ creaturis liberaliter conceſſa. (Quidquid undique eſt, quantumcumque ſit, ſe cognoſcat inferiùs, ſe fateatur indignius, & ſi quid habet candidum, ſi quid conſpicuum, ad illud nomen referat, unde accepit, illique excellentiæ devotus adſcribat.) Ita Arnoldus Carnotenſis.

*Arn. Carn. Tr. ult. de 7. Verbis Domini.*

Non poterat illi dari nomen convenientius iſto, per quod tam prodigioſi, tot miraculoſi eventus. *H cest nomen, quod dedit cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, ſermonem mu*[illegible] *proindè ſi qua infirmitas tibi, vel tuis occurrat, ad invocationem hujus nominis recurre.*

*D. Bern. Sen. p. 2. ſer. 49.*

Mirum eſt, quod in Monaſterio S. Gabrielis contigit, de quo ſic in Chronicis Cluniacenſibus. (Apud Cremonam facta eſt tempeſtas maxima, ceciditque in grandine lapis grandis, in quo erat Crux & imago Salvatoris expreſſa, deſuper quoque aureis litteris ſcriptum I. N. R. I. & de aqua, de qua liquefactus eſt lapis, inunxerunt Monachi oculos ſemicæci, qui ſtatim clarè vidit.)

Et certè hoc unum quibuſvis infirmitatibus remedium experietur, quiſquis dignè ac reverenter invocabit. Teſtis eſt Michael de Carcanos (Audivi, ait ille, quàm plurimos errantes in multis periculis ſive equitando, ſive itinerando, ſive per mare eundo, ſive cadendo, in hujus nominis invocatione illæſos evaſiſſe.)

*B. Mich. de Carc. ſer. 8. de Nativ.*

Dæ-

Dæmonibus terribile eſt, quo vel ſolùm audito in fugam ſubitò convertuntur. Atque idcircò cum 72. Diſcipuli dicebant: *Domine, etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.* Reſpondit eis Magiſter: *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem. q. d.* (exponit D. Bernard.) *Nolite mirari, ſi nomen meum diaboli expaveſcant & eos ab homine pellat, cum virtute ejus, Sathanas cum omnibus Angelis ſuis de cælo expulſus cecidit ſicut fulgur.*

*Luc. 10.* *Pſal. 2. ſer. 49.*

Jure & meritò nomen hoc illi competebat: ſicut enim nemo eſt, qui meritis Chriſtum æquiparare queat, ita nec qui nomine valeat. O pondus nominis JESU! (exclamat Petrus Cellenſis) quis appendere, quis dinumerare, quis æſtimare valeat hoc nomen in pondere? numquam ſine pondere nominandus eſt JESUS, pondere utique ſanctuali: quia nemo poteſt dicere, Dominus JESUS, niſi in Spiritu ſancto)

*Lib. 1 ep. 4.*

Nomina impoſita ſcimus *ad ſignificandum quod quid rei.* Cicero propterea ait: *Nomina ſunt tamquam rerum notæ.* Ariſtoteles: *Nomen dicitur à notificando.* S. Thomas Aquinas denique: *Nomina debent proprietatibus rerum reſpondere.* Unde cùm Deus reſtitueret Abrahamum *patrem populorum*, mutavit nomen *Abram* in *Abraham.* Idem hoc eſt quod multorum populorum pater. Sic etiam Sara uxor ejus vocata eſt: [ Sarai per quod Dominus oſtendere vult (inquit Oleaſter) ſe velle Sarai extollere, ut eſſet princeps multitudinis gentium, quemadmodum vir ejus. ] Sed dicite vos Nobiliſſimi Veneti, cur civitatis veſtræ nomen Venetia! Venetia, id eſt, *Veni etiam.* Quiſquis es redi & veni etiam ut revideas & unum hic ex mundi ſeptem mirabilibus mireris. Aut certè Venetia idem eſt ac *Væ neſcia*, ſine *væ.* Civitas quæ nondum adverſitates ſenſit aut infortunia. Sic omninò nomen JESU, ut ei correſpondeat cui impoſitum, neceſſe eſt, ſic ut Chriſtus, quidquid vocabulo expreſſum, opere adimpleat.

*Cicero de Finib.* *Ariſtot. 1. Metaph. 12* *Gen. 17.* *Petr. Rom. in Ven. Eva.*

*Lib. 24. 10.* B. Simon de Caſſia dicit. JESUS *commune eſt, & communiter omnibus factus eſt.* JESUS elegit nomen hoc JESUS, quia communis omnium quærebat eſſe benefactor: non ſingularis, ſed benignus & benevolus omnibus. Prognoſticon eſt jam dicti Scriptoris, videamus, utrum effectibus verum probetur. Unus & idem Angelus Virgini caſtiſſimæ incarnationem Verbi annunciavit, & Zachariæ conceptionem Joannis Baptiſtæ Præcurſoris ſed diſpari loquendi modo; ſiquidem Beatiſſimæ Virgini dixit: *Ecce concipies & paries.* Zachariæ verò; *Eliſabeth uxor tua pariet tibi filium.* Illud *tibi*, dictum Zachariæ in dubium mihi venit. Zachariæ dixit: cur non & Mariæ? Reſpondet Chryſoſtomus. Nativitatem Joannis prædictam & fauſtam quidem, ſed patri ſolum ac matri, cum hæc fœcunda, & ipſe factus loquens: at Chriſtus, cui nomen JESUS, natus eſt non modò ad matris bonum, ſed & totius univerſi ſalutem: ideoque nec illi dictum ab Angelo, *partes tibi*, quomodo Zachariæ legimus factum. Verba pono S. Patris Chryſoſtomi: *Non enim ait. Paries tibi filium, ſed abſolute, paries: non enim peperit ſibi, ſed toti mundo.*

*Luc. 1.* *D. Chryſ.*

Advertiſtis, quibus verbis uti ſoleat Chriſtus cùm ad ſalutem homines vocat, non ad perſonas aliquas reſtringit, ſed generatim atque universè agit, ſine exceptione omnes invitans, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis. Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit.* Et ubi de ſacratiſſimo ejus nomine loquitur Apoſtolus, *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, verba ſic explicat eruditus Author: *Quibus ſe omnibus Chriſtus exhibuit ad ſalutem & nemini deſperationem minatur, qui ejus non retinuerit benignitatem.* Veritatem hanc Abbas Pinuſius confirmat dicens: [ Videtis ergò quantos miſericordiæ aditus patefecerit clementia Salvatoris, ut nemo ſalutem cupiens deſperatione frangatur, cùm videat ſe tantis ad vitam remediis invitari. ]

*Matth. 12.* *Ioan. 12.* *Ioan. 6.* *Luc. 11.* *Rom. 10.* *Auguſt. de Monte Alcin.* *Pinuſ. Abb. Collat. 20. c. 7.*

Scriptor ille præfatus diligenter & curiosè perpendit Redemptoris noſtri Verba dicta S. Petro, cùm jam eum Apoſtolici gregis, & orbis univerſi caput ſtatueret. Obſervat commiſſionis formulam: *Paſce oves meas.* Audite interpretantem: *in quibus verbis oves ſuas Petro indiſtinctè ſingulariter commendavit, tanquam univerſali Paſtori, & omnium Regi; nam non deſignaſſe aliquos eſt aſſignaſſe omnes.* Deinde advertit, Dei Filium non ſemel tantùm, ſed tribus iteratis vicibus commendâſſe Apoſtolo Petro ſuum gregem; quia cùm tres aſſignari ſoleant hominum ſtatus, incipientium unus, proficientium alter, tertius perfectorum, noluit videri perſonarum acceptor, ideoque non nominatim unum aut alterum ſtatum, ſed æqualiter omnes concredit. *Oves commendat trinâ commendatione, quia triplici differentiâ oves exiſtunt, incipientes, proficientes & perfecta, ut omnes, quæcumque ſint, Petro & ſucceſſoribus ſubjecta eſſent,*

*in Bibliot. vet. PP. 1. 5 p. 2.* *Auguſt. de Monte Ilc. de præſtât. Rom. Epiſc. p. 1. c. 2.* *Idem ubi ſupra.*

*omniumqúe gregis Dominici ovium, & primus Paſtor eſſet atque ſupremus.*

Cùm Jeroſolymam ingreſſi eſſent Magi, acceſſerunt ad Herodis palatium, ut Chriſtum quærerent. Petebant ergo: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Sed tamen ibi non invenerunt. Occurrit hic D. Cyprianus & commotus hos ita redarguit: *Injuriam facitis Divinitati, ſi illum in domibus quæritis.* Injurioſum namque ducebat in domo privata quærere: & ſi natus eſſet in propriis Herodis ædibus, putaſſet mundus, ita factum ex partiali erga Herodem affectu. Naſci igitur in diverſorio elegit, ut ſic omnibus communem affectum in loco communitatis demonſtraret. (Non in palatiis Regum & Principum, ſed in diverſorio exponitur cunctis, qui ad omnium erat directus ſalutem, ne ſuus aſpectus tolleretur ab ullo, qui ſe omnibus exponebat ad nutum.)

*Matth. 3.*

*Barthol. de Piſis lib. 3. de Vita B. V.*

Quod præterea ad JESU nomen attinet, metaphoricum illud eſſe voluit; & ut myſterioſa cæterum ſileam, Solis vocabulo legimus adumbratum. Teſtis hic nobis Malachias, qui prophetico oculo ita prævidit: *Oritur nobis timentibus nomen ejus Sol juſtitiæ.* An quia Sol naſcens exhilarat, occidens verò contriſtat; unde formatum eſt emblema hâc adjecta Epigraphe *ſyn ſus rayes mis deſmayes.* Ita JESUS, cùm naſcitur, mundum recreat: *Annuncio vobis gaudium magnum.* Cùm autem ad mortis occaſum vergit, matrem, Apoſtolos & mundum univerſum mœrore afficit. *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram.* Sed quis non videat Solem indifferenter illuminare omnes mundi plagas, terram æquè & urbes, caſtella, palatia Principum & pauperum tuguria, montes, plantas, colles, ſylvas, turres, valles, homines, feras, &c.? *Sol à nullo diſtat,* (ait D. Ambroſius) *nulli præſentior, nulli abſentior eſt, ſimilis Sol eſt Indis & Britannis, & eodem momento videtur cum oritur nec, cum vergit in occaſum, minor apparet orientibus quàm occidentibus.* ut obſervata ſic lex expreſſe inquiens, *Nec facienda eſt exceptio perſonarum.*

*Malac. 4.*

*Luc. 3.*

*Luc. 23.*

*C. novit. de jud. l. Si cum dies §. Si arbit. ff. de arb.*

Antequam hunc mundum Salvator relinqueret, ſacramentaliter manere voluit ſub ſpeciebus panis & vini, non mellis, lactis aut mannæ, eò quod mel non omnibus placeat lac cibus ſit infantium, & manna remedium infirmorum, panis verò omnibus ſapit & placet, à puſillis & magnis, ſanis & infirmis comeditur; & quia ſe fidelibus omnibus dare cupivit, hinc ſub ſpeciebus panis manſionem elegit. *Sumit unus, ſumunt mille, tantum iſti, quantum ille. Manducat Dominum pauper, ſervus & humilis.*

*D. Tho. ſeq. Miſ.*

Statuam Nabuchodonoſoris non eſſe verum Deum, facile concipiebant tres pueri Babylonici, ex eo quod illa caput haberet aureum, ideoque nulla vi adduci poterant ut cultu divino adorarent. *Non poteſt eſſe imago* Dei (ſcribit S. Joannes Chryſoſtomus) *quia Deus in auro non lucet.* Aurum enim ſolis divitibus partiale eſt & charum, Deus autem optimus idem omnibus eſt, neque apud eum valet acceptio perſonarum.

Multæ ſunt in auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio ceremoniæ, nec ulla eſt ſine myſterio; ſiquidem non caſu, ſed Spiritûs ſancti aſſiſtentia regitur S. Eccleſia. Quærit itaque Durandus, cur Sacerdos, qui in celebratione Miſſæ Chriſtum repræſentat, cùm jam Symbolum Apoſtolorum inchoat; quare, inquam, tunc in medio altaris ſtet apertis manibus brachiiſque extenſis; & hanc adfert explicationem: (Sacerdos Chriſtum repræſentans erectus manet, ad notandum quòd Chriſtus ſemper paratus eſt cunctis ſpiritualia bona largiri: & ante altaris medium, innuens quòd non eſt perſonarum acceptor, ſed, quantum eſt in ipſo, omnibus æqualiter influit, nec ſingulum diligit: manibus quoque extenſis ad deſignandum quod paratus eſt abundanter bene merititis illa largiri.)

*Durand. in ritu Div. Off. rubr. de Symb.*

Petrus in monte Thabor perfuſus cœleſti gloriâ dicebat Chriſto Salvatori: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Evangeliſtæ hîc Sancto Petro repugnant & quaſi inſipientiæ redarguunt: *Non enim ſciebat, quid diceret. Neſciebat quid diceret.* Nunquid enim ſex erant perſonæ? Dixiſſet ergò: *Faciamus hic ſex Tabernacula*, ſicque foret ſingulis proviſum, Non optem plura fieri, (ait Petrus) tria namque ſufficiunt, in uno Eliam collocabo & Joannem, in altero Moyſem cum Jacobo, in tertio Tabernaculo ſolus ego cùm JESU gaudebo. Verè ut dicam, Petre, jure meritoque ignorantem te inſimulant, quia Chriſtus Dominus cùm vocetur JESUS; omnium nempe Salvator, tecum ſolus in Tabernaculo uno morari non poterat, ne alioquin non æqualiter cura ſit illi de omnibus; at verò contra, ut certum haberetur Nominis venerandi prognoſticon, ſine exceptione omnes recreari in monte Thabor expediebat cœleſti hac dulcedine & Divinæ Majeſtatis fruitione. Animadvertit hic mecum Doctor Mellifluus; audite ejus mentem: *Volebat quod Ioannes contemplativus ſtaret cum Elia, & Iacobus activus ſtaret cum Moyſe,*

*Matth. 17.*

*Marc. 9. Luc 9.*

*D. Bern. Tom. 4.*

*ſerm.12. in princ.* *Moyſe, & ipſe maneret cum Chriſto in ſuo Tabernaculo.* Accedit Dionyſius Carthuſianus & ulterius ſubinterrogat: (Quare non dixit, faciamus hic ſex tabernacula? fortè ideò, quia putaret in illis tribus Tabernaculis ſe & duos Diſcipulos ſuos recipi poſſe, ut ipſe eſſet in Tabernaculo ſui magiſtri chariſſimi. (Ipſe autem piiſſimus Redemptor nominis ſui eſſe falſa prognoſtica noluit, quando ſe non modo unius Petri, ſed omnium & ſingulorum oſtendebat Salvatorem.

*Dionyſ. Carth. in Matth.17. art.30.*

Ad ultimam uſque vitæ cum ſe exhibuit, ut nominis, quod in circumciſione acceperat, opere probaret ſignificationem. Fateamur omnes, Chriſti actiones ſingulas eſſe valde myſterioſas, neque minùs ipſam mortem. In quem finem voluit, putatis, mori Jeroſolymis & in Monte Calvariæ? an non aliæ civitates erant, aut montes æquè digni? Quid ergò myſterii obſecro, quòd non elegerit pro nobis vitam fundere in iſtis, & non in aliis locis? Loca illa duo vix inter ſe diſſita, juxta Prophetæ coſmographiam in medio terræ ſita ſunt: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Genebrardus in hunc Sacræ Scripturæ locum ſic explicat. (Palam & manifeſtè in medio terræ noſtræ, vel juxta alios in Hieruſalem, quæ eſt terræ ſanctæ velut medium & umbilicus.) Sed quanti id refert, Chriſtum in medio terræ mortem appetere? an non æquè alibi moriens, mundum redemiſſet? omninò. Cur ergò Hieroſolymorum montana conſcendit? ea nominis JESU virtus & dignitas eſt, ut illius gratiâ, ad moriendum iſtic potiùs quàm alibi, quodammodo obligatum ſe ſenſerit. Scitis NN. medium æqualiter diſtare à qualibet parte circumferentiæ, ut ideò Mathematici veritatem hanc probatam ita proponant: A centro ad circumferentiam, omnes lineæ ſunt æquales. Quòd ſi non diſtaret æqualiter à qualibet parte, ſequeretur, quòd non eſſet in medio. Elegit igitur Dei Filius totius univerſi medium mortis ſuæ locum, & Jeroſolymam dico, & Montem Calvariæ, ut evidenter pateat, ſparſiſſe eum pretioſiſſimum ſanguinem æqualiter pro omnibus hominibus quantum ad ſufficientiam, neque magis pro hac quàm illa natione. *Hac de cauſa voluit Chriſtus Hieroſolymis pati, ne quiſquam crederet pro ſola Iudæorum gente mortuum fuiſſe. Ideo in medio terræ mori voluit, & operari ſalutem, ut ſe omnibus datum, natum & mortuum declararet.*

*Pſal. 73.*

*Genebr. ibi n.14.*

*Auguſt. de monte &c.*

*in ſolut. cōtroverſ. inter Cathol. & Proteſt. c. 33.*

Concludamus itaque & concedamus actiones Chriſti nunquam diſcrepaſſe à prognoſtico circumciſionis tum in paſſione, tum in effuſione ſanguinis, nec à ſignificatione dulciſſimi Nominis, cùm non ſe alicui partialem oſtenderit, ſed JESUM ſemper, id eſt, omnium Salvatorem & benefactorem.

Hoc Nomen S. P. Auguſtino unicum in adverſis erat perfugium, & velut anchora certiſſima, quâ Salutis navim in mediis tempeſtatibus ſtabiliebat. *Quid eſt enim IESVS* (inquit ille) *niſi Salvator? Ergo propter temetipſum IESVS eſto mihi IESVS, eſto mihi Salvator benignus. Noli, Domine, noli attendere ſic malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum. O bone Domine IESV, etſi ego admiſi unde me damnare poſſis, tu non amiſiſti unde ſalvare ſoles.*

*S. Auguſt. lib. medit. cap. 9.*

Item S. Pater hortatur, & peccatorem quemque ſeriò monet, ut frequenter glorioſum hoc Jeſu nomen invocet, illoque ceu fortiſſimo ſe clypeo muniat. *Reſpira ô peccator, reſpira; ne deſperes, ſpera in eo quem times; fuge ad eum, à quo aufugiſti: invoca importunè, quem ſuperbè provocaſti; dic ei: Ieſu propter nomen tuum dulce, fac mihi ſecundum nomen tuum Ieſu: obliviſcere ſuperbum te provocantem, reſpice me miſerum te invocantem. Ieſu nomen tuum dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ ſpei.*

*S. Aug. l. de cont. cordis.*

O verè felix es (ait S. Bernardus) quiſquis ſub tanti nominis vivis protectione. Non eſt quod trepidet quicumque ſub JESU vexillo militat. *Vere enim beatus populus, cujus Dominus Deus ejus IESVS eſt;* quia ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

*D. Bern. ſer. 3. in c. 1. Matt.*

Agedum, ad nominis JESU arma jam jam vos conferte, ſic in mundi hujus ſcopulos non incidetis, & eritis ab æternæ damnationis naufragio liberi.

# IN FESTO EPIPHANIÆ.

## ARGUMENTUM.

Curſum Magi contendunt aſtri ſequentes ductum, ut Chriſtum recens natum citiùs adorent; & ad remotum celeri volatu ſic properant Regnum, ut docerent homines, quàm neſciat moras deſiderium benè inflammatum, ut qui eò adurgentur, explere omni feſtinatione moliantur, ne virtutis colendæ opportunitatem deſidioſè prætermittant, cùm cæleſtia adeſſe vident auxilia.

## THEMA.

*Cum natus eſſet IESVS in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ieroſolymam &c,* S. Matth. cap. 2.

SUſpecta ſemper & deteſtata fuit in operibus bonis exequendis procraſtinatio, neque ſine culpa plerumque differri potuit negotium urgens, ſæpeque dilatio in dubium certa revocavit. *Plerumq; ſera pro nullis ſunt*, dixit aliquis: & tritum hoc eſt, *Periculum in mora.* Quis hic Tullii ſenſus, ipſe loquatur. *In rebus gerendis tarditas & procraſtinatio odioſa eſt.* Subſcribit alius: *Tarditas ut plurimum pernicioſa eſt.* At contra de aſſiduitate & cura cenſendum: ubi enim diligentia ſollicita eſt, ſperandum benè de felici exitu, ſi modò humana accedat induſtria rebus curandis: & tam erraret qui procraſtinationem ſub prudentia collocet, quam ille qui ſollicitudinem intra imprudentiæ limites reductam vellet. Quod ſi fortaſſis temerè aſſeruit unus, *Res ſerias ad craſtinum differre debemus*, imprudentis non vitavit notam. Non ſemel tantum contigit navim in mari ſubmergi, dum emergendi protracta eſt mora, ubi feliciter appuliſſet ad portum navigantis induſtriâ, ſi evadendi occaſionem rapere feſtinâſſet. *Quæcumque negotia maturanda ſunt celeritate.* Et hoc à Suetonio Politicis præceptum, *Simul dictum & factum.* Multum ſanè intereſt, benè faciendi tempus non amittere, ut actiones noſtræ bonum exitum ſortiantur. Alexander Magnus feliciſſimè ſemper decertavit, & terrarum orbem ſubjugavit armis. *Nil differendo.*

*Quint. decl.* 1. *Cicero in Phil.* 3. *Ludovic. Guice.*

*Lud. Guice. Sever.*

Doctrina hæc Demoſthenis eſt: *Rerum occaſiones tarditatem non expectant.* *Demoſth.*

Credat quiſquis veſtrûm ut placet, hac ego horâ experiar in veritatis cathedra, an non veriſſimum, nil magis eſſe contrarium operibus noſtris, nil magis inimicum quàm retardationem, nihilque contrà gratius, nil convenientius quàm promptitudinem. Scio quidem aſſertum à Lucano

— *Semper nocuit differre paratis.*

S. Ambroſii Eccleſiæ Doctoris teſtimonium ſufficit, ut acquieſcam: *Omne ſtudium dilatione torpeſcit.* Concludam breviter, promptè hoc exequendum eſſe, quod prudenti deliberatione propoſitum. Plurimi quia propriis viribus nixi, de die in diem differunt ſalutis ſtudium, miſeri patiuntur naufragium. Sed quid opus eſt rationibus, ubi veritas Evangelica manifeſtat? Vix Magi exoptatum acceperant nuncium de natali novi Regis. *Dum natus eſſet IESVS*, & illicò iter fecerunt ut inquirerent. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam.* Janſenius hic exponens: *ut intelligas* (inquit) *ſtatim poſt Chriſti Nativitatem Magos veniſſe.* Gajetanus etiam advertit: (Nota continuationem, quum natus eſſet, ecce Magi, ut intelligas, ſtatim poſt nativitatem Chriſti veniſſe Magos.) *Matth.* 2.

Ama-

Amatores erant promptitudinis, & tarditatis
ſummi inimici: uno enim temporis puncto au-
diverunt nuncium, & ingreſſi ſunt viam. Ad in-
ſtructionem noſtram conducet, ut in operibus
bonis ſolliciti ſimus & in Dei obſequiis indefeſſi.
Intereà dum aurum vobis exhibeo quòd Verbi
Dei (ut ſentit Rupertus Abbas) ſymbolum, fa-
vete, obſecro, incenſum ſilentii, & attentionis
myrrham reponendo.

## PARS PRIMA.

RЕctori cuivis è neceſſariis hoc unum maxi-
mè, & primùm eſt, anxio ſemper & ſolicito
animo eſſe. In Principe defectus enormis eſt in
deliberando tarditas, ut verè dictum ſit à De-
moſthene, *Rerum occaſiones tarditatem noſtram*
Orat. contra Phil. *& ignaviam non expectant.* Ut tumultum impe-
diat, & facilè ſubditorum rebellionem compeſ-
cat, maturè provideat neceſſe eſt, ne malum lon-
gius ſerpat, & dum moras trahit, prævalendi a-
Cic. Phil. 5. mittat occaſionem. Quàm benè Cicero: *Omne*
*malum naſcens facile opprimitur, inveteratum fit*
*plerumque robuſtius.* Rodigina Perſarum Regi-
na, cùm indicaretur, quoſdam ei periculum mo-
liri, ſtatim ſurrexit (etſi jam occupata eſſet mun-
dandis crinibus) atque imminenti occurrit ma-
l. 1. Hiſt. lo. Optimè Tacitus monuit: *Feſtinandum eſt,*
Liv. ep. 24. *antequam creſcat invalida conjuratio paucorum.*
Luctatius Conſul, qui temporis non expectavit
ſuffragium, de inimicis feliciter reportavit tri-
Sen. ep. 14. umphum. Fortaſſis conſulentem legerat Sene-
Cæſar. de cam. *Quidquid fieri poteſt, futurum cogitemus.*
bell. civ. Nunquid Pompejo exprobravit multoties Cæ-
ſar, quod prohibuerit, ne progrederentur mili-
tes, ſed in armis, inimicorum adventum præ-
Cap. mora ſtolarentur? Commune hoc, & omnibus no-
de reg. jur. tum. *Mora ſua cuilibet eſt nociva.* Alexander
in 6. tam exoſam ſibi habuit tarditatem, ut ſæpius au-
ditus ſit fateri ingenuè, minùs ſibi fore gravem
pœnam acerbiſſimam, quàm longiùs protra-
ctam in bello gerendo moram, ut cum Curtio
Curt. in ſenſum exprimeret: *Odi lenta remedia & ſegnes*
Alex. Plutar. *medicos; nam mori ſtrenuè, quàm tardè conva-*
*leſcere malo.* Et quis neſciat melius hoc eſſe &
Medico & infirmo, vehementem morbum aver-
tere, quàm jam ingraveſcentem velle curare?
Laudabilius eſt primum in locum conflictus
producere milites, & aggredi hoſtem quod aſſe-
Tit. Liv. l. 24. rit Titus Livius. *Qui prius ſtrinxerit ferrum, ejus*
*victoria erit.* Rectius ex improviſo reſpondit Ti-
berius, quàm cum diu præmeditatus. In famulis
principum quo magis odioſa eſt tarditas, eò ac-
ceptior in obſequendo celeritas & promptitudo.
Hinc eſt, quod juſti omnes, qui totius univerſi
Domino ſerviunt, in hoc unum ferventer incum-
bunt, ut promptè ſemper & ſedulò obſequantur.
Exemplo præluxerunt Magi qui natum cæli ter-
ræque Regem intelligentes: (*Cum natus eſſet Ie-*
*ſus,*) indilatè ſine ulla temporis mora ingreſſi
ſunt iter: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſoly-*
*mam.* Huc voco Chryſ. interpretem, audite: *ecce*
*Magi veniunt, hoc eſt, confeſtim ut natus eſt.* Janſ. Ianſen. in
(de quo ſuprà) ad intentum ſic ait: (Notanda 2. Matth.
quidem locutionis continuatio. Cum natus eſſet
Jeſus, Ecce Magi venerunt; ut intelligas ſtatim
poſt Chriſti Nativitatem Magos veniſſe.) Ad ve-
tus teſtamentum eamus, & ea, quæ Prophetis &
Patriarchis contigerunt, attentius perpendamus.
Cogitavit aliquando Deus experiri oblata & ex-
hibita millies ab Abrahamo viro ſancto obſe-
quia, in eum finem multâ nocte ſenem vocat, è
placidiſſimo eum ſomno excitans, jubetque ut
pergat ſtatim ad montem, quem ei oſtenderet & Gen. 22.
ibi filium ſuum Iſaac ſacrificet. *Tolle filium tuum,*
*quem diligis Iſaac, & offer illum mihi in holocau-*
*ſtum ſuper unum montium, quem monſtravero ti-*
*bi.* Ille abjecta omni cunctatione ſurgit è lecto,
Iſaacum experge facit & mandat, ut ſine mora,
quod in via neceſſarium, paret & ſic comitetur.
Eunt ergo ad montem. Hic jam non perpendam
quàm avidè, quàm ſtudiosè impleverit Dei præ-
ceptũ, nil cunctatus, nil tergiverſatus excuſatione
ſenii aut intempeſtæ noctis. (De nocte conſur- Oleaſter in
gens (*ut Oleaſter annotat*) juſtus ſenex graviſſimũ c. 22.
mandatum ſine ulla dilatione perfecit.) Hoc mo- Gen. 2.
do attendam, nec facilè aliquis concipiat, quo-
modò iter iſtud longum ſit aggreſſus inſciâ uxo-
re; deducitur namque ex Sacra Scriptura mon-
tem illum triduo diſtare ab Abrahami ædibus:
*Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum pro-*
*cul,* ut proinde oportuerit ſextum diem, ſi non et-
iam ſeptimum impendere, ut iret vir bonus, &
peractis negotiis rediret. Miror ergo Saræ nihil
indicâſſe, cùm de ea nihil dicat ſacer textus, uti aſ- Corn. à La-
ferunt expoſitores (Saræ hîc non fit mentio, unde pide Ioſeph.
videtur eâ inſciâ, hæc omnia feciſſe Abraham.) H. Chry-
Cur non ſigno ſaltem innuit abitionem tam ſoſt. Ferer.
ſubitam? quid faciet anxia mulier, quando per
ſex aut ſeptem dies eſſe continget abſentem ma-
ritum, abſentem chariſſimum filium & famulos?
quid repetet, & quid dies noctesque cogitabit?
omnia adverſiſſima formidabit, & nil mali
quod non ſuſpicabitur: verendum eſt, ne vitæ
deſperans dolore nimio oppreſſa exanimis ca-
dat.

dat. Verè equidem NN. factum hoc mirabile. Tuâ veniâ dixerim, venerande Senex, inhumaniter agis, neque Saram ut dilectam conjugem tractas: periculum eſt ne in reditu mortuam reperias. Verbulo aut nutu ſaltem diſceſſum inſinuaſſes, & ſi celandum judicabas de ſacrificando proprio ſanguine Iſaac, ne matrem contriſtes, ut minus à Deo legatum te intimaſſes & ad Divina obſequia, & ſine mora rediturum. Nec verbum quidem mulieri loquitur, ſed modeſtè ſecretò *de nocte ſurrexit.*.

Audite mentem ſancti Patriarchæ & finem intentum. Sciebat ipſe ad ſacrificium requiri promptitudinem, & ſæpè moram obfuiſſe, ideoque ſic intra ſemetipſum dicere videbatur: Si abiturus valedicam uxori, fortaſſis comitari ipſa etiam volet, mulieres teſtudineo incedere ſolent gradu, undè non ita ſtatim ut oportet ad montem perveniemus. Poſſem (quis dubitat?) jubere ut domi remaneat; ſed, quia cupiditas iſti ſexui innata, peteret ſaltem quò pergam, ad quid ſacrificium, quis mandârit, ubi facienda oblatio, quàm procul hinc locus diſtet, ubinam victima, quando regrediar, & ſic interrogationum vix eſſet finis; replicarem ego, augeretur curioſitas, multiplicarentur verba, nec ſervaretur diſcurrendi modus, ſicque retardaretur oblatio ſacrificii, cum tamen potiùs eſſet accelerandum; ſicut mihi omninò perſuadeam nil meliùs, quàm ut occultè diſcedam. Eum fuiſſe diſcurſum Abraham affirmat Chryſoſtomus: *Abraham verebatur, ne votum mora offenderet, aut juſſionem tarditas impediret; ne aliqua mora in communicando duceretur, feſtinavit.*

*D. Chryſoſt. ſer. de fide & hom. 5. in Gen.*

Abraham ergo cum maxima celeritate ad montem oſtenſum accurrit, ut tarditatem mentibus noſtris ceu peſtem exitialem exemplo ſuo repudiaret. Cum idem Patriarcha in mediis æſtatis caloribus refrigerationem quæreret, umbram invenit & receſſum, ubi ad auram venti temperationi expoſitus, paululum reſpiravit.
*Geneſ. 18.* *Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum.* Surgit ipſe, in occurſum, ruit & ad ædes invitat. Non jam hora diei commoda eſt Viatoribus ad conficiendum iter, Solis ardor intolerabilis, videte campos ipſos comburi. Non ſolùm hortor; ſed rogo & obteſtor, ut tantiſper hic in meridie mecum ſitis, & requieſcatis, dum ſe calor ille nimius frangat. Domus mea hæc parva, ſemper tamen gratis & libenter patet amicis & peregrinantibus: feceritis commodè, mihique gratum, ſi hoſpitio vos excipiam; tractabo ſi non ſatis liberaliter, ſaltem pleno affectu. Acquieſcunt illi tantâ viri benevolentiâ & affabilitate convicti. Hic attendite NN. & Patriarchæ celeritatem conſiderate. Si Hoſpites introducit, properat. *Feſtinavit Abraham in tabernaculum.* Si mandet Saræ, ut cibos hoſpitibus præparet, urget ut feſtinanter expediat. *Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericeos panes.* Imò ipſemet Senex feſtino ſimillimus curſitat: *Ad armentum currit, & tulit inde vitulum tenerrimum.* Famulus non expectat heri juſſum, neque tempus indulget tempori, ut menſam cibis exquiſitis extruat. *Feſtinabat puer & coxit vitulum.* Videtis, ni fallor, quanta ſit ſollicitudo & quàm ſe ubique feſtinatio ingerat; ſiquidem Abraham impellit, Saram adjuvat, & Servum non deſeruit. Domum Patriarchæ jam potius nuncupem ſollicitudinis palæſtram. Crediderim Angelos in peregrinorum habitu didiciſſe hic, quam promptiſſimè deinceps & velociter Deo obſequi. *Neq; ſolus feſtinat Abraham,* (notavit Oleaſt.) *ſed Saram & puerum feſtinare coegit.* Idem Origenes innuit: *En ſenex cucurrit, Sara accelerat, puer feſtinat, nulluſque piger invenitur in domo Sapientis.*

Sollicitudinem homini conducere, & in operibus ſingulis adhibendam eſſe, facilè oſtenditur; adeò ut ſine illa haberi non poſſit effectus bonus, cùm ignavia plerumque abortus ſit cauſa. Fruebatur Eliſæus Propheta Montis Carmeli deliciis, cùm ad eum lachrymabunda mater acceſſit, & vix præ dolore nimio triſtem eventum exponere potuit. Fletum multum cum ſingultu præmittens, infortunium tandem indicavit: Morte ſubitâ abreptus eſt mihi filiolus, unicum in vita ſolatium & decrepitæ ætatis dulce levamen; quare virtutum tuarum imploro patrocinium, natum meum è mortis faucibus eripe, & vivum reſtitue, ut novum prædicemus miraculum.

Audivit S. Propheta, & miſertus, Giezi ſervum ſuum miſit: *Accinge lumbos tuos, & vade.* Ibo, ait ille, ſed quomodò vis ut mortuum eum reſuſcitem? Baculum accipe, mortuo impone, & illicò reviviſcet. Hoc eſt remedium, cujus virtute fiunt violentè, quæ alioquin amoris viâ & ſponte effecta haberi poſſent: Vadam ergò, & ſtatim ac ero reverſus, rei ſucceſſum indicabo. Siſte parum, & priuſquàm abſcedas, hoc à me monitum retine: *Si occurrerit tibi homo* (amicus tibi ſit, ſive notus, nil refert) *non ſalutes eum & ſi ſa-* *4. Reg. 4.*
*lutaverit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* Abit

Giezi,

Giezi, ſub brachio baculum Eliſæi portans, venitque ad civitatem quæ vocatur Suna, ibique erat paſſim omnibus notus, & una hæc omnium vox, Ecce Giezi. Quò pergis bone vir? Ille digito compeſcens linguam, nulli reſpondit. Ergone muteſcis, dicebant, & à quo tempore loquelam perdidiſti? quid hoc ſibi vult? ſinite, quæſo, me abire, nec ad loquendum premite, quippe magiſter meus ſtrictè inhibuit, ne loquerer ulli verbum: proſequar iter meum. Illi contrà urgebant: Non poſſumus ergò ſcire quo vadas, & quid facturus? Non puto, cogitabat ille, quemquam veſtrûm id ſcire, vado ut mortuum ſuſcitem, ſed non eſt periculum, quod facilè quis intelliget ex ore meo; promiſi me nemini dicturum, & ero fidelis. Sed illos diſcurſus tranſeamus, ut ad punctum difficultatis veniamus. Quid Eliſæum movit ut tam expreſſè illi præciperet, ne quem ſalutaret in via. Si apertè loqui ſic liceat, magna videtur indiſcretio & inurbanitas. Optimè ad intentum reſpondet S. Ambroſius: Reſuſcitatio filii defuncti non patiebatur moram, eratque opus feſtinatione. Si Giezi permiſſum ſit ſalutare & reciprocè ſalutem accipere, inquirent quò vadat, quid facturus, quis juſſerit, quando mortuus puer, & qua infirmitate, quot annorum erat, quid facto opus ad reſuſcitandum, ſicque illi daretur occaſio diutiùs immorandi, ſeriùs adveniret, & tardiùs à mortuis reſuſcitaretur infans. Ut igitur non hæreret in via, ſed maturaret, ne quem in via ſalutaret, ſtrictiſſimè inhibuit. Non ex me locutus ſum, doctrinam ſequor magni animarum Paſtoris & Præſulis Mediolanenſis, cujus hæc ad mores adfero verba: [D. Ambr. c.6. in Luc. 10.] *Pulchra eſt ſalutatio, ſed ô pulchrior Divinorum præceptorum maturior executio, quæ per moram ſæpè trahit offenſam.*

Maximo in pretio habuit Mariæ Filius munera auri, thuris & myrrhæ à Regibus Orientis oblata; rariſſima erant non propter valorem, ſed offerentium promptitudinem. Non tam reſpicit Deus quantum, parvum ſit aut magnum, pretioſum aut vile, quàm quantâ illud ſollicitudine celeriter demus. Offerebat Abel ſacrificium, illudque Deo acceptum valdè. [Gen. 4.] *Reſpexit Dominus ad munera Abel.* Obtulit etiam Cain, ſed Deus repudiavit: *Non reſpexit Dominus ad munera Cain.* Qualis iſta partialitas? ſi non ſit apud Deum perſonarum acceptio, ut quid hic excipiendo contrarium monſtrat? aut neutrum reſpuiſſet, vel utrumque potiùs gratanter accepiſſet: & non parum in animo hoc ſenſit Cain. Crediderim veriſimilius, ita eveniſſe ratione diverſi temporis, non propter diſparitatem victimarum: etſi enim primo loco referat S. Script. Sacrificium Cain, exiſtimant tamen Scriptores nonnulli, Abelem primum ſacrificâſſe, utpote qui timoratior eſſet, magiſque pius. Et ratio ex Pagina ſacra eruitur, ubi Cainum obtuliſſe munera poſt multos dies aſſertum eſt. *Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ, munera Domino.* [Bened. Medina in Conc. fer. 6 Domin. 1.] Poſterioritas iſta dierum in oblatione Cain innuere videtur prioritatem Sacrificii Abel. *Celeritate, in obſequiis Deo præſtandis, fratrem anteceſſit.* Neque diſſentit hic Oleaſter, cùm delictum Caini in tarditatem refundit, ita ſcribens: [ Docet nos littera, hæc munera non eſſe grata, niſi ex animo, ] quod libenter & ex affectu facimus, ſine mora adimplemus, & non differimus [ poſt multos dies. ] [Oleaſter in c. 4. Gen.] Et infrà ſubdit. [ Abhorret enim Dominus à muneribus, quæ non ex porrectâ fronte illi offeruntur. ] Atque ex his circumſtantiis ſatis apparet Caini incuria & magna ignavia, ob quam *non reſpexit Dominus ad munera ejus.*

Pendebat Dei Filius in aſpero ligno crucis extremo ſpiritu exanguis, cumque Patri æterno jam moriens ultimò commendavit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Sed cur potiùs non obtulit carnem, quæ jam clavis erat perfoſſa, flagellis laniata, ſpinis transfixa, lanceâ perforata & in crucem duriſſimam acta? Dixiſſet igitur, *Commendo carnem,* vel certè potiùs, *commendo ſpiritum & carnem meam.* Hic nodus, & difficilis eſt, quis expediet, dabitque rationem, cur Spiritus Deo commendatus ſit & acceptus, non caro?

Videre lubet, utrum Evangeliſta Matthæus lumen aliquod dabit. Deſcripſit ipſe accuratiùs, quidquid in horto Gethſemani à Chriſto Domino factum, & inter alia hoc refert, Magiſtrum cæleſtem Diſcipulos excitaſſe dormientes, ſicque eos affatum: *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma.* [Matth. 26.] Caro tarditatem demonſtrat; Spiritus autem promptitudinem & celeritatem; iſtam igitur Pater utpote tardiorem reſpueret, hunc, ut expeditiorem gratum haberet, ideoque dicit: *Commendo ſpiritum meum.* Hoc ipſum reor innuere voluit Laurentius Juſtinianus, ubi ita loquitur: [ Qualis conflictus? qualis pugna? quale ſpectaculum? impellebat Spiritus, [B. Laur. Juſtin. c. 6. de Chriſti agone.] reclamabat natura paſſibilis, pœnarum immanitate perterrita. In horum medio conſtitutus tamquam ſtrenuus & inſuperabilis miles, carnis non ferens blanditias, ſpiritûs juſſa implere

curavit. Renitentis carnis ſpiritûs palmam obtinuit, hujuſque pugnæ celebrato triumpho ab oratione ſurrexit. ]

Explicari numquam poſſit quàm Redemptori noſtro ea grata ſunt opera, quæ ferventer & ſine mora perſolvuntur. Huc voco quod referunt Evangeliſtæ, Magdalenam videlicet caput Salvatoris unxiſſe in ædibus Simonis. *Venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi piſtici pretioſi & fracto alabaſtro effudit ſuper caput ejus.* Nihil poterat Chriſto fieri acceptius, quod ipſemet apertè teſtatus eſt, cùm in præſentia eorum, qui menſæ aſſederant, Magdalenæ laudem panegyrico celebravit. *Amen dico vobis, ubicumq; prædicatum fuerit hoc Evangelium, dicetur quod hæc fecit in memoriam ejus.* Mirari ſatis non valeo: Chriſtum Simon leproſus invitat ad liberale convivium, neque ullum grati animi ſignum oſtendit. Ergóne unguenti odor ipſi placuerit magis, quàm cibi exquiſitiſſimi ſapor? ſi Magdalenæ unguentum valdè erat pretioſum, Simonis convivium nil minus delicioſum. Ut myſterium intelligamus, oportet obſervare Magdalenæ egreſſum, & adventum ad ædes Simonis. Quod ad abitionem ejus attinet, ſtatim atque intellexit veniſſe Magiſtrum ad convivium Simonis, moras non traxit, ſed incunctanter eò avolavit. *Vt cognovit.* Idcircò dixit Poëta Nonnius: *Celerior erat verbo cum illa audiviſſet, ac veloci pede exiliebat; impetuoſa autem ad Chriſtum vicinum habebat celerem viam.* Quoad adventum Magdalenæ & proſtrationem ad Chriſti pedes, ut caput ungeret, expectare tam diu non poterat, donec guttatim unguentum effluxiſſet, vas fregit moræ impatiens, *fracto alabaſtro*, ut videretur tarditatis inimica.

*Marc. 14. Matth. 26.*

Attendit ad Magdalenæ actiones Salvator, & quia in illis accelerationem ac fervorem notavit, contineri non poterat, quin miraretur, & laudibus extolleret: *Amen dico vobis, ubicumq; prædicatum fuerit, &c.* (Inſigni illo æternæ memoriæ præmio dignari voluit, non tam ob nardi effuſi genus, quàm quia erga præmittentis peccatricis celeritatem munificus.) Unctionem non curavit, non unguenti odorem vel pretium, ſed ſollicitudinem æſtimavit venientis, & feſtinationem ungentis. Jure igitur meritoque natus Infantulus læto vultu tria munera Regum accipiat, quia ſtatim ut nativitatis habuerunt notitiam, incunctanter ſe accinxerunt ad iter, Regem natum promptiſſimè adoraturi.

*Bened. Medina ubi ſupra.*

Certè quidem quiſquis Deo famulari deſiderat, non ei ſufficit fervor & ſollicitudo mediocris, ſed extraordinaria omninò eſt requiſita. Vidit Iſaias Seraphim Divinæ Majeſtati in cæleſti aula obſequentes, & habebant ſinguli alas ſenas: *Sex alæ uni & ſex alæ alteri.* In quem finem tot alæ? Si duæ ſufficiant, reliquæ ergò ſuperfluæ ſunt & inutiles. Aves, etſi corporeæ ſint, non habent niſi alas binas & Seraphini (qui, cum ſpiritus ſint, in motu ſuo non habent medii reſiſtentiam, ſed agilitatem maximam) plures alas requirant? Dicam: Aulæ cæleſtis Ephœbi ſunt & Divinæ Majeſtatis Legati, ideoque duas alas, id eſt, celeritatem ordinariam in obſequio iſto habere non ſufficit, ſed ſenis opus eſt, nempe velocitate extraordinariâ triplicatâ. Notavit hoc Amadeus. (Motu celerrimo Seraphim alas extendens, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis; nunc terras ſignis & virtutibus illuſtrans, ubique ſuis ut mater jucundiſſima & mirificentiſſima occurrit.) Adſtipulatur ævi noſtri doctiſſimus Author: (Addiderim, quatuor aut ſenas alas Angelis & Seraphin tribui, ut oſtendatur quàm velociter in Dei obſequium moveantur.

*Iſa. 6.*

*B. Amad. hom. 8. de laud. B. V. Navarro in umbra Virg. nu. 693.*

Sponſa in Canticis non ſatis laudare poterat ſponſi ſui dilecti manus. *Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Manus dilecti mei tornatiles ſunt. Tornatiles? quis unquam ſimiles vidit? at ſi laude aliquâ intendebat extollere, candidas dixiſſet, magnas & longas manus; has enim qualitates ſi habeant, perfectæ ſunt; adornatas eas eſſe hyacinthis aliiſve floribus, benè quidem, at tornatiles dici, neſcio quid importet. Jacobus de Valentia interpretatur: (Manus ejus, per quas deſignatur potentia & operatio, fuerunt tornatiles, id eſt, munitæ & armillis aureis circumdatæ & plenæ hyacinthis quia opera miraculoſa, quæ faciebant manus potentiæ Chriſti, erant aurea, & hyacinthina ſuper omnem facultatem humanam in ſuſcitando mortuos, ægros ſanando, & opera miſericordiæ exercendo.) Sed melius ad intentum noſtrum Richardus à Laurentio diſſeruit, cùm ait hunc locum non ſic debere intelligi, quaſi verò vellet Sponſa manus ſponſi ſui eſſe tornatiles quoad figuram, ſed ratione motus. (Tornatiles dicuntur manus ſponſi, quia ſicut ars tornandi promptior eſt aliis artibus, ſic Sponſus ad benefaciendum promptior omnibus Sanctis.) Et quid poterat Sponſa de Sponſo dicere laudabilius, quam eum in operatione manuum eſſe maximè expeditum? neque enim facilè aſſequatur Sanctorum aliquis agilitatem manuum illarum tornatilium in largienda gratia & benefi-

*Iacobus de Valentia in Cant. 7.*

*Richard. à S. Laur. c. 5. de Laud. B. Virg.*

ciis conferendis. Ut verè dictum ſit ab Auſonio: *Gratia quæ cito fit, gratia magis.* Auſonius.

Talem etiam eſſe ſponſam voluit, quando vocis ſuavitate & manu divinæ gratiæ ad ſe invitavit: *Surge, propera, amica mea, & veni*, Et, ut ruptâ omni morâ velocius adſit, geminatâ amoris voce compellat: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni.* Sic Dilectam ſuam *Sponſam Sponſus alloquitur* (ſcribit D. Thom. à Villa Nova) *properantem ſtimulat, & ſponte currenti calcaria addit, incitat, provocat, urget, ut veniat, quæ nihil aliud quàm perveniſſe deſiderat. O! ſi parietis obſtaculum tolleretur, quam cito veniret! Neque ſemel quidem, ſed iterum atque iterum replicat ut ſurgat, ut acceleret, ut properet, ut veniat.* B. Thom. à Villa Nova in Cant. 2.

Petrus Apoſtolus ſereno cælo, marique tranquillo, operam piſcationi impendit, retia laxavit & totam noctem inſumpſit, & cum jam illuceſceret dies, extraxit rete, videnſque quia nihil cepiſſet, afflictus & deſolatus navim ad littus appulit, ubi Chriſtus ex improviſo comparuit, quem tamen nec Petrus nec ſocii cognoſcebant: at ille de captura piſcium illicò interrogavit, & reſpondentibus illis ſe fruſtra tempus contriviſſe ac operam perdidiſſe, juſſit ut denuò ad piſcandum reverterentur, neque jam ſpe fruſtrandos eſſe, addixit: *Mittite* (inquit) *in dexteram navigii rete, & invenietis.* Ioan. 21. Fecerunt, ut erat ipſis mandatum, & breviſſimo temporis ſpatio replebantur retia *& non valebant trahere præ multitudine piſcium*, adeò ut miratus ſit Petrus. O quanta hæc multitudo piſcium! fateor quidem ſæpè me hactenus diuque piſcatum, ſed nunquam feliciorem in captura fuiſſe. Millies benedictus ille, qui nos ad repetendum mare induxit. Stabat adhuc in littore Chriſtus expectans ut ſe illis redderet notum, ſed Joannes eum intuitus & Magiſtrum agneſcens, Petro ſuggeſſit: Certè, niſi viſus me fallit, ille Dominus noſter, imò jam ſatis video, ille idem eſt, non alius. *Dominus eſt.* Petrus ſtatim ac audivit Redemptorem adeſſe, nil cunctatus reliquit retia, deſeruit conſortium, & in mare inſiliens ad Chriſtum acceleravit: *Tunica ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare.*

Actiones Petri myſterioſæ ſunt, & ad mores. Si jam appropinquabant ad littus: *Non enim longe erant à terra*, ait Evangeliſta, qui teſtis nobis utpote tum ſpectator, cur ergò Petrus tanto fertur impetu? nunquid nonnihil patientiæ habere potuiſſet ſaltem ad momentum, donec navis appuliſſet, cùm vix diſtaret à littore? Ah, inquit Petrus, opera bona non admittunt ignaviam, & quò citiùs adimplentur, deliberationis breviato tempore, eò ſunt Deo gratiora. Doleo vehementer, quòd alas non habeam ad volandum, *Petrus ferventior erat*, (reſpondet Chryſoſtomus) *& ideo promptius venit ad Chriſtum.* D. Chryſ. in Catena D. Thom. Ioan. c. 21. Uno inſtanti audivit Petrus dicentem: *Dominus eſt*, eodem ſe projecit in mare. Non poterat ultrà expectare, ſcribit Ordinis Carmelitici doctiſſimus Author: (Poſt paſſionem, cùm eſſent in lacu Genezareth & piſcarentur, & Dominus ſtaret in littore, aliis paulatim navigantibus, ille non patitur moras, ſed accinctus ependylo ſuo, ſtatim præcipitatur in fluctus.) Thomas Beauxam. Tom. 2. Harm. 20. c. 2. Ianſen. Com. in concord. Evang. c. 148. in c. 21. Ioan.

Nolim hic omitti Doctrinam Janſenii, quâ benè explicatur Petri impatientia. (Cum tantum audiſſet, eſſe Dominum, mox id credens, projectis iis, quæ in manibus erant, oblituſque retis & piſcium, aliud non cogitabat, quàm celeriter Domino conjungi, & impatiens moræ, nec ſuſtinens ut navigio ad eum perveniret, ſeſe in mare conjecit, ut ad Dominum citiùs accederet.

Quorundam hodiè adeò ſceleſta eſt vita, & perverſi mores, ut Deum non agnoſcere videantur, cum tot in ſe collatis indies beneficiis peſſimè abutuntur. Non cenſor ipſis deeſt, qui cum Joanne frequenter inculcet: *Dominus eſt*; attamen per ignaviæ obſtaculum protelant ſalutis negotium, neque ſolliciti ſunt fluctantes in vitæ hujus navicula, ut cum Petro citato greſſu ad Chriſtum properent; quid mirum ſi pleriquе miſerè pereant, antequam teneant portum? Quam avidi tales ſunt ad propria commoda, quàm ad malum omne proclives! neque hortatore hic indigent: ipſi enim ſpontè nimis exardent, ut indulgeant vitiis, & vitiorum delirent inſaniis, ſicque ad æterna ſupplicia celerrimè curſitant, à quibus non procul abeſſe, ſibi certò perſuadeant, ut cum adhuc tempus pœnitentiæ modicum supereſt, omni ſtudio declinent.

Econtra proximè Deus eſt, quando homines videt virtuti deditos & ad pietas exercitia promptos & expeditos, neque ipſe tum lentus ad præmia, imò velociſſimus ad beneficia largienda, ſicut in aulicos magis in obſequia vigiles & paratos voluntas Principum eſt propenſior ad citiùs & liberaliùs remunerandum.

Scribit Evangeliſta Lucas cùm *ingreſſus Ieſus perambulabat Hiericho*, veniſſe ad eum hominem quendam ſtatura puſillum valdè, cui nomen Zachæus: ſed quia aderat infinita hominum multitudo, qui ad videndum Salvatorem eò confluxerant, non habebat ipſe minor facilem Luc. 19.

lem acceſſum neque proſpectum. Perrupit ergò & cùm ultrà non poſſet, arborem fici Sycomorum aſcendit, unde tranſeuntem Dominum etiam videret. Tranſiens iſtac Dei Filius, ſuſpexit & nomine compellavit: *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Dic mihi, amantiſſime Redemptor, unde notitia illa tibi eſt Zachæi? noſti ergo hominem eſſe contemptiſſimi nominis, oppreſſorem pauperum, avarum, uſurarium, virum, non hominem, verius dixerim, diabolum, principem illius gentis, quæ ob iniquitates cælo terræque abominabilis eſt, & quod unicum ſatis, caput publicanorum? cur non potiùs ad clari & honorati viri ædes divertis, cui in maximo honore ſit divinâ tuâ frui præſentiâ? at verè non potes alterius iſtius ingredi domum, niſi infamiæ notam incurrendo: quis indiſcretum vulgus compeſcat? *Murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertiſſet.* Vel meliùs cum Cajetano dicam, (murmurabant, quod apud virum peccatorem ingreſſus eſſet ad divertendum.) Scio, ait Chriſtus, ſcio optimè qualis ipſe ſit; nihilominus, *in domo tua oportet me manere.*

*Cajetan. in Luc. c. 19.*

Dicite vos (NN.) ſi princeps ad negotium unum & idem expediendum duos ſervos mittat, uter illorum habendus ſit promptior & diligentior, illene qui pedetentim incedit, an verò iſte, qui celerrimè pergit & præcurrit: indubiè ſecundo iſti danda eſt palma, quia ex velocitate curſûs, operationis ſtudium & ſedulitas commonſtratur. Turba, quæ ſequebatur, ut videret Chriſtum, & audiret dicentem, lento comitabatur paſſu, & cum *Ieſu perambulat Hierico.* At Zacchæus celeriori pede iter aggreſſus *præcurrit.* Itaque promptitudo iſta (quaſi ita loqui voluiſſet Chriſtus) quam in curſu Zacchæus oſtendit, malis ejus operibus cunctis præſtitit, quæ unquam in vita ſua perpetravit: ſolicitudo, quâ ad me venire feſtinavit, cogit ut inviſam, & in domo propria frui mereatur mea præſentia. (In domo tua, non aliena, oportet me manere. Videndi Dominum ſtimulo percitus non ſolum currit, ſed præcurrit; neque ſolùm feſtinavit currendo, ſed properavit præcurrendo, moras rumpens maturitate, quaſi cogatur Dominus præmia ſua retribuere iis, qui celeritatem in Divino obſequio præ ſeferunt.)

Poſtquam tres illi Reges Jeroſolymam jam perveniſſent, benigniſſimè in Palatio Herodis ſunt excepti. Deinde cautè interrogati quâ viâ, & quo duce tam feliciter appuliſſent, responderunt, ſe ductum ſtellæ ſecutos, ne vel ad pedem aberrando, rectà Jeroſolymam adveniſſe. *Vidimus ſtellam ejus in Oriente.* Dicite vos periti, ly *ejus* ad quid refertur? ad Deum, i.e. *Vidimus ſtellam Dei in Oriente.* Si tamen æquè omnes ſunt ſtellæ Dei, unde eſt, quod hanc de gratia ſpeciali quaſi antonomaſticè ſtellam Dei nominent? ſat erat dictum, *Vidimus ſtellam in Oriente.* Reſponſum dat S. Maximus, atque de jure competere titulum iſtum; non quia conduxerat Magos, ſed propter modum quo illos comitabatur, decreverant illi committere ſe itineri, & tam diu proficiſci, uſque dum inveniſſent Regem natum, quem adorarent: de neceſſariis in via ſibi providebant, & ſummo manè iter ingrediebantur: ſed tamen ſtella ipſis erat celerior & magis ſollicita; ſiquidem præcedebat, & fulgore inſolito coruſcans ſemitam rectiſſimam oſtendebat. Primo die itineris tranſacto ſerò veſperi quieti ſe tradunt, & mane iterum, ante auroram expergefacti, ſurgunt, cœptum iter perſecuturi: ſed ſtella magis quam ipſi ſollicita, ante ſurrexerat & proprio veſtita ſplendore præibat. Dicite verum Magi, vos teſtor, an non ſtella ſemper greſſum veſtrum præveniebat? *Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos.* Idcircò ſtella iſta, quia tam vigilans fuerat & ſolicita, meritò præ cæteris omnibus, honoratiori hoc titulo digna, ſtella Dei prædicatur. S. Maximi audite verba: *Bene dicitur, ejus; quia quamvis omnes ab eodem creatæ, ſtellæ ipſius ſint, hæc tamen propriè Chriſti erat.* S. Fulgentius adſtipulatur: *Hæc ſtella nunquam apparuit, quia tunc eam puer iſte creavit, & Magis ad ſe venientibus præviam deputavit.* Perſonæ ſpirituales vitæ perfectiori, & contemplationi intendentes, Deo ferventiſſimè ac promptè ſervientes, jure dici queant ſtellæ cæli, ſervi Dei.

*Matth.*

*Hom. 4. Epiphan.*

*S. Fulgent. de Epiph.*

Stellam iſtam exactè imitari viſus eſt Regius Propheta David in mandatorum Dei obſervantia perfectiori: ita ut coram Divina Majeſtate multoties fateatur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum,* q. d. Deus meus es, noſti quàm in præceptorum tuorum impletione fuerim ſedulus, ita ut ne vel temporis morulam admiſerim: alas deſiderabam ut celerius volaſſem: non ivi, ſed curſum tenui, [cucurri: non lento gradu iter arripui, ſed cucurri etiam viam mandatorum tuorum, id eſt, incredibili quâdam celeritate, fervore, ſtudio & diligentiâ tua ſum juſſa executus, celerrimè & ferventiſſimè obſervans ea.) Ad confuſionem noſtram, quibus in operando ignavia accidens inſeparabile eſt,

*Pſ. 118.*

*Philip. Diez 1. 1. de diligent. in oper. Lucret. in tirabos in Pſ. 118.*

cùm

cùm de die in diem imprudenter nimis bona implenda procraſtinamus.

*Plutarch. t.1.apoth.*

Alexander Magnus aggreſſurus hoſtem, pridie milites omnes convocabat, jubens ut ſinguli paratis armis ad conflictum præſto eſſent. Nictante Alexandro ſolum ad juſſa volabant omnes. Unus ſemel, inſtante jam conflictu, ſerò quærebat arma: vidit Alexander & petiit: Heus bone vir! quid facis? Majeſtatis Tuæ juſſum exequor, inquit. Cui Alexander: Heri juſſum eſt, ut arma parent ſinguli, & needum jam factum? tantane negligentia in uno milite? Ineptus es ad bellum, video, indignus vocari miles Alexandri: depone arma, recede ſtatim, vitam tibi dono, ſed ne amplius te videam. (Heus! recede à me & ab exercitu meo: non enim poteſt eſſe bonus miles, qui ad pugnam uſque armorum differt præparationem.] Quod ſi expelleret Deus ex Chriſtiana militia omnes illos, qui in divinis præceptis adimplendis tardi ſunt & ignavi? ſoli, credo, manerent duces ſine militibus, principes ſine ſervis, & Chriſtus ſine Chriſtianis.) Omnia Alexander facilius quàm moram perpeti poterat.

*Plutarch. ubi ſupra.*

*Qu. Curt. de geſtis Alexand. l. 3.*

De Rege narratur, cui nomen Archias, eratque Thebarum Tyrannus, in odio tanto eum fuiſſe apud ſubditos omnes, ut mortem ejus ſeriò machinarentur. Subolfecit amicorum aliquis fideliſſimus, ilicò litteras ſcripſit, & veredarium expedivit, qui citiſſimè Regi traderet, ut ſine mora aperiret & legeret. Currit ergò, venit ad Regem nuncius, petitque ut litteras citò aperiat; citò legat, quia *ſeria continent*. Rex acceptas litteras ſepoſuit in menſa, curſori urgenti reſpondens: *Seria ad craſtinum*. Nil ita premit, ut jam jam aperiam, craſtina die faciam, & videbo quid contineant. Quid contigit? illâ ipsâ nocte à conſpirantibus obſidetur, invaditur palatium, & crudeliter à ſuis occiditur, & ſicipſi à jugo ejus tyrannico liberantur. Si litteras legere non diſtuliſſet, certò certiùs, tam triſte malum devitare potuiſſet. Quàm hoc ad mores ſit, audi; Deus infirmitatem immittit, monitum crede, quo te à mala vita abſterreat & ad meliorem reducat: monitum tene, ne pœnitentiam & bona *ad craſtinum* differas, quia mors tibi inſidiatur, diabolus, mundus & caro in exitum tuum conſpirant, & niſi incunctanter ſaluti tuæ benè conſulas, ruina jam imminet, ſubitò opprimeris, nec tum poteris evadere æternam animæ perditionem.

*Apud Fr. Labata.*

In Dei ſervitio tria reperio hominum genera: aliqui enim, ſervire cum deberent, non faciunt; ſerviunt alii, ſed cum maxima negligentia & tepiditate: ſunt denique qui benè agunt & cum fervore ſpiritus maximo inſerviunt. Si primos illos cum ſecundis conferamus, apparet ſecundos iſtos plus diſplicere, quaſi minus malum ſit, bonum non facere, quàm tepidè & languidè adimplere, ut dictum ſit in Apocalypſi: *Utinam frigidus aut calidus eſſes, ſed quia tepidus es, incipiam te emovere ex ore meo*. S. Ambroſius ita explicat: *Frigidus eſt, qui fidem neſcit; calidus, qui Spiritus Sancti fervore ſuccenſus, tepidus, qui negligens eſt.* Date mihi fidelem (ait ille Sanctus] qui non in fide ſit fervens, candidè loquor, meliùs ei foret, fidem nunquam recepiſſe, & adhuc eſſe infidelem. *Qui ergo calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat, fidem non accepiſſe, quàm neglexiſſe: eſt enim tepidus peior frigido.* Et inferiùs concludit: *quod Chriſtianus negligens peior infideli.* Unde ſolitus eſt dicere ille ipſe S. Doctor: *Non ſatis eſt recte facere, niſi etiam maturare quod facis: majores enim fructus habet accelerata devotio.*

*Apoc. 3.*

*D. Ambr. cit. apud Michaelem Bonon in Pſ. 118.*

*D. Ambroſ. l. 1. de Abrah.*

Regius Pſaltes de vineis loquens & arboribus, quæ tardiùs fructum ferunt, audite quid de illis aſſerat, & quàm aſperè tractet Deus. *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.* Quando arbores illæ (quas communiter moros vocant) germinant, & florere jam cœperunt, Deus pruinam frigidam immittit, ut non ſolùm pereant flores & fructus, ſed & arborum ipſæ plantæ exareſcant. Eccur infortunio huic obnoxiæ ſunt mori, & non pariter aliæ arbores? ideò, putem, quia tardiùs & poſtrema omnium arborum morus floret, & cùm jam in reliquis fructus matureſcunt, vix in moro adhuc apparent flores, ideòque dicta eſt morus à *mora*, id eſt, tarditate. Hac ergò mori ſimilitudine Propheta monere nos voluit, eum, qui tardiùs flores & bonorum operum fructus producit, rore cæleſtis gratiæ à Deo non irrigari; at contra ſeveræ ultionis grandine caſtigari. (Qui in animo habet Divinam monitionem ad honeſtum aliquod efficiendum, non debet eam prorogare, ſed confeſtim exequi & conſtare opus, ne ob gelidi animi dilationem omittatur)

*Pſal. 77.*

*Calepinus.*

*Hector Pintus in c. 1. Dan.*

O ſi Deus ita feriat Chriſtianos omnes, quos in Divinis obſequiis ſegnes eſſe contigerit, quàm plurimi plexo capite incedent, grandinis iſtius impetu læſi! Videret ibi mulierem, quæ tempus matutinum ad meridiem uſque inaniter impendit ornandis comis, induendis veſtibus, cæteriſque curandis, quæ faſtum redolent & vanitatem.

Quid tandem? ad templum venit, ſed ſeriùs, ita ut Divinis Officiis jam finitis, Miſſam non poſſit audire.

Quantum temporis inutiliter prodigit adoleſcens ille, ſe veſtiendo, pectendo crines, pulvere inſpergendo, & faciem dealbando curioſiùs, quàm domicella aliqua faceret, ita ut ſi vel pro tertia parte ſtudium iſtud & curam beneficio animæ impenderet, aut rebus Divinis, non parùm ſanè proficeret. Verum quidem eſt, vellent ut longum iſtud tempus in ornatu vano conſumptum Sacerdos eis reſtitueret, celeriùs Miſſam perſolvendo, quam finitam jam optent, cùm vix benè cœpta eſt dici. Hoc eſt velle nugari, non ſeriò nec ſincerè Deo ſervire, Idcircò ad Epheſios ſcribebat Apoſtolus: *Fructus autem lucis in omni bonitate & juſtitia & veritate.* Opera bona & juſta, ſint etiam vera. At quomodo vera ſint? *id eſt* (inquit quidam Author) *Moy de veras, y no de burlas que es floxamente.* Nugatoriè & leviter nimis opera fiunt, quæ frigidè peraguntur. *Verus Dei ſervus non deſes, ſed ſemper expeditus ad bona opera inveniri debet.*

*Epheſ. 1.*

*Phil. Diz. t.3. de diligent. in oper. vir.*

Non benè ſperat Hyppocrates de iis, quos ſpontè fatigari contigerit. *Spontaneæ laſſitudines morbos prænunciant.* A fortiori verificari poſſit hic aphoriſmus in profectu animæ, & Dei ſervitio. Quid niſi malum exſpectetur ab iſtis, qui facilè laſſantur in exercitio virtutis? Unde S. Paulus hoc Romanis frequenter dabat monitum: *Sollicitudine non pigri, ſpiritu ferventes; Domino ſervientes.* Et S. Joannes Chryſoſtomus populo Antiocheno unicè commendavit ſollicitudinem, nil magis deteſtatus quàm ignaviam. *Ne ſpectet quis ad laborem virtutum, ſed cæleſtia lucra cogitantes, prompte labores obeamus.*

*Hyppocr. l.2. Aphoriſ.3.*

*Rom. 12.*

*D. Chryſ. hom. 14. in Gen.*

A Magis nunc ediſcite promptitudinem, & imitemini, præſertim cùm divinæ inſpirationes pulſant, non tunc dormiendum neque diutiùs immorandum, ſed celeriter bonum exequendum. Recordari vos velim, in cæleſti menſa placere ſolùm, & arridere bonorum operum fructum illos quos promptâ manu & celeri viderit Deus exhiberi.

Statim ac advenerunt Magi, Chriſtum & Mariam contemplantes, ſine ulla temporis intercapedine munera obtulerunt, aurum, thus, & myrrham præſentando. *Invenerunt puerum cum matre ejus, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei aurum &c.* Deipara ergo muneribus his ditata quid fecit? pauperibus miſericors œconoma erogavit. Si tamen ipſamet inops, ſibi potiùs aurum reſervaſſet: non voluit, ſed quantum à Regibus acceperat, liberaliter diſpenſavit. O vos! quotquot eſtis Mariæ devoti, credite, nil vos umquam facturos, quod gratum ſit magis, quàm ſi modò miſeris & egenis ſubveniatis. Date liberaliter eleemoſynam, intereà aſſumam alteram Diſcursûs mei partem.

## PARS SECUNDA.

*Et ecce Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniret ſupra ubi erat puer.* Auxilio ſtellæ quæ ſignum cæleſte eſt, egreſſi ſunt ab Oriente, & venerunt ad locum ubi erat Filius Dei: & niſi ſtellam habuiſſent ducem, in dubiè aberraſſent à recta via, neque unquam ad Dominum adorandum perveniſſent; ſiquidem fide certiſſimum eſt, neminem poſſe bonum operari, ſi non acceſſerit divina gratia, contra Pelagianos, *ad bona opera facienda Deum ſibi neceſſarium non putantes.* De quibus ita loquitur S. Auguſtinus: *Nonne huic reſiſtunt veritati homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui reſpondent & loquuntur iniquitatem, dicentes: A Deo habemus quod homines ſumus, à nobis ipſis autem quod juſti ſumus. Hæc ſunt inania præſumptionis veſtræ. Sed quid vos ſequatur, videte, & ſi eſt in vobis ſenſus, horrete Qui enim à ſemetipſo ſe fructum exiſtimat ferre, in vite non eſt, in Chriſto non eſt: qui in Chriſto non eſt, Chriſtianus non eſt.*

*Apud Ia[...] ſ. 1 c.13[...]*

*S. Aug[...] apud e[...] dem & [...] Caten. D Thom cap.15. Ioann.*

Conformiter ad doctrinam iſtam Catholicam dixit Salvator: *Sine me nihil poteſtis facere,* id eſt, *Nihil Deo gratum, nihilque meritorium ad vitam æternam.* Et ratio conſtat, quia ſi Chriſtus ſit vitis, nos palmites. *Ego ſum vitis, vos palmites.* ſine vite infructuoſi ſunt palmites. Unde Alcuinus ſequentia verba explanans: (Qui manet in me (*dicit*) credendo, obediendo, perſeverando; & ego in eo illuminando, perſeverantiam dando.] Hinc Magi Chriſtum natum credentes, divinæ inſpirationi protinus obtemperârunt, in cœpto itinere perſeverârunt, uſque dum veniſſent, ubi eum poterant adorare: Chriſtus autem divinâ gratiâ mentes illuminavit, ſuccurrit eis, ſtellam ducem concedendo, & auxilium præſtitit, quo ad finem poſſent pervenire; ita ut credere, aut obedire, aut perſeverare foret impoſſibile, ſine influxu & aſſiſtentia cæleſtis illius ſtellæ.

*Ioann 15. Janſ. ib.*

*Alcuin. ci[...] in Catena D. Thom. - - -*

Audiamus hic opinionem S. Apoſtoli Pauli: *Gratias ago Deo meo ſemper per Ieſum* q.d. De bene-

*Rom. 1.*

nefi-

neficiis innumeris, liberalitate eximiâ à Deo meo conceſſis, ne ingratitudinis notam incurram, quantas poſſum, non quantas debeo, refero gratias; ſed nec etiam poſſum ſine adjutorio unigeniti Filii ejus Jeſu Chriſti. ( Dubitaret fortè aliquis, quare addit Apoſtolus : Gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum? ut oſtenderet Apoſtolus omnia bona eſſe à Patre per Filium. Hoc bonum, quod eſt gratias agere, dixit ſe per Jeſum Chriſtum facere, qui eſt Dei & hominum mediator. *B. Ægid. Colum. ubi ſup. l. 3.*

Meditabatur cæli Sponſa & ardebat cupiditate videndi dilectum, quare ad illum converſa, precata eſt: *Trahe me poſt te, curremus.* Si ita eſt, Sponſa, & de eo non dubitem, tenerrimo amore te erga ſponſum ferri, quid jam opus ita exactâ cerimoniâ, ut illum exſpectes, donec veniat & manu te conducat? ah! non erat auliciſmus iſte, non vana cerimonia, ſed impoſſibilitas & vitium naturæ ſeu defectus: (Quaſi diceret (*prout intelligit Ægidius*) Domine Jeſu Chriſte, video quod ex me non poſſim ad te venire, nec tuam dulcedinem guſtare; ideò tuum auxilium implorando rogo, trahe me poſt te.) Aliter interpretantur alii. *Cant. 1.* *B. Ægid. Colum. ubi ſupra.*

Nec poteſt homo ex propriis viribus à ſuperbia, avaritia, luxuria & à cæteris flagitiis ſe retrahere, nec eis reſiſtere poſtquam perdiderit liberum imperium, niſi juvetur auxilio Dei & gratiâ per Jeſum Chriſtum, quem Deus Pater conſtituit mediatorem, auxiliatorem & juſtificatorem omniũ hominum. Qui erat venturus ad trahendum omnia ad ſeipſum per odorem unguentorum ſuorũ Evangelicorum, & ideò dicit: Trahe me poſt te.) Subſcribit D. Thom. à Villa-Nova & ita concludit: *Non ipſa venire per me poſſum, ſed tu trahe, ſequar te, ſi traxeris me.* Et quandonam unquam moti fuiſſent & egreſſi ab Oriente Magi ad quærendum & inveniendum Chriſtum natum, ſi non ipſemet ſuccurriſſet, mentem cæleſti lumine perfundendo, gratiam hic & nunc conferendo, & ſtellâ duce dirigendo? S. Fulgentii eò fertur opinio: *Hæc ſtella nunquam apparuit; quia tunc eam puer iſte creavit, & Magis ad ſe venientibus præviam deputavit.* *Jacobus de Valent. c. 1. Cant.* *B. Tho. à Villa Nova c. 1. Cant.* *D. Fulg. ſerm. de Epiphan.*

Pulcherrima eſt meditatio B. Jordani à Saxonia, ubi verba Orationis Dominicæ expendit (Deus orandi modum docet, & ſpecialiter quomodò petendum cælorum regnum : *Adveniat regnum tuum.* Ergóne cæli regnum veniet in terram ad nos? Contrarium reor verum, ſcilicet oportere ire nos, & ad regnum accedere, ut cæleſti gloriâ perfruamur. Sic electos invitat Deus: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium domini tui.* Quomodo ergò intelligendum, *Adveniat regnum tuum?* An fortè ut moleſtiam itineris vitemus, petimus ut ad nos regnum veniat?) Quare non dicit. Veniamus ad regnum tuum, quod tamen videtur convenientius; quia certè potiùs nos venimus ad regnum, quàm regnum ad nos? Dicendum, quod nos ad Deum venire non poſſumus, niſi prius veniat ad nos, ſecundum illud Joannis; *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum,* & ideò, quia venire ad regnum, non eſt in potentia noſtra, ſed ex divina gratia, & voluntate, ideò potiùs petimus regnum Dei venire ad nos, quàm nos venire ad regnum Dei) Ita B. Jordanus de Saxonia, qui ſic etiam explicat ſequentia verba: (Fiat voluntas tua, id eſt, fac me facere & implere voluntatem tuam, quia per me ipſum non poſſum abſque auxilio ) *Matth. 6.* *Matth. 25.* *D. Jordan. de Saxon. in expoſ. Or. Dom.* *Ægid. Col. ubi ſupra.*

Quando Jacob videre meruit ſcalam à terra erectam uſque ad cælum, teſtatur ille ipſe vidiſſe ſe etiam *Dominum innixum ſcalæ.* Cur ſcalæ iſti innititur Deus? qui univerſum mundum gubernat, ſiccine fulciri egeat, aut fortaſſis de tam alto loco ſine ſcalis non facilè deſcendat ? Inſaniret, quiſquis talia crederet. Subtiliter valdè ut ſolet, Oleaſter reſpondet, ideò à Jacob viſum eſſe Dominum innixum ſcalæ, ut indè illi innoteſceret eſſe ſibi impoſſibile gradatim per viam, ſcalam dico, perfectionis ad cælum aſcendere, niſi Deus manu teneat, ope divinâ concurrendo (Ut oſtenderet, neminem ad eum ire poſſe, niſi ille tenuerit viam ejus, ſcalamque ſuſtentaverit.) *Gen. 28.* *Oleaſter in c. 28. Gen.*

Quid juvat (ait Propheta Regius) ædificare civitatem, mœnibus cingere, profundioribus foſſis circumdari, excubias diu noctuque adhiberi, armis & generoſo milite fortiter defendi? ſine præſidio Dei vanum eſt, citò corruet & ab hoſtibus invadetur. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* (Videtis ergò (*exponit S. Valerianus*) quòd nec ſine Domino, quod bonum eſt, ædificari, nec ædificatum, ſine Domino poterit cuſtodiri. Rogandus itaque eſt ſemper Chriſtus noſter, ut in nobis bona nutriat, & exorandus, ut nutrita cuſtodiat.) *S. Valerian. hom. 11. de vana gloria.*

Non ſolùm operari bonum non poſſumus, ſed neque malum vitare ſine Dei adjutorio. Et ſic Magos ſeduxiſſet error, ut ad Herodem redirent, cùm dicebat : *Ite, & renuntiate mihi, ut & ego veniens; adorem eum;* ſi non illos monuiſſet cælum ad aliam ineundam viam. *Et reſponſo accepto in ſomno ne redirent ad eam.* Hanc

ſibi

ſibi opem & auxilium à Deo petebat Rex ſapientiſſimus, ut cavere valeret defectus, in quos ut homo poterat labi, & quibus (ut Rex qui gubernat) erat obnoxius, quando dicebat: *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam: mitte illam de cælis ſanctis tuis, ut mecum ſit, & mecum laboret.* q.d. Domine, ſi mihi tuâ clementiâ opem tuleris, potero univerſum mundum rapere in admirationem; at ſine illa deficit mihi animus, & timore perterreor, nec ſcio quid faciam, in delicta relabor. Obſervate (inquit Gregorius

*Greg. Ari. diſt. 26. q. 2. art. 1.*

Ariminenſis) Salomonis locutionem. [ Ecce fatetur ſe non poſſe contineri niſi Deus det, & propterea orat ſibi dari Dei Sapientiam, quæ deducat eum ſobriè, & ſuâ potente virtute cuſtodiat ab incontinentia & intemperantia. ]

Itaque ſi cupiamus inhærere bono & declinare à malo petamus à Deo Sapientiam, quâ velut ſtellâ prælucente dirigamur. Eo habendum eſt effugium, & qui ad humanum auxilium recurrit, humano deſtituitur & divino. Magi ſtellam ſequebantur, non errantem, quæ illos ſecurâ ducebat viâ: attamen ad Herodem recurrerant de viâ alteriùs inquiſituri, *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Herodes autem notitiam nullam dedit, & mane ſtellam perdiderunt. Unde ſcribit

*B. Iord. de Sax. ſer. 94. in Epiphan. Gloſſa Ordin.*

B. Jordanus de Saxonia. ( Stella deduxit eos ab Oriente uſque prope Hieruſalem, & tunc abſcondita eſt ab eis, *& eam ob cauſam*; quia juſtè divino auxilio deſtituuntur, qui quærunt humanum.) Confirmat D. Thomas de Villa Nova;

*B Thom. à Villa Nova. ſer. de Epiphan.*

*Magis intrantibus Hieroſolymam, ſtella diſparuit,* & hanc adfert rationem. *Humanum enim flagitantes conſilium, divinum amiſêre ductum & conversos ad terrenum documentum cæleſte deſeruit ſignum. Propter hoc igitur, dum ab hominibus nati Regis ortum inquirunt, ejuſdem Regis fulgidum ducem amittunt.* Ad inſtructionem noſtram hoc facit; ut non facilè alio quam divino fulciamur auxilio.

Pater, amici mihi ſunt addictiſſimi, & multùm valent, ſcio in neceſſitatibus occurrentibus lubenter omni ope poſſibili ſubventuros, illos

*Vide plura de hac materia Dom. 23. poſt. pent. p. a.*

fortaſſis implorare non liceat? Audi & crede: recurrere ad humanum adjutorium non potes niſi divinum perdas; hoc enim ipſo quo ad hominem refugis, ut confidas, à Deo te deſerendum time. Tentavit Jobi patientiam modis omnibus Dæmon, conatus eſt adverſitatibus frangere & ad blaſphemandum inducere, Mirabili uſus eſt ſtratagemate: armenta omnia ei abſtulit, lætas ſegetes & matureſcentia frumenta incendit, vento valido domum ejus dejecit, ibique filios interemit, atque illum crudeliter vulneravit, ita ut meritò plangeret. *A planta pedis uſque ad verticem capitis non erat in eo ſanitas.* *Iob. 1.* Nihil tamen effecit Dæmon, quia ſe ſuaque omnia Jobus Domino commiſit, cujus beneplacito deſiderabat plenè reddi conformis. *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſit nomen Domini benedictum.* Mecum hic (NN) obſervate aſtutiam hoſtis infernalis: hactenus ſupplantare Jobum non potuit, ideoque amicos ejus verſipellis accedit, petitque inſtanter ut afflictiſſimum virum inviſant, & maximum hoc fore levamen. Subintrat hujus temporis Scriptor, & mirari ſatis non poteſt, quomodò ſic agat dæmon; ſiquidem conabatur Job adverſitatibus vincere, cur amicos ad eum mittit,

*Didac. Ponſet. c. 2. l. 3. ſ.*

ut ſolentur: impedire potiùs acceſſum illorum debuit, ne inde doloris haberet levamentum. Fallimini vos, inquit diabolus, uſque modò eum ſuperare non potui, quia divino fretus erat & munitus auxilio. Amicos expediam, quorum ipſe opem imploret, & tum victus cadet, cum divino fruſtrabitur auxilio. Sed Job in bello jam expertus, hoſtis ſtratagema detexit, & hominum juvamen habere noluit, ne divinum perderet. ( Quid agis Sathana? hoſtis es, & amicos Jobi convocas? ſi ipſi veniant, amicum ſuum juvabunt. Te amicorum turba munitus, facili negotio Jobus ſuperabit. O quàm vafer, quàm aſtutus eſt diabolus! Jobi amicos auxiliatores convocat, ſciens nihil magis detrimento eſſe hominibus, quàm auxilium humanum & juvamen )

Sit igitur hujus noſtri diſcurſus jam clauſula: altâ mente retinete, & in operibus veſtris obſervate promptitudinem, ſic facilè cuncta peragetis, favente Deo, qui nunquam auxiliatricem manum ſubtrahet, quamdiu non habueritis ad homines refugium.

***

DOMINI-

# DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

## ARGUMENTUM.

Exemplo nos edocet Chriſtus, humilitatis involucris virtutem tegere, & opera bona quaſi velis quibuſdam obtendere, ut abſtruſa ſint ab oculis hominum, & à ſolo Deo videantur. Quod contrà fità pleriſque, qui virtutes tametſi fucatas ebuccinant; & vitia apertiſſima occultare multo ſtudio conatuque allaborant.

## THEMA.

*Et factum eſt poſt triduum invenerunt IESVM in templo ſedentem in medio Doctorum audientem illos & interrogantem:* S. Luc. cap. 2.

NOn miror (NN) ſi Chriſtum Salvatorem hodie videam, magnetis inſtar, virtute ſanctitatis, ferrum peccatorum rubiginoſum ad ſe allicientem, aut ſi cæleſtem Orpheum contempler, verbi dulcedine ſuaviter pertrahentem, non dico jam feras è ſylva, ſed piſcatores Apoſtolicos è mari, non infernalia monſtra ſedantem, ſed cicurantem procellas, imbres, turbines cæteraſque tempeſtates. Mirari jam deſino, quòd luto contra experientiam cæcos illuminet; quinque panibus & duobus piſcibus quinque hominum millia ad ſatietatem paſcat; ſolo viſu impios juſtificet, verbo uno peccatores maximos convertat, vel ipſo manuum aut veſtis attactu infirmos ſanet, vocis imperio à mortuis reſuſcitet: non modò (inquam) miracula iſta mirationem faciunt, quamquam humani intellectûs capacitatem longè tranſcendant, quia creaturæ omnes ſubditæ ſunt potentiæ & voluntati divinæ: *In voluntate tua, Domine, univerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tua.* Obſtupeſco hoc manè, cum Jeſum inter Doctores reperio de Scripturis interrogantem, & reſponſa humiliter expectantem. *Et factum eſt, invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos.* At

Rom 9.
Eſth. 13.

verò ſi nihil ipſi occultum ſit, ſed omnia aperta oculis ejus, cujus ſapientia infinita, quare Doctores interrogat, qui præ omnibus ſapit; & cur tam patienter auſcultat, ut addiſcat, qui nihil ignorat? Et, quod amplius eſt, de eo teſtatur Propheta, veniſſe in hunc mundum, ut Magiſter eſſet univerſorum. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus* Ut quid ergò virtutis potius, & divini ſui ingenii non dat ſpecimen, *& documentum.*

Iſa. 55.

O quàm benè nos docet, non verbis probando, ſed factis inculcando, & operibus commonſtrando! Reſpondent cum S. Ambroſio D. Thomas & Origenes, Chriſtum voluiſſe ad ſpeciem addiſcere & auſcultare, ut noverint homines, ſi quid virtutis & bonitatis poſſident, cautè abſcondere, & non in conſpectu omnium vanè oſtentare. [ Inter Doctores (ſcribit Janſenius) ſeſe non ingeſſerat tamquam Doctor; quamquam unus eſſet omnium Magiſter; nec cum faſtu & procacitate (quæ vitia ſolent adeſſe pueris præcocis ingenii) jactabat eam, quâ plenus erat, ſapientiam; ſed velut diſcendi cupidus inter eos ſederat, audiens ſcilicet eos & viciſſim interrogans: non quod neceſſitas illi eſſet ſciſcitari ab hominibus quod diſceret,

D. Th. in Caten.
D. Ambroſ. lib. 3. de Virg.
Corn. Janſ. in Concord. Evang. Luc. 2.

ſed quo omnibus junioribus exemplum modeſtiæ & diſciplinæ præberet) Adſtipulatur Origenes, clarius exponens: *Interrogabat, non ut addiſceret, ſed ut interrogans erudiret homines, ut ſe vana oſtentatione non jactent.* Accedit & confirmat S. Ambroſius: *In quo docet Chriſtus à perfecto abeſſe debere jactantiam.* Itaque abſcondebat JESUS ſapientiam, non quod timeret jactantiæ motum aut vanæ gloriæ ſtimulum, ſed ut nobis relictum ſit exemplum, ex quo diſcamus vanam oſtentationem fugere, virtutes & bona opera obtegendo.

Hom. 29.

Hoc me hodie probaturum confido, ſi modò vos, cùm Doctrinæ iſtius Evangelicæ prima rudimenta breviter exponam, diligenter attendatis, tacito ſenſu, quæ dixero, dijudicantes.

## PARS PRIMA.

A*Vdientem illos & interrogantem eos, ſed non docentem.* Quidquid in orbe terrarum ſpectatu magis dignum, remotius ab oculis hominum eſſe, quotidie experientia docet. Oculus obtegitur palpebris: cor pectoris ſcrinio reconditur: aurum terræ viſceribus occultatur: coralium ſinu maris abſconditur, & ſi à piſcatoribus ex aquis educitur, quaſi indignè ferret produci in conſpectum, quod anteà candidiſſimum rubore ſtatim ſuffunditur. Margaritas concharum gremio reconditas legimus, & in occultiſſimis montibus adamantes. De manu Moyſis refertur in Exodo, mundam eam fuiſſe, quamdiu in ſinu retinebatur, ſed eductam & coram oſtenſam, lepra infectam. Deſiderabat unigenitus Dei Filius Natalis ſui gloriam noctis opacæ tenebris obſcurare, ut de eo ſcripſit Sanctus Bernardus: *jam vero nocte voluit naſci. Vbi ergo ſunt, qui tam imprudenter geſtiunt oſtentare ſemetipſos?* Si nobiſcum in terris converſatur, occultè id facere voluit ſpeciebus Sacramentalibus obumbratus, ut auditu eum delectet: *Verè tu es Deus abſconditus.* Quò minus roſa apparet, eò pulchrior: & quò magis eſt noſtra virtus ſemota ab oculis hominum, eò gratior eſt in conſpectu Divinæ Majeſtatis. Quiſquis ergò Dei ſervus es, accipe doctrinam hanc Evangelicam, tanquam ſedulus tanti magiſtri diſcipulus retine, & operibus adimplere continuò ſtude. Dictum tibi hoc cenſeas, quod Richardus Victorinus prædicat: *Occultat bona ſua anima devota, ut laudes non audiat, ſurda ad has, ſicut Aſpis obturans aures ſuas, ne audiat voces incantantium. Incantatur enim anima laudibus, ut mala ſua non videat, & de juſtitia fallaciter ſe extollat.*

Exod. 4.

Serm. 3. de Nativit.

In Cant. p. 2. c. 29.

Sanctus Evangeliſta Marcus narrat Apoſtolum fuiſſe in horto Gethſemani cæteris generoſiorem, qui ut Magiſtrum ſuum defenderet, ſtricto gladio unum ex miniſtris inſolentioribus invaſit, in terram dejecit, & auriculam amputavit. Tuâ veniâ, Marce, ſcire nunc velim (quæ mea cupiditas eſt) quiſnam fuerit Diſcipulus ille tam alacri animo, dic, obſecro, quis ille? Audite reſponſum: *Vnus de circumſtantibus.* Nunquid dici poſſit ejus nomen? Ideò non fuiſſe expreſſum mihi perſuadeo, quia Marcus erat diſcipulus Petri. Opinor quidem à Marco ſic ſcriptum: *Petrus unus de circumſtantibus.* Petroque Magiſtro ſuo Evangelium oſtendiſſe ut revideret, approbaret, & ſigno innueret, ſi quid imperfectum aut ſuperfluum legenti occurreret. Unde videns inſcriptum nomen ejus qui ſe fortem & magni animi probârat in defenſione Chriſti Redemptoris, accepto calamo ſtatim expunxit ſuum nomen, ſic ut ſolùm jam legendum reſtaret, *Vnus de circumſtantibus.* Actionem ſcripto reliquit, ſed, ne apud homines eſſet agenti in laudem, nomen delevit, memor fortaſſis iſtius dicti, *Stultus eſt qui facta infecta facere verba poſtulat.*

Marc. 14.

Plautus in Epid.

Aut certè dicamus cum Theophilacto, Thoma, & Chryſoſtomo; quod ipſemet Marcus exprimere Petri nomen noluerit, ne ab hominibus ob generoſum hoc factum laudaretur, & proptereà ſilentii velo ſuppreſſerit. *Silet nomen ejus Marcus, ne videatur laudare præceptorem.* Subdit S. Chryſoſtomus: *Hunc locum Marcus, qui Petri Diſcipulus fuit, ideo ſcri ſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor Magiſtro deferebatur, & quæ ad Magiſtri laudem pertinent, ipſo forſan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omnino ſiluit.* Precatus eſt Marcum, ut ſi factum ſcribere cogeretur, ſaltem agentis nomen tacitè præteriret. Ad confuſionem ſuam hoc audiant illi, qui nil benè dicunt, nil boni faciunt, quin inaniter id verbis extollant, ſeque inſolentiùs jactent, parum curantes, etſi perdant omne meritum, & ſeveræ punitionis incurrant periculum, modò humanum lucrari poſſint applauſum. Illis minatur Simeon dictus Junior: *Væ qui gloriam ab hominibus volunt accipere.*

In Caten. D. Tho.

Hom. 49. in Matth.

Lib. Sart. Com. c. 15. c. 1. in Biblioth. vet. PP. Tom. 12.

Crediderim, S. Petrum Doctrinam iſtam retinuiſſe à Patriarcha Abrahamo, cui præceperat Deus ut iret ad Montem in Moria, ibique filium Iſaac immolaret. *Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offer illum mihi in holocauſtum, ſuper*

Gen. 22.

per

*per unum montium, quem monſtravero tibi.* Ille ſtatim excitatus è ſomno, Iſaacum vocat & ſervos, atque ſecum ferentes quidquid ad ſacrificandum opus, ad montem unà feſtinant. Sed; cum jam ad pedem montis veniſſent, juſſit ut ibi manerent famuli, uſquedum rediret ipſe cum filio, poſt brevem temporis moram: *Expectate hic cum aſino; ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*: Non vacat modò indagare, quam ob rationem voluerit, ut non progrederentur ulterius ſervi, cum claré id expreſſum ſit ab Oleaſtro: *Omnia reliquit, quæ ad immolationem filii poſſent impedimento eſſe: ſi enim ſervi viderent patrem, puerum jugulare volentem, nonne eum ſenem delirum vocarent, eumque ab hoc, quod facinus putarent prohiberent! Ideo S. Senex neminem, qui præceptum opus impedire poſſet, ſecum habere voluit.* Solum igitur hic cum Chryſoſtomo expendam illa Abrahami verba ad famulos: *Ego & puer, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Si ad montem tendebat Abraham, filium ſacrificaturus, quem proinde laniaret, occideret & in cineres redigerit: quomodò veré dixerit: *Revertemur ad vos*, ego cum filio? *Mactaturus filium tuum pergis & ais: Revertemur ad vos?* Dicendum, *Revertar ad vos*, quandoquidem ſolus ipſe, ſine Iſaac, erat reverſurus. *Revertemur, id eſt* (exponit Thom. Angelicus) *revertar ego cum Iſaac & pluralis ponitur pro ſingulari. Vult Abraham eſſe mentitum, putabat enim ipſe occidere & immolare filium ſuum.* Accipite (NN.) Sancti Patriarchæ mentem & cogitationes. Si dixero, revertar; Quomodo? (reponent ſervi] ſolus reverſurus es? ubi ergò detentus Iſaac? quid filio tuo factum? atque ita cogar de Sacrificio loqui, quo intellecto, fortaſſis virum ſanctum eſſe me cenſeant, laudibus celebrent, teneantque ut virum timentem Deum, cum ut illi obedirem, proprio filio meo chariſſimo non pepercіſſem; quod ubi in civitate divulgaretur, vanæ gloriæ non facilè periculum effugerem. Quocirca, ut malo iſti occurreret, celare voluit opus hoc ſanctum & virtutem maximam, dixitque: *Revertemur ad vos, ut doceat nos benefacere, & nolle videri*, inquit Oleaſter, cui adſtipulatur Sedulius: *Ut humanæ laudis declinaret injuriam.*

Melch. Canus l. 2. de locis c. 4.

Intereſſ ita, quæ ad mores retulit Sapiens, unum hoc maximé placet & conſideratione dignum. In proverbiis monet, ut apis greſſum perpendamus, & ad inſtructionem noſtram facit. *Vade ad apem, & diſce quomodo operaria eſt.* Prov. 6.

At quid homo, qui tam prudens & tam perſpicacis ingenii, quid, inquam ab apibus diſcet quod antea ignorabat? Dicat ſanctus Antiochus. Ingenioſiſſimum hoc animalculum, ne in formando melle ab aliquibus videatur in alveari, obſcurum receſſum quærit. O quam bené hoc homini dictum, ut diſcat & imitetur! Quando occupatur ipſe, mel bonorum operum componendo, locum ſecretiorem exquirat, & oculos hominum fugiat. (Vir intelligens ingenioſam & ſolertem imitatur apiculam, quos externè ſelegerit floſculos, defert in alvearium internè mellificum, favumque operoſius conficit, ne labores ſuos humanæ iſti gloriæ exponat.) S. Antioch. hom. 43.

Non apponuntur in menſa cœleſti fructus, qui fimo inanis gloriæ ſunt coinquinati. Hinc fortaſſis tota Gigantis pernicies: eminebat robore, corpore prominebat, tantaque erat ejus ſuperbia, ut nulla à virtute timeret damna: terribilis aſpectu, voce terribilior, & feris vultu ferocior, Hebræorum fortiſſimos ad certamen audacter provocabat; viſo illo acies Iſraelitarum exanimabantur, & non ſine honoris detrimento in fugam convertebantur. Quid tunc? David puerulus coram Saule Rege obſequium & cultum obtulit, & ſemetipſum ad certaminis provocationem paratum exhibuit, de victoria obtinenda ſperans atque omninò confidens. Quiſquis aderat, ſtupebat, & non modò difficile, ſed eſſe impoſſibile exiſtimabat: at Saul generoſitate Davidis animatus, in eoque ſpem reponens, propriis armis loricâ, & thorace regali pectus obarmat, caſſide tegit caput, ſcuto brachia munit, haſtâ manum, & ad latus geſtat gladium. Verum David, ut erat prudens, ſentiebat ſe potiùs armis iſtis gravari, ſibique fore impedimento timuit: manu haſtam vibrabat & ſcutum opponebat; ſed quia uſum numquam habuit, inſtrumenta illa bellica tamquam victoriæ impedimenta abjecit; tentaverat enim ſic armatus hoſtem aggredi, & videbatur quaſi factus immobilis ut diceret: *Non poſſum ſic incedere*; 1. Reg. 17. natus ſum Paſtor ovium, non bellator; arma veſtra ſervate & fundam meam reddite. Pro caſſide nolim niſi has comas, & pro quavis armatura ſufficiet hoc pectus: plus mihi faciet petrarum durities, quàm diſtricti gladii cuſpis: plus ictus fundæ, quā vibratio iſtius haſtæ: machinas bellicas nō curo, altiore ſum animo, nil timeo. Quanta eſt hæc audacia? ſi feliciter ei eveniat, ut ſpes apparens pollicetur, non dabitur inter Iſraelitas generoſior. David ergo ad exercitum Philiſtæ-

orum accelerat, eminùs gigantem videt aſpectu rabido advolantem, ut ictu gladii paſtorculum certò proſternat. Puerulus in funda petram reponit, & maximo impetu projicit, tam velociter ut non poſſet oculus aſſequi, tam dextrè ut in gigantis frontem (quò rectè collimarat) impegerit, & tanto impetu ut mortuus in terram ceciderit; tum ipſe celeriter accurrens, extracto ejus gladio caput truncavit, eoque triumphans ad Iſraelitas eſt reverſus.

Victoriam non propriis viribus, ſed Deo ſoli ejuſque placito adſcripſit, ideoque templum ingreſſus, Deo gratias egit & pio cultu gladium appenſum, grati animi ſignum reliquit. Sed quid te movit, ediſſere David, cur gladium obtuleris non lapidem; nunquid enim hoc proſtratus eſt Goliath? nunquid glorioſum eſt partæ victoriæ inſtrumentum? ergo lapidem illum in templo appendiſſe oportebat, non gigantis enſem. Noverat David, non tam fore Deo gratum lapidem & acceptum, quia cum è funda per aerem jactaretur, ſtrepitus auditus eſt, & quaſi iteratos immitteret ſibilos, quibus ceu totidem vivis vocibus cœlo terræque prædicaretur heroicum factum, aggrediendo gigantem, ſuperando & atterendo. Itane, ante partam victoriam vanè gloriatus es, & tubâ cecinisti triumphos? *Recepiſti mercedem tuam.* Tibi ſufficiat. Verum ferrum hoc in vagina delituit, donec ſtringeretur, & collum nullo datu ſtrepitu abraſit: iterumque ne ab omnibus videretur extollendum, in vaginam reconditum eſt. S. Joannes Chryſ. mentis paſſu in camptum Terebinthi properat, ubi indictum erat certamen, & attentiſſimè obſervat lapidis jactum motum vanum & oſtentationem quæ ſi in homine reperias, expreſſiſſima dixeris vanæ gloriæ ſigna. Audite S. Patris conceptum, *Lapidem David è fiſtula rapit, fundæ opponit, & contorto vertice in Goliath excuſſit, qui lapis per inane volans, verberat aurem, aerem ſcindit & violento impetu Goliæ frontem invadit.* (S. Chryſ.) Scio (NN.) diſcurſus hos, ut vanos & frivolos excipi, cùm ſenſus & cognitio rebus iis attribuuntur, quibus natura negavit; ſed, quod reipſa non convenit, metaphoricè adaptamus, ut ii, quibus rationis eſt uſus, relictis ſpinis roſas ſeligant, ad mores & proprium commodum referendo.

Dubium adhuc incidit (NN.) quid difficilius ſit, vel recipere lapidem vanæ laudis ambitorem, an mulierem formoſam & comptulam, quæ tamen humanum applauſum reſpuat, atque inanis gloriæ ſit inimica. Pro lapidibus certet qui volet: mulieres hic ego tuebor. Cum eſſet cæleſtis Sponſa in corona adoleſcentularum, illæ videntes & admirantes eximiam ejus pulchritudinem, omni laude digniſſimam proclamabant: *Videntes eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* (Cant. 6.) O quàm Specioſa es, quàm decora Paradiſi Sponſa, cujus meritò pulchritudinem Sol & Luna mirentur! Capilli aurei tibi ſunt, genæ roſeæ, labra coralina, dentes, qui candore ebur ſuperent, & in medio vultus enitet ingenita honeſtas: omnis in te gratia & decor invenitur. O felices nos, ſi vel unicus Solis hujus radius in vultu noſtro reſplendeat! Utinam non deficeret humana facundia, ut meritis efferemus præconiis! Neque adblandiri ſolum ſed veriſſimum loqui, tum credas, ſi in alterius vultu nitorem tuum & decorem videas emicantem. His dictis, à laude ceſſatum eſt, Sponſamque precatæ ſunt, ut faciem converteret, quam poſſent intueri: *Revertere, revertere ut intueamur te.* perturbor hic, neque tam confusè dictum intelligo. Videre fatentur *Videntes* eam, & illo ipſo inſtanti, quaſi non videant, obſecrant, ut ſe non ab oculis abſcondat. *Revertere, revertere, ut intueamur te* Apparet in duobus verbis contradictio ſi ita ſtrictè loquamur: ſed reve â nihil ſimile; contrà, benè & appoſitè proponebant: nam cùm jam Sponſa perciperet, illas mirari & laudare nimiam vultus pulchritudinem, diſplicuit applauſus, atque ideò ſtatim ſe avertit, faciem obvelavit, ut ſic laudem humanam reſpueret & vanam gloriam. Idcircò commotæ ſunt & ſupplicabant: *Revertere, ut intueamur te.* Oleaſter hic ait: *Fugiunt juſti terga vertentes; imo quod magis eſt, nollent à Deo bona ſua videri.* Per Sponſam hic juſtus figuratur, qui ſollicitus opera ſua bona occultat, ut, ſi ita poſſibile foret, etiam à Dei conſpectu ſubtraheret, memor iſtius dicti: *Cito ignominia fit ſuperbia gloria.* (Seneca in Proverb.)

At non hoc mirum, dicet fortè veſtrum aliquis, mulierem unam reperiri, quæ excellentem pulchritudinem obtegat, ut vanam gloriam evitet; ſiquidem veris initium ex flore unico non notamus. Verum allegas; ut plures adducam, Magdalenam habete. Intrat illa Phariſæi domum accepto vaſe alabaſtri. *Et ſtans retro ſecus pedes Domini, lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* (Luc 7.) Sed cur retrò te ponis, Magdalena, & à tergo manes? Quare non antè & in Salvatoris conſpectu? Fortenè, quia (ut canit Poeta) puduiſſet videri à Deo, quem graviter offenderat.

Fuggo

*Fuggo gl'occhi divini,*
*[Jo. Bapt. Mar.]* *E del tuo tergo a l'ombra ô Re del mondo*
*Vergognoſa m'aſcondo,*
*Che s'anco i Serafini*
*Non del tutto ſon puri al tuo coſpetto*
*Che fui d'un core infetto*
*Indegno qual è il mio,*
*Degli occhi humani ancor non che di Dio.*

Non dubito quin cauſa adjuvans fuerit pudor, at principalis ea, quia ſcilicet laudabile obſequium Deo præſtabat lavando, abſtergendo, ungendo & oſculando, ne videretur & laudaretur, à tergo locari voluit. *Et ſtans retro ſecus pedes Domini*; ſciens fortaſſis, ſecretum eſſe ut balſamum, quo ab incorruptione ſervantur, opera meritoria. (O verè Divinitatis expugnatrix! dum obſequia tua, dum virtutes tuas poſt tergum abſcondis, inſidias paras capiendo Deo; quia abſque dubio magis capitur abſconditis operibus, quam iis, quæ coram oculis oſtentantur.) *[Didac. Penſer. 10. 3. de Chriſto figur. c. 15. §. 5.]*

Obſervant Doctores Eccleſiæ, tot à Salvatore facta miracula, claudis dediſſe greſſum, infirmis ſanitatem, viſum cæcis, mortuis vitam, & tamen illorum neminem admiſiſſe ad ſequelam; ideoque à ſe abigendo dicere ſolebat: *Vade in pace.* *[Luc. 7.]* *Surge, tolle grabatum tuum, & vade.* *[Ioan. 5.]* *Et dedit illum matri ſuæ.* *[Luc. 7.]* *Solvite eum, & ſinite abire.* *[Ioann. 11.]*

Imò à S. Marco relatum eſt, energumenum liberatum à Chriſto, hanc ſibi concedi gratiam poſtulâſſe, ut Diſcipulorum numero adjungeretur, & tuliſſe repulſam. *Qui à dæmonio vexatus fuerat, cœpit IESUM deprecari, ut eſſet cum illo, & non admiſit eum.* S. Ambroſius ſubdit rationem: *[Marc. 5.]* *Cur non recipitur liberatus, ſed domum redire cogitur, niſi ut jactantiæ cauſa vitetur, & fidelibus daret exemplum?* Ideò non permiſit, ut cæcus comitaretur, nec Reguli filius, nec Centurionis ſervus, nec Lazarus, neque viduæ filius aut alii, quia ſcilicet tot eſſent tubæ, quæ loquerentur Chriſti virtutes & miracula, atque in omni loco, quo comitarentur, prædicarentur ejus magnalia. Videte (dixiſſet vulgus) ecce Lazarus etiam adeſt, quem mortuum ad vitam revocavit. En hic qui anteà cæcus, ille paralyticus, uterque perfectè curatus eſt. Verè magnus in primis hic, & meritò Sanctus vocetur, utpote quem ſua virtus talem eſſe proclamat. Ergo, ne inde gloriam haberet & turbæ applauſum, ne vel unum ad ſequendum admiſit. *Intuere* (ſcribit Chryſoſtomus) *quod nullam gloriam expectat: non ducit eum (id eſt Lazarum) non jubet ſecum eſſe, ut rem non oſtentet facto miraculo.* *[Hom. 63.]*

Et ſubdit alter: *ne ſuarum laudum præconem ſecum ad ſuam jactantiam circumferre videretur.* *[Fr. Mendoc. 3.]*

A Geraſenorum regionibus redeuntem Chriſtum excepit turba, & ecce vir cui nomen Jaïrus, qui & ipſe Princeps erat Synagogæ, periclitantis filiæ dolore ſaucius cecidit ad pedes JESU & libellum ei ſupplicem humillimè præſentabat, cum ſingultu & lachrymis ei mortem filiæ chariſſimæ exponens. *Domine, filia mea modo defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* *[Matth. 9.]* Dominus afflicti precibus exoratus, mortuam excitaturus contendit, & cùm jam ad ædes Principis adveniſſet, quotquot ad fores adſtabant, abire compulit, & ſtrictè prohibuit ingreſſum. *Cum vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dixit: Recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit.* Multa hic conſideranda occurrunt, ſed ad duo me reſtringam. Cur tibicines dimittit, & in quo diſplicent Chriſto? Reſpondet S. Hieronymus: *Non erant* (inquit) *digni ut viderent myſterium reſurgentis, qui reſuſcitantem indignis contumelius irridebant.* Rabanus: (Tibicines ſunt adulatores, qui fovent mortuam.) S. Gregorius: *Foras autem turba ejicitur, ut puella ſuſcitetur: quia, niſi prius à ſecretioribus cordis expellatur ſæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinſecus jacet mortua, non reſurgit.* *[17. Moral.]* Aptiùs denique inſtituto noſtro loquitur Divus Chryſoſtomus, ubi aſſerit Chriſtum repuliſſe turbam & tibicines abegiſſe, quia patrato miraculo ſtatim ad feneſtras palatii ſe poſuiſſent & propter gaudium reſuſcitatæ à mortuis filiæ & propter tam glorioſum devictâ morte triumphum, tibicines ebuccinaſſent, & populum undique attraxiſſent ad videndum miraculum, & Redemptorem mirabilem & virtute potentem exaltaſſent. Præviderat futurum, & ad inſtitutionem noſtram laudes repudiavit, ut diſcamus procul ab operibus noſtris bonis removendos eſſe tibicines. *Ne jactantiæ causâ id facere videretur.* *[S. Chryſ. hom. 7. in Marc.]*

Sed major adhuc difficultas in hoc facto ſupereſt exhaurienda, ſcilicet dixiſſe Chriſtum de adoleſcentula, non eſſe mortuam, ſed dormientem. *Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Si tamen verè erat mortua & jam anima è corpore emigrârat, quomodo dictum, *dormit?* Non dubitem Chriſtum optimè nôſſe quantum differant mori & dormire, mors & ſomnus. Fortaſſis (ait Chryſoſt.) dormientem aſſeruit, quia tam facilè Chriſto, hominem excitare è mortuis, quàm nobis ſit, dormientem è ſomno. *Oſtendit* (inquit S. Pater citatus) *quoniam facile eſt ei mortuos ſuſcitare: eo* *[S. Chryſoſt.]*

 *enim*

*In Caten. D. Thom.*

*enim accedente, jam mors ſomnus erat.* Accedit Rabanus? [ Vobis mortua eſt, Deo autem qui ſuſcitare poteſt, dormit, tam in anima quàm in corpore. ] Vel etiam ſic explicari poſſit. *Dicit, quod puella dormit, quia qui peccant in præſenti, adhuc per pœnitentiam reſuſcitari poſſunt.*

Crediderim ego Chriſtum hoc facto erudiviſſe homines ad evitandam inanem laudem; ſolent enim pleriq̃ue de bonis ſe jactare nimis, & intolerantius exaggerare ut vanam gloriam aucupentur; econtrà Salvator noſter opera ſua laude digniſſima non æſtimat, ſupprimit & quaſi annihilat, ut cum dicit è ſomno excitaſſe, non à mortuis revocâſſe. *Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Voluit ergo in reſuſcitatione filiæ, miraculum eſſe ſine ſtupore, & quaſi parvæ ſit conſiderationis, ſilentio abſcondi, cum ait puellam non morte oppreſſam, ſed ſomno, ut ſic honores ſæculi contemnat & hominum præconia, quibus illum exquiſitiſſimis extuliſſent. Ita mecum ſentit Procopius: *Mortem à qua eam reduxit, non prædixit; res enim divinæ non ſunt ad oſtentationem.*

*Procop. c. 36.*

Chriſtianus Drutmarus ad hæc Apoſtoli Matthæi verba. [ Cùm jejunas, unge caput tuum, ita ſcribit: Ne propter jejunium triſtitiam ſimulemus ob favorem vulgi, ſed hilariter Deo ſerviamus; quia tunc manebit nos merces certa, ſi propter Deum omnia faciamus. ]

*Drutmar. T. . Bibl. vet. PP.*

Conceptum adferam ſuprà dicto non longè diſſimilem. Deſcribit Evangeliſta Matthæus quomodo Chriſtus in partibus Cæſareæ Diſcipulos interrogaverit, quid de eo diceret, quid ſentiret mundus. *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Hæc una omnium vox erat: *Alii Ioannem Baptiſtam, alii Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis.* Et *vos* Apoſtoli, quem me eſſe dicitis? quem eſſe creditis? Sanctus Petrus ante omnes liberè fatetur: Domine quidquid lubet, aſſerant alii, hoc mihi omnino certum, te verum Dei eſſe Filium: mors quidem vitam poſſit, ſed non hanc à mente tollere opinionem. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Salvatori placuit hoc dictum, adeò ut non ſatis illum laudare potuerit & extollere ſummis laudibus. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* Deinde ſanctum illum pronunciat: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.*

*Matth. 16.*

Alia difficultas ſuboritur, & ea eſt, quod S. Marcus eundem narret eventum, ſicut Matth. iſta tamen diſparitate, quod iſte nihil adferat de laudibus Petri. Chriſtus laudavit Petrum, ſed non tangit hoc Marcus. Miror valdè: S. Marcus in Chriſti & Apoſtolorum actis exarandis tam fidelis & exactus æquè ac cæteri Evangeliſtæ: & ne verbo quidem attingit, quod, in laudem Petri factum à Salvatore noſtro enarrat Matthæus. An fortè hanc Petro gloriam & excellentiam Marcus invidebat? Non credam. Cur ergo tam leviter pertranſiit?

Exiſtimant nonnulli Evangelium S. Marci à S. Petro prius eſſe compoſitum, & à S. Marco poſteà explanatum, ut ideò huic adſcriptum non ſit. Quid ergò faceret Petrus? quia forſitan timebat, ne laudes iſtæ aliquando vanam gloriam excitarent, ideò ſilentio tegi voluit, neque fieri mentionem. Doctrina eſt S. Euſebii: [ Cum tam multa dicta ſint Petro à JESU, Marcus nihil horum commemorat, propterea quod nec Petrus quidem talia in ſuis narrationibus nunciavit. ]

*Fr. … t. 3. … Reg. … tat. … circa … ram … c. 1.*

Redemptor noſter non ſolum in Evangelio hodierno humilitatem commendatam reliquit, cum Sapientiſſimus ipſe ſapientes audit & interrogat; ſed eandem doctrinam tradidit, quando viſitabatur à Magis, quibus non legitur in S. Scriptura dixiſſe verbum. Forſitan quia in tenerrima iſta ætate necdum linguam habuit promptam ad benè loquendum: non ideò, quandoquidem à primo inſtanti conceptionis fuerit in operationibus tum animæ tum corporis perfectiſſimus. Quare igitur vel unico verbo Reges non conſolabatur? B. Jordan de Saxon. ita reſpondet: [ Quæritur quare non loquebatur puer ad eos? & hæc eſt ratio: ne Divinitatis ante tempus revelaretur, & ut vera humanitas haberetur, ] humanitatis velo Divinitatem obducere voluit.

*Serm. … de Ep…*

Econtrà plurimi hoc ævo noſtro mortales nihil magis appetunt quam vanam laudem, tantaq̃ue eſt quorumdam ambitio, ut, niſi foret id impoſſibile, optent eſſe Dii, cultuq̃ue Divino adorari, Pſaphon inanis gloriæ fuit adeò cupidus, ut ab avibus laudem etiam quæreret, ad cantum provocando, & exercendo donec aſſuefactæ, uniſonè repeterent. *Magnus Deus Pſaphon.* Profectò nec alio præconio quam avium garritu dignus erat ille, qui volucribus ſimilis propriæ levitatis plumis ad Divinitatem inaniter aſpiravit. ( In Lybia vir cogitans Divinitatis opinionem ſibi adſciſcere, raptis avibus, quæ ad humanum ſermonem pernoſcuntur dociles, illas artifici conſi-

*Alex. Taſſ. … quaſ. …*

*Ambr. … ep. Ep…*

lio

lio docuit ut articulatè prorſus enunciarent hoc quod ſequitur: Magnus eſt Deus Pſaphon, quæ ubi dictatam fabulam expeditè perdidiciſſe viſæ ſunt, emiſit eas Pſaphon, illæ verò paſſim ut aſſolet, cantilantes, eandem repetebant. Quod audientes incolæ, putanteſque fieri Divinitus, (ut qui commenti fuerant neſcii) Pſaphonem ut Deum ſunt venerati.) O quàm vanæ ſunt mortalium cogitationes, & quanta veſania! *Lamec. fer. 3. poſt Dom. 1. Quadrag. ſerm. 22.*

Quàm multi ſunt in mundo ſtulti ſic glorioſi qui ambitionis vento gravidi modeſtè incedant. Nonne talis eſt qui contorto collo humillimus apparet, jejuniis macerat corpus, diſciplinis domat, in Eccleſia pietate fervens? velle de altari ſanctos omnes attrahere diceres, exhaurire purgatorium & implere cælum: ſuſpirat, gemit, pectus tundit, ſed tamen hæc omnia ex vana gloria & ad oſtentationem peragit; optat reputari bonus; ut ſimplices & miſeros fallat, atque inde proprium commodum exquirat. Meræ nugæ: virtutes oſtentant, eaſque fictas & adumbratas, & peccata, quæ vera & craſſa ſunt, ſollicitè abſcondunt. *Quæ ſi plerumq; delectant* (loquitur Chryſol) *pœnitudinem inducunt; & ſi delectant ad modicum, productiori ſpatio diſplicebunt*, & S. Auguſt. *Inanis gloria hujus ſæculi fallax eſt ſuavitas & infructuoſus labor & perpetuus timor, & periculoſa ſublimitas, initium ſine providentia, finis cum pœnitentia.* *In pſ. 19.*

Ille manu Roſarium tenens vultu ſanctitatem præfert, & in corde nequitiam abdit, nec in alium finem benè operatur, quàm ut ab hominibus videatur & æſtimetur bonus. Iſte, ut probus habeatur, templum adit corporis greſſu, ſed tamen affectu mentis in ædibus eſt: perſonæ illius pudore nomen ſubticeo. Alius eleemoſynam liberaliter erogat, ut pauperum tutor & pater eſſe credatur, & clam furatur. Curionem illic in Eccleſia videas ita piè Divina peragentem, ſanctum Hilarionem aut Baptiſtam in deſerto dixeris; ſed rimari cordis intima ſi modò liceret, pejorem eſſe Judâ & ſceleratiorem fateberis, ut aptè de illo dictum ſit illud S. Auguſt. *Vult videri quod non eſt*, ad eum propè modum quo Accio ſtatura minimo, erecta eſt in templo muſarum ſtatua maxima Neſcio quibus melius comparem quam mulieribus iſtis mundanis quæ formæ elegantiam ambitioſè curant, & pigmentis fallacem ori venuſtatem conciliant, ut hominum ad ſe oculos rapiant & (quaſi ſimulachra Divorum ſint) humiliter ab omnibus ſalutentur. Tabulæ videntur curioſius pictæ, ſed non habent, niſi pigmentum. *De Civit. Dei c. 19.*

Iſtis omninò convenit à Tacito olim dictum Mutiano: [Omnium quæ dixerat feceratque arte quadam oſtentator.] Benè dicebat Vir doctus, veram gloriam ponendam eſſe in internis animæ bonis, quamdiu in hac vita miſerè verſamur, & non in operibus iſtis exterioribus. (Omnis vera gloria intus eſt, non foris; hoc eſt in virtutibus intra animam exiſtentibus, & non in flore fœni, hoc eſt, ſuperfluo exterioris hominis ornatu. In Domino eſt, qui nec fallere, nec falli poteſt, & non in ore vulgi. *Tacitus* *Ambroſ. Neapol. fer. 3. poſt 2. Domin. Quadr.*

Si vidiſſetis fructus illos terræ Pentapolis, quos temporibus Loth in cineres redactos legimus, quàm venuſtos dixiſſetis: appetitum provocaſſent, ad colligendum & comedendum exciraſſent. De ramis dependebant oculis gratiſſima poma, purpurâ & auro tincta & placentia, ut meliora in mundo reperiri poſſe, nunquam credidiſſetis. Sed decerpta illa & aperta intus nil niſi cineres continebant, nec aliud niſi fucatam apparentiam dabant. S. Auguſtinus hic nobis teſtis: *Poma*, (inquit) *in terra Sodomorum gignuntur quidem & ad maturitatis faciem perveniunt, ſed morſu tentata in fumum ac favillam corio fatiſcente vaneſcunt.* Opera iſtiuſmodi hominum, quæ ad aſſequendam vanam gloriam facta ſunt, meritoria quidem videri poſſunt, exterius purpurata, auroque gloriæ coruſcantia, ſed tamen intrinſecùs inania ſunt, nil niſi cinis intùs & vanitas latet. *Ea quæ alias meritum virtutis habent & fructum, dum inanis gloriæ causâ fiunt, inutilia ſunt.* Opera illa non ad cælum pertingunt, ſed animas ad præcipitium trahunt & æterna ſupplicia. Scribit S. Nilus: (Lapidis ictus non aſcendit in cælum, nec glorioſi hominis preces ad Deum perveniunt.) *l. 21 de Civ. Dei c. 5.* *Saresb. l. 7. c. 21.* *Orat. 7. de inani gloria.*

Cibus ſit in menſa etiam lautiſſimus, & muſcæ aliquot immortuæ jaceant, quis non abhorreat, & nauſeat? Opera bona ſunt dapes delicatiſſimæ, ſi tamen inanis gloriæ muſca inſideat, Domino Deo inſipidæ ſunt & faſtidio ſummo. Quiſquis vanæ gloriæ ſtudet, tandem aliquando nequam & peſſimus apparet, & cum captandis mundi honoribus retia tendunt, ut aranea muſcis vulgi ludibrio ſunt expoſiti, & in fine falluntur ipſi, capiuntur & explodontur.

*Virtutis expers verbis jactans gloriam,*
*Ignotos fallit, notis eſt deriſui.* *Phæd. l. 1. fab. 11.*

Si bonus es, aut virtuoſus, & quid in te laude dignum, atque inde inaniter glorieris & jactes, non id prudentiæ vertitur, ſed vitio magis & ſtultitiæ. *Turpe enim eſt de ſeipſo prædicare.* Meritò *Cicero 1. de Offic.*

tò tibi objectum ſit, quod ad laudem ſis natus, quod malos habeas vicinos, quod ſis miles glorioſus, & quod ſolius alaudæ paſcaris carnibus, & denique in libro ſcriptum occurrat: *Nihil eſt quod magis minuat laudis præconium, quàm ſuos aſſiduè jactare ſucceſſus.* Unde verè dictum ab Ariſtotele: *Iactator maxime vituperandus eſt.*

Valer. Max. l. 2. Ariſtot. 4. Ethic. Scalig. 11. Ep. 17.

*Quod tu es, ſtolidi eſt dicere, quod non eſt miſelli.*
*Iactantia ventoſa movet frivola riſum.*

Nondum perfectus eſt ille, qui perfectiones oſtentat; ubi econtra laudem meretur, qui honorem reſpuit & dignitates abſcondit.

A Novar. in Vach. Umb. l. 4. exc. 25. a. 271.

*A mundo ſua videri qui quærit, non eſt mundus.*
*Eximiam laudem miretur qui ſe ab hominum*
*laudibus eximit.*

Delectatus eſt Nero, quod hamo deaurato piſciculos caperet. Romanus quidam ut vidit, miratus eſt & intra ſe dixit: (Ut quid perditio hæc? Piſcis oboli pretium non excedit, & ſæpè ſæpius hamum in profundum abſumit.) Ut piſciculum inanis gloriæ accipiant, hamum meriti & cæleſtis gloriæ aurum perdunt, neque curant. Quando ventum auræ popularis aſſequuntur, & præferunt, neſciunt quod aurum luto comparent. Diſertè ajebat S. Valerianus: (Omni ergo ſtudio agendum eſt, Dilectiſſimi; & vitam noſtram Domino ita fides pura commendet, ne quid elatio humana ſibi vindicet, aut ſuis laboribus donet. Totum autem perdidit, quod laboravit, qui propriis viribus fructum ſanctitatis adſcripſerit.) Inferre ſic voluit: Vanus homo & glorioſus omnia perdit & præſens & futurum; patitur enim damnum emergens quod eſt caſtigatio, & lucrum ceſſans quod eſt præmium quo fruſtratur. Ad propoſitum iſtud dixiſſe videtur Oſeas Propheta: *in aranearum telis eſt vitulus Samariæ, quia ventum ſeminant & turbinem metent.* Aranea texendo telam conſumitur, interiora eviſcerando, & hâc quid expectat? prædæ loco accipit miſeram muſcam. Vanæ gloriæ ſectator ſeipſum eviſcerat eleemoſynas erogando, diſciplinis & jejuniis corpus emacerando, ſed ut inanis gloriolæ muſcam unicam capiat. O quàm infortunatus es & excæcatus! An non recordaris prædictum, quia *ventum ſeminas, turbinem metes*? Verùm hoc retine: *Inanis labor eſt inani gloriæ laborare.* Ventum ergo ſeminant vanitatis & turbinem colligunt pœnarum & afflictionum. Tantumdem evenit ſtulto illi, qui templum Dianæ incendit, ut ex cineribus excitaret, dicam fœtorem potius, quàm rumorem ſuæ famæ, & gloriæ ſuæ ſplendorem. Per infamiam conatus eſt illuſtrare nomen futuris ſeculis decantandum.

Labata verbo vana gloria.

Hom. 2. de van. glor.

Navar. l. 2. Sac. Elect. exc. 68. n. 813.

Quare Simon Magus tam anxio & ſollicito erat animo, ut tum prece tum muneribus gratiam miraculorum intercedente S. Petro Apoſtolo impetraret? Ethbertus Abbas cauſam adfert. (Adipiſci hoc volebat, non ut in bonum Spiritu S. uteretur, ſed in malum, videlicet ad gloriam ſibi ab hominibus comparandam.)

Serm… adv. C… in Bibl… Vet. P… t. 12.

O quàm frequentes hodie ſunt, qui ſingula ſua verba quæ proferunt, velint totidem eſſe tubas, quibus fictam ſuam ſanctitatem toto orbe proclament! quàm multi eſſe diaboli Martyres optent nil doloriferum, nil pœnoſum reformidantes, ſi modò immortalem apud homines gloriam aſſequi non deſperent! *Tuba eſt omnis actus vel ſermo, per quem ipſa operis jactantia deſignatur. Tubâ ergo canere eſt pompam vanæ laudis appetere.* Ita Divus Chryſoſtomus.

In c… Matth.

Qui ſtudio perfectionis incumbunt & gradatim per bona opera ad ſanctitatem aſpirant, facilè hic periclitantur, & gravius cadunt. Unde prudenter monet S. Iſidorus: (Quisquis ex deteriore jam melior eſſe cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne graviùs per vanam gloriam corruat, quàm prius per lapſum vitiorum jacebat.) D. Gregorius expreſſiùs aſſeruit: *Sub hoſte quem proſternit, moritur, qui de culpa, quam ſuperat, elevatur.* Ad evitandos vanæ gloriæ ſcopulos, ne allidamur, monitum ſequamur Sancti Patris Auguſtini: *Virtutes habenti magna virtus eſt, contemnere gloriam; quia contemptus ejus in conſpectu Dei eſt, judicio autem non aperitur humano.*

l. 1. de ſ… mo b…

l. 2. m…

l. de C… Dei. c…

Huc ades, quiſquis ad perfectiorem vitam aſpiras (ait S. Auguſtinus) & quàm inanis gloria ſtimulet, audi: *Age bonum, quod vales, oſtende cunctis bonum, quod agis, ut bonus à cunctis dicaris, ſanctus venerabiliſque ab omnibus prædiceris; ut nemo te contemnat, nemo te deſpiciat, ſed univerſi tibi debitum honorem perſolvant.* O maledicta Circe! quàm impia, quàm vana promittis? nec mirum: (es vanitas quædam inflata, morbida, turbulenta, appetitio dignitatum, dulcis miſeris, amara perfectis, cui ſerviunt tumidi, ſub qua jacent elati, qui ſe de operibus, quorum ſibi conſcii non ſunt, turpiter jactant: qui ſe ab omnibus prædicari per nefas affectant.) Deteſtare igitur, & ut peſtem devita, atque timorem Domini incitantem attende. *Si aliquid boni agis, non pro tranſitoriis, ſed pro æternis honoribus age: occulta quod agis in quantum vales: quod ſi ex toto non vales, ſit in animo occultandi voluntas & non erit de oſtentatio-*

Idem l… confeſſ… vitior.

Halitg… Tom. … Biblioth… Vet. P…

S. Aug…

*tatione ulla temeritas; nec criminis erit aliquando manifeſtare, quod ſemper vis celatum habere.*

1. Conſtit. monaſt. c. 11.

Finio tandem cum S. Baſilio: *Age igitur quando hæc ita ſunt, fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium opum expoliatricem, jucundum animarum noſtrarum hoſtem, tinneam virtutum, blandiſſimam noſtrorum bonorum deprædatricem, eandemq́; melle illiti & fraudis ſuæ veneni coloratricem, & mortiferi hominum poculi porrectricem.*

Fugite ergò, & hoſtem tam exitialem declinate neque hoc factu difficile, ſi modò bona opera occultetis; & quidquid coram hominibus laude dignum videri poſſit, ſupprimere ſatagatis. Exemplo vobis ſit Chriſtus Jeſus, qui ignorare ſe ſimulavit, ne ſcientiam oſtenderet: nihil ipſi abſconditum, utpote cujus Sapientia eſt infinita, non tamen dedignatur ſciſcitari & patienter attendere: *Interrogantem & audientem eos.* Et quamvis ſit ipſe Magiſter, nos docet, ut inde diſcamus virtutes noſtras removere ab oculis hominum, ne gloriam vanam admittamus. *Occultanda ſunt ergo, Fratres, bona quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incautè portantes latrocinantium ſpirituum incurſione pereamus.*

B. Petrus Dam. ſer. de S. Barb.

*Procul abſit gloria vulgi,* canit Tibullus. Viri gravis conſilium eſt. *Inanem gloriam abolebis opera occulta faciendo.* Dictum ſatis.

Thalas Abbas in Biblioth. vet. PP. T. 7.

## PARS SECUNDA.

Hujus ſæculi ea jam perverſitas eſt, ut omninò contra doctrinam Evangelicam peccent homines, omnem conatum adhibentes ut virtutes ſimulatas coram oſtentent, & clandeſtinè in cordis intimo, vitia quibus enormibus ſcatent, ſolerter occultent. Eò alluſiſſe videtur ingenioſus ille, quando Philoſophum introduxit, qui menſe Octobri frigus hyemale præſentiens, veſtem ſibi pelliceam quærebat. Officinam ingreſſus, ad placitum unam invenit, foris vulpinâ pelle, intus ovinâ accommodam. Illa, inquit, illa mihi quadrat & placet, nummos accipe, & mecum veſtem confero. Et ſtatim eam induit, ſed (neſcio an caſu ita factum, an ſtudio) inverſo modo, ſic ut pellem ovinam exteriùs, vulpinam interiùs ferret. Abit & domum petit. Mercator euntem obſervat, ut videat ſitne veſtis illi conveniens, & reflectit inverſam eſſe. Heus, bone vir, inquit, ſiſte paululum, verbulo alloquar: veſtem revertes; pellem ovinam intus geſtas, vulpinam foris. Subriſit Philoſophus. O te ſimplicem, ait! ſcio quid faciam; an non vides quod me huic ſæculo conformem? ita jam moris, eſtque novus geſtandi modus. Melius tu Simiæ caligas induxeris, quàm Philoſophum doceas incedere pelliceâ hâc veſte. Hodie ſic prodeunt homines: pelle foris ovinâ induti ſunt, intus vulpinâ, cum in corde malitiam recondunt: ita ut vix jam reperias, qui non ſimplicitatem ovinam præ ſe ferant, vulpis aſtutiam occultatam ſervant. De illis agens B. Simon de Caſſia, vultum intueamini, inquit, expoſita videbitis pretioſa inſignia ex auro fallaci, ſed in conſcientiæ officina ingreſſi nil invenietis niſi mala plurima & perverſam voluntatem: ejus verbis ut dicam: (Rectitudinem conſcientiæ prætermittit, qualiter veritatis teſtimonio Deo placeat, non inquirit, exteriora ſolùm præaptitat.) *In quem finem?* (*Hic nodus eſt*) ut gloriam captet: nam totum ſe in ſenſibus variat, & moribus & geſtibus ſe ſubornat, ut laudem excutiat de cordibus inſpectorum. Omnia ſtudet providè facere, ne cadat à laude; nam unde prævidet materiam placendi, proinde adhibet ſtudium ſerioſiùs operandi.

B. Simon de Caſſ. 8. c. 46.

Conſideratione tamen digniſſima judico, quæ ſub finem citati capitis addit verba, quibus verè gloriantem latrocinii arguit, & ut Divinorum, & præſertim Dei gloriæ furem accuſat. *Cujus finis latrocinium Divinorum.* O quàm conſideratè hoc dictum! Puella ſit ingenioſa valdè & induſtria, quæ telam acu pingat, coloris varii & exquitiſſimi filum inſerat, gemmas, & quidquid rarum & pretioſum, adhibeat: peto, ſi quis opus hoc tam artificiosè elaboratum videat, & ſic acum laudare incipiat: Verè artificioſiſſima iſta acus, à quam tam induſtriè depictus hic pannus: feliciter attigit, quocirca laude digniſſima eſt. Nunquid rudis homo & ignarus cenſeretur, qui honorem acui adſcribat, qui domicellæ iſti debitus ſit? omninò; quia nempè ut acus inſtrumentum concurrit, neque operata eſt, niſi in quantum mota ab agente principali & applicata. Furaretur ergo pictrici laudem, quam inſtrumento tribueret. Sic nobiſcum fit, quando animæ noſtræ tabulam ſerico, argento & auro pingimus atque bonorum operum margaritis ornamus, gloria non nobis cedit, qui inſtar acus concurrimus & non niſi ut inſtrumenta Dei; ſed agenti principali reddenda eſt, ſine quo nemo bonum poterit operari. *Omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quomodò oſtentator ille, qui gloriam ſoli Deo debitam uſurpat, reum ſe non eſſe perſuadeat, *cujus finis latrocinium Divinorum?* Apertè dixit S. P. Auguſtinus, ut quilibet facilè intelligat. *Non gloriabitur ante te omnis caro,* (ait cum Deo locutus) *quoniam ſiquid boni eſt in nobis parvi vel magni,*

B. Simon ibid.

2. Cor. 3.

S. Aug. in ſoliloq. & milleloq.

*donum tuum eſt, & noſtrum non niſi malum. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? hæc non eſt gloria, ſed miſeria. Sed nunquid gloriabitur de bono? nunquid de alieno tuum, Domine, eſt bonum, tua eſt gloria, qui enim de bono tuo ſibi gloriam quærit, & non tibi, hic fur eſt & latro, & ſimilis diabolo, qui furari voluit gloriam tuam.* Sic ut vanæ gloriæ ſectator morali ſenſu non jam homo, ſed potiùs dæmon ſit appellandus.

Fugite (NN.) conſilium meum eſt) fugite exitiale hoc malum. Venenum eſt peſſimum, quia bona opera inficit & abſumit meritum: & hinc Joannes Climacus vanam gloriam aſſimilat formicæ quæ poſtquam granum recondit, filum intus ſubtiliſſimum reperit, in quo virtus germinativa continetur, illudque dentibus evellit. S. Baſilius idipſum confirmat. *Secat dentibus fructus medios, ne rurſus in fruges exeant à terra.*

*S. Baſilius hom. 9. in Exam.*

Ne granum bonorum operum noſtrorum in Divino conſpectu germinet, virtutem vana gloria aufert. Sed, ut exiſtimat Climacus, cùm jam meſſis in horreo eſt, formica granum aſportat, & villico paleam relinquit. In actionibus noſtris bonis duo occurrunt recenſenda, materiale ſcilicet, quod eſt inſtar paleæ & morale meritorium, quod eſt quaſi granum. Inanis gloria formica eſt maledicta; granum, morale meritorium tollit, paleam tibi cedit i.e. materiale. [ Vana gloria formica eſt in area, quæ tenuis eſt & laboribus omnibus ac fructibus inſidiatur. Expectat formica dum perficiatur triticum, cœnodoxia verò, id eſt vana gloria, dum congregantur opes; ſic gaudet illa ut furetur, hæc ut diſſipet.]

*Jo. Climac.*

Sanctus Thomas à Villa Nova ſagittæ eam comparat, *Hæc eſt ſagitta quæ leviter volat, ſed non leviter vulnerat.* Tanto fertur impetu, ut in Martiam vibrata, fœtum in utero occiderit, matre illæsâ. Meritò ergo ſagitta dicatur inanis gloria, quia dum impingit in bona opera, ex quibus naſci ſolent merita, iſta quidem forinſecùs (ut apparet) intacta relinquit, ſed tamen perimit meritum quod alioquin obſtetricante gratiâ peperiſſent.

*S. Thom. à Villa Nova conc. 2. Dom. 1. Quadr.*

Evenit ambitioſis illis quod de Mario refert S. Auguſt. & alii, *Cum plurima feciſſet egregie uni ca ſui jactatione gloriam famæ perdidit, & quia ſibi præſumit adſcribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ commendationis vota demeruit.*

*S. Aug. 12. de Civit. Dei.*

Rupertus Abbas & Arnobius vanam gloriam dicunt tineam inverſam. *Vana gloria eſt tinea inverſa*, aut verò *eſt tinea ſanctitatis.* Quid hoc, tinea ſanctitatis inverſa? Fortaſſis an ei caput, ubi pedes eſſe deberent, & pedes ubi caput? Similitudine percipietis. Initio æſtatis quiſque veſtes graviores, quas hyeme tulit, exuit, plicat & in arca recludit donec hyemale tempus relabatur. Dato quod totâ æſtate incluſæ ſerventur, neque ad aërem exponantur, à tinea rodi & corrumpi contingit, ubi contra ſi vel ſemel proferantur & eventilentur, intactæ eſſent & integræ. Tinea itaque exedit veſtes cum in ciſta ſunt clauſæ, & vana gloria eſt tinea inverſa; ergo conſequenter dicendum, opera noſtra bona, cum occultata ſunt nec ad oculos hominum patent, à tinea vanæ gloriæ libera eſſe; ſecus ſi coram ſint expoſita, ut ab omnibus videri queant: & tam in vitio quàm virtute inanis gloriæ tinea invenitur. [ Quæ quò magis refertam domum virtutibus viderit (ſcribit Maphæus) eò majorem ſpem ibi habitandi concipit, quæ tam in ſordidis quàm in benè cultis veſtibus nocendi viam facilem invenit; quæ ſive crapulandum, ſive jejunandum, ſive loquendum, ſive tacendum, utrobique habet ubi vires ſuas exerceat. ]

*Rup. Abb. Arn. Carnot. tract. de oper. 6. dierum.*

*Maph. de Perſ. Rel. 1.*

Beatus Iſaacus Abbas inanem gloriam æquiparat hederæ, quæ arborem, cui innititur, exſiccat. (Quemadmodum hedera vitem amplexa fructum illius deſtruit, ſic inanis gloria hominis labores evertit.)

*B. Iſaac Abbas ... 16. de gaud. ... ma ſer. ... Deo.*

Bombyx ut ſericum formet, involucrum quærit, & in ſecreto laborat: *Operitur dum operatur.* Etiam vos opera veſtra bona ſepelite, & procul amota ſint ab hominum viſu aut auditu, ut ſoli Deo ex debito gloriam conſecretis (Hujus enim morbi eſt medicina ſalutis recordatio Divinæ bonitatis, per quam, omnia nobis collata ſunt, quæ habere videmur.)

*Halit. ... Epiſt. ... ſupra ...*

Quo etiam modo factum à Joanna Auſtriaca, Duciſſa Tuſciæ: illa enim, ut omnem ſuam gloriam & dignitatem à Duce Sponſo ſuo acceptam oſtenderet & grato animo recoleret, ſcito emblemate expreſſit: Gemma erat radiis ſolaribus expoſita cum lemmate, *Tu ſplendorem, ut decorem.* Carolus Octavus Galliarum Rex dictus pulcher, cum Regina mater formam ejus ſpecioſam extolleret, & ut iſtius ævi pulcherrimum ipſum deprædicaret, modeſtè reſpondit: Imago tua ſum. q. v. d. Pulchritudinem in me mirans, Mater, & laudas? tua illa eſt, & acceptam ſemper referam. S. Antonius Paduanus à Canonicis Lateranenſibus diſcedens ad S. Franciſci Religionem, & dicentem aliquem audiens; (Eas eas, forſitan Sanctus eris,) reſponſum hoc dedit. (Cùm me in Sanctos relatum audieris, profectò Deum laudabis.) Cæleſtis Sponſa audiens hanc

*Scipio Bargal. apud Areſ. l. ...*

*D. Anton. de Pad.*

Sponſi

*Cant. 1.* *Ibid.* *Rup. Abb. lib. 1. in Cant.* *Angelom. in Biblioth. vet. PP. T. 9.* *Luc. 1.* *Beda in c. 1. Luc.* *Ægid. Col. in expoſ. ſalut. Ang.* *D. Tho. à*

Sponſi laudem, *Ecce tu pulchra es dilecta mea* acceptam retulit, & omnem decorem in Dei gratiam refudit, ita ſubdens; *Ecce tu pulcher es dilectus mi.* Neque hoc dicto aliud intendit, quam, ut ait Rupertus: *Vere dicis mihi, Ecce tu pulchra es; & ego dico tibi, Ecce tu pulcher es, quia pulchritudo mea es: quod ego pulchra ſim, totum tibi attribuendum eſt.* Et Angelomus Monachus accedit: (Tu ſolus pulcher es, ego ex te pulchra; & quia intelligit, non ſuis meritis juſtificatam, & pulchritudinem virtutum ab ipſo accepiſſe, ſuccenſa in ejus amore, laudat ejus pulchritudinem.) Ut intellexit Maria Virgo, cognatam Elizabeth merita & ſanctitatem ita deprædicantem. *Benedicta tu inter mulieres & beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino,* illicò ſermonem divertit, & in Dei laudes erupit; *Magnificat anima mea Dominum.* Interpretes ſacri ita hunc locum exponunt: *Nihil ſuis meritis tribuit,* (ſcribit Beda) *ſed totam ſuam magnitudinem ad illius donum refert.* Ægidius Colomna convenit. (Totum interioris animi affectum in agendis gratiarum laudibus offero, totum quod vivo, totum quod ſentio, quod diſcurro, in ejus magnitudine contemplanda, & ejus præceptis obſervandis impendo.) D. Thomas à Villa Nova: *Tu me, Elizabeth cognata, magnificas, ſed ego non magnifico me ipſam, ſed pro his omnibus magnificat anima mea Dominum.* Lyranus: *O Elizabeth, tu me magnificas, ſed ego totum Deo attribuens, ipſum magnifico in hoc carmine.* Et hic Dionyſius Carthuſianus: *Univerſa bona Deo attribuo, ipſum laudo, illum totis viribus magnificenter honoro.* (Et hoc ipſum Apoſtolos docuit Chriſtus ita loquens: *Nolite gaudere, quia dæmonia vobis ſubjiciuntur,* quæ verba ſic explicat Abbas Neſterotius:) Monentur Apoſtoli, ut ex hac parte nihil ſibi beatitudinis aut gloriæ audeant vendicare.

*Villa Nova Conc. 1. de Viſit. B. V. Mariæ. Lyranus.* *D. Dionyſ. Carthuſ.* *Luc. 10.* *Abb. Neſterot. in Bibl. vet. PP. T. 5. p. 2.* *S. Aug. in Pſal. 48. ſer. 4.*

Ecquis erit tam audax & temerarius homo, qui ſibi Dei laudes ut ſuas aſſumat, *cujus finis latrocinium Divinorum?* Veſtris accedet meritis, ſi Deo ſoli gloriam attribuitis; alioquin, ut Auguſtinus monet, *quantam auſus eſt homo gloriam habere inter homines, cum viveret, tantam vetuſtatem & corruptionem ſuppliciorum habebit, cum mortuus fuerit, apud inferos.* Fugite inanem hujus ſeculi gloriam, ut veram aſſequamini in cælis.

---

## DOMINICA SECUNDA
# POST EPIPHANIAM.

## ARGUMENTUM.

In nuptiis plerumque vinum jucunditatis ac lætitiæ deficit, aqua lachrymarum exuberat; ſi enim non ſit uxor bona, marito crux eſt graviſſima; ſi & ipſe malus, mulieri ſarcina fit intolerabilis. Satius ergo & longè melius, cœlibem vivere quam in matrimonio ingemiſcere.

## THEMA.

*Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Deficiente vino, dixit Mater Ieſu ad eum: Fili, vinum non habent. Implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas uſque ad ſummum.* S. Joan. cap. 2.

Qui unumquemque veſtrum (NN.) probè non noſſet, virtutem in vobis maximam crederet, ratus huc omnes motu pietatis conveniſſe ad audiendum Dei verbum, ſed, niſi fallar ego, cui probitas veſtra pridem nota & æſtimata, non vos ſola virtus attraxit, ſed nuptiarum apparatus, ut poſſetis intereſſe ſinguli & convivari.

Fortunæ is favor eſt: Architriclinus ego jam, aut in convivio nuptiali œconomus, cuique liberaliter portionem dabo, ſic ut omnibus ſatisfactum ſit, & nemo conqueratur. Unicum doleo, & diſplicet; aliquem defectum aperire cogor, & niſi Dei Filius ſuppleviſſet in gratiam Matris comiter & jucundè in menſa convivantium nullus fuiſſet. In maximo nuptiarum fervore vinum deficiebat. *Fili, vinum non habent*; aquarum tamen erat magna abundantia in hydriis. *Et impleverunt eas uſque ad ſummum.* Verùm quidem (NN.) ex improviſo ita factum eſt lætitiæ ſymbolum. *Vinum lætificat cor hominis.* Per aquas lachrymæ & luctus figurantur. *Libera me de aquis multis.* Michael a Bononia Carmelita explanat: *Per aquas adverſitas vitæ præſentis figuratur.* Ita ut, cum dictum eſt, defeciſſe vinum in nuptiis & abundaſſe aquas, judicatum ſit, quàm mox pereat in matrimonio gaudium & continuò ſuccedant lachrymæ & labores. (Ibi vinum, id eſt virtus (ſcribit Sanctus Gaudentius) lætitiæ ſpiritualis defecerat, & languebant ſitientium convivarum ora vini lætificantis inopiâ; quoniam vinum lætificat cor hominis.) Argutè conſuluit aliquis: Ut ſtultum hominem punias, uxorem aſſigna, quia maritus, uxor & mœror ſimul invicem comitantur. Mulieri habenti virum unum, corona patientiæ debetur: at ſi mortuo illo, ſecundum acceperit, inſanire putetur & ſibilis excipiatur. *Secundæ nuptiæ ſunt odioſæ.* Certum enim eſt experientia, maritum improbum eum pertinace muliere pacem habere nunquam poſſe.

*Ioan. 2.* — *Pſ. 103.* — *Incognitus in Pſal. 68.* — *S. Gaud. ſerm. 8.* — *De Nupt. §. diſſol. col. 4.*

*Qui repetit thalamos poſt primi funera lecti;*
*Bis petit inſanum naufragus ille fretum.*

*B. Anthol. Græco. l. 1. c. 25. Epig. 1*

Unde Divus Hieronymus ſepulchrum vidiſſe ſe aſſerit, in quo ſepultus erat maritus & uxor, atque huic ſarcophago inſcriptum: *Hoſpes miraculum: hic vir & uxor non litigant.* At verò quomodò jam extincti litigent? Si miraculum, non litigaſſe defunctos, vos ipſi (NN.) perpendite quantam habuiſſe pacem queant, cum adhuc agerent in vivis. Nec ſi hoſti infenſiſſimo malum vellem, hoc illi ſuadeam, ut nubat: ſi enim contingat maritum eſſe perverſum, malam & moroſam conjugem, connubium hujuſmodi crux eſt utique intolerabilis. Mulierem vir cruciat, virum ipſa gehennat, ut hoc diſcurſu oſtendam.

*D. Hier. & Bern. Scard. de moleſt. conjug. l. 4. c. 6.*

Intereà cum nuptiæ celebrantur, etiam nos ſponſalia contrahamus, ſic tamen ut in eis vinum lætitiæ non deſit, neque afflictionum aqua inundet. Ego, qui Religioſus, Parochi officio fungar, vos nuptiis intereſte teſtes & favete; pro ſponſo erit ſilentium, & attentio pro Sponſa.

## PARS PRIMA.

N*Vptiæ factæ ſunt: Deficiente vino: Implete hydrias aqua.* Non jam fert animus (NN.) loqui de matrimonio quatenus eſt Sacramentum, ſed in hac mea dictione abſtraham ab eſſe Sacramentali morali & meritorio, de illo ſolum acturus ut *mera conjunctio maris & feminæ inter perſonas legitimas, individuam vitæ conſuetudinem retinentes.* Quod ſi ſtatum hunc matrimonii cum cælibatu conferamus, longè hoc inferius eſt. *Bonum eſt matrimonium* (ſcribit Ægidius Columna) *ſed melior eſt virginitas: bonum eſt nubere, ſed melius continere & virginitatem ſervare;* atque hoc verum nedum in ſenſu morali, at etiam phyſico. Unde Marcellus Numidius pro Senatu Orator ita dixiſſe fertur. Sciendum eſt, Patres Conſcripti, me diu ſatis & attentè perpendiſſe, quid conſilii darem in ordine ad matrimonium; tandem deliberato animo propoſui illud omninò diſſuadere, ut ſcil. abſtineatis & ſitis ab innumeris anguſtiis liberi. Meandri dictum eſt, & ſeriò monitum:

*2. 2. q. 1. & in Cyril.* — *Ægid. Col. lom. de Sum. Tr. & Fid. Cath. Mart. Aur. L. de præc. Imp.*

*Sine triſtitia habebis vitam ſine nuptiis*
*Ducere uxorem, qui eſt futurus in pœnitentiam*
*vadit:*
*Nuptiæ enim hominibus deſideratum malum.*
*Titi perſuade, ſi duxeris uxorem; ſervus es vitæ.*
*Qui non ducit uxorem homo, non habet mala.*
*Facilem vitam vives, ſi uxorem non nutriveris.*

*Meandr. apud Dn. Naum. Barthol. Aman. Verbo Matrimon.*

Verbo uno, volunt Scriptores illi, Matrimonium eſſe crucem, duram quidem & doloriferam. Nolo tamen ut ſolis iſtis Authoribus prophanis fidem habeatis, audite quid de eo ſcripſerit ad Corinthios Apoſtolus. *Si acceperis uxorem non peccaſti, & ſi nupſerit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi.* Et ſubjungit particulam, quæ non parum intellectu difficilis: *Ego autem parco.* Siſte parumper, Apoſtole, & locutionem explica. Si non peccant, ut apertè jam faſſus es, ut quid parcis? Non datur motivum remiſſionis & indulgentiæ, ubi non eſt materia peccati: Venia enim præſupponit delictum. Ut Paulum dicentem intelligamus, prænotandum, & ut certum, apud Grammaticos *parcere* non ſemper idem eſſe quod *ignoſcere*, ſed non rarò idem quod *abſtinere*, ut ſi dixero. *Parcere pecuniæ, parcere* 

*1. Cor. 7.* — *Calepinus*

ſumptui, parcere lingua, parcere calamo, id eſt ab-
ſtinere ab expendenda pecunia, à ſumptibus, à
lingua, à calamo ſeu ſcriptione: & eo ſenſu cre-
diderim S. Paulum pronuntiaſſe, *Ego autem par-
co*, q. d. Qui matrimonio junguntur, & nuptias
celebrant, tot aliquando obruentur calamitati-
bus, conſumentur mœroribus, ut eloqui non va-
leam; *parco lingua, parco calamo*. Neque enim
lingua unquam ſatis exprimet, nec calamus; qua-
re ſilendum eſt potiùs, ne ſi ſcribere aut dicere
incipiam, viri promiſcuè & mulieres horreant,
& ut quid mortiferum nuptias execrentur, ſic-
que ceſſante matrimonio homines paulatim de-
S. Aug. l. ficerent & periret mundus. *Quaſi timeret Apoſto-
de Virg. lus* (inquit S. Auguſtinus) *ne ſi tribulationes con-
c. 16. jugibus pateſaceret, nullus eſſet, qui ad conjugium
accederet, humanique generis propagatio deficeret.*
Nic. Gorr. Vel etiam ſic poteſt intelligi: *Ego autem parco,
in c. 7. id eſt, conſulo evitare conjugium.*
1. Cor. Difficulter capio dictum hoc Salomonis:
Eccl. 4. *Bona eſt plenitudo pugilli cum requie, ſuper plenitu-
dinem pugillorum duorum cum labore*. Hanc ſen-
tentiam inſtituto noſtro adaptat Olympiodorus
Abbas, cùm de maritatis ſic explicat: *Contemplari
Olympiod. poſſumus hominem fuiſſe olim pugillum, cum vide
Abb. ibim licet Deus pulverem de terra accipiens, ac veluti
Biblioth. pugillo concludens, plaſmavit hominem. Pugillus
vet. PP. etiam fuit mulier; à latere namque Adam coſtam
T. 2. manu Deus apprehendens. Evam plaſmavit. Mu-
lier ergo eſt cælibatus pugillis duobus, hoc eſt, duali-
tate & copula conjugali. Quamvis enim conjugium
damnandum non ſit, cælibatus certe eſt laudabilis
& moleſtiâ carens. Itaque pugillus in ſingulari &
ſeorſim ſumptus* (per quem cælibatum intelligo)
*eſt cum requie; ſed duo pugilli in plurali & conjun-
ctim ſumpti* (per quos matrimonium deſignatur)
*ſunt cum labore*, nec ibi reperitur niſi dolor & an-
guſtia ſpiritûs.

Tertullianus aliquando verba aliqua protu-
lit, quæ non facilè quivis intelligat; argutè ta-
men locutus eſt, nec ſine myſterio. Tam de vi-
ris quam de mulieribus nupturientibus ſermo-
nem faciens, ita dicebat: *Matrimonium poſtules ab
Tertullian. Epiſcopis & Presbyteris & à Diaconis; & ipſi pla-
nè ſic dabunt viros & uxores, quomodo buccellas.*
Rhenanius & Pamelius per buccellas intelligunt
S. Euchariſtiæ Sacramentum, juxta illud: *Cum
Ioann. 13. accepiſſet buccellam, tunc in eum inimicus intra-
vit.* Sed quid matrimonio cum Euchariſtia? For-
taſſis, quia ſicut in Euchariſtiæ Sacramento ani-
ma noſtra Deo conjungitur, ita conjuges a-
1. Cor. 6. nimis & voluntate uniuntur, vel certè quia
*erunt duo in carne una?* Reſponſio bona eſt. Quis D. Tho. in
verò neſciat Euchariſtiam ab Eccleſia per man- Solemn. SS.
na ſuaviſſimum Fidelibus præfigurari? *Manna* Sacr.
*ſuaviſſimum dicitur. Datur manna Patribus.
Vincenti dabo manna:* ſuaviſſimum quidem, ſed
quod reipſa fellis, id eſt Dominicæ Paſſionis a-
maritudine eſt conditum. *Eſt memoriale peren-* Apoc. 2.
*ne Paſſionis Chriſti & Crucis, quandoquidem re-
colitur memoria Paſſionis ejus* Ecce hinc Tertul-
liani locutio explicata: *Et ipſi planè ſic dabunt
viros & uxores, quomodo buccellas.* Matrimo-
nium apparet manna ſuaviſſimum: cum jam nu-
ptiæ celebrantur, dulcis ſymphonia reſonat,
congaudent & congratulantur amici, ecce tunc
manna, & lætitiæ vinum: at elapſis diebus tri-
bus aut quatuor, *deficiente vino*, quando non jam
fluit amplius congratulationis vinum, lachry-
marum aquæ erumpunt, cruces deteguntur,
undique mœror & tædium, ac jam prope gehen-
na, ſicque manna dulciſſimum in fellis amaritu-
dinem commutatur. Cordis hydriam inſpicite &
verè fateamini, *Deficiente vino*. Oculorum hy- Did. Cela-
drias videre, lachrymarum abundantiam exhi- da in Iu-
bebunt (Quapropter Euchariſtia manna ſuaviſ- dith. c. 4.
ſimum dicitur; ſed verè eſt memoriale Paſſionis §. 14.
Dominicæ & cruciatuum Chriſti epitome. Nup-
tiæ igitur æmulantur Crucem & Paſſionem: ſed
quæ acerbior Crux, quam non bona uxor, cui
maritus cogitur adhærere, vel potius crucifigi?)

Conformiter ad prætacta Septimius vocat Septim. l.
*nuptias matrimonii pomum*. Forſitan intelligi de prud.
voluit de pomis terræ Pentapolis, quæ (ut in c. 16.
præcedenti Diſcurſu tetegimus) nonniſi corti- S. Auguſt.
ce valent, & ſi vel manu leviter premas, fumum l. 21. de
exhalant & in pulveres fatiſcunt. Veroſimilius Civ. Dei
intendiſſe dicamus in pomum à primis parenti- c. 5.
bus in Paradiſo terreſtri decerptum, de quo S.
Scriptura refert: *Erat pulchrum oculis & aſpectu* Gen. 3.
*delectabile*, ſed ſtatim ut guſtarunt, innumeris ca-
lamitatibus obruebantur. *Multiplicabo* (ait Deus) Ibid.
*ærumnas tuas: in dolore paries filios tuos; In labo-
ribus comedes: in ſudore veſceris pane tuo.* Atque
ex hoc pomo, non ſecus ac Pandoræ urna, omne
malum noſtrum & extrema infelicitas emana-
vit. (Sicut Paradiſiacum pomum origo fuit ca- Didac. Ce-
lamitatum, ſic pulchrum nuptiarum pomum lada ubi
cauſa eſt ærumnarum, quibus obnoxia ſunt con- ſupra.
nubia.)

Legiſſe memini in Artemidoro ſomniorum
interprete, explicationem ſomni admirandam.
Somniat quiſpiam ſe crucifigi, præſagium eſt
nuptiarum brevi. *Nuptiæ ſunt futuræ*: Ut ſic for-

tè oſtenderet, nunquam poſſe meliùs quàm cruce ſtatum conjugalem & nuptias exprimi. (Viro celebri in ſomnis crucifigi, nuptias deſignat, & in ipſo quoque conjugio ſua crux eſt aſportanda conjugatis.)

*Artem. l.2. c.28 de interpr. ſomniorum.*

*Blondus de Roman. triump. l.1.*

Priſcorum Romanorum ævo cùm adoleſcentula deſponſabatur & comitante ſponſo per plateam ibat, pueri nuces ad caput jaciebant. Unde Catullus: *Sparge nuces puer.* Ad quid projicere nuces, & cur non potiùs flores, ut conjugum ætas florida demonſtretur? aut amygdala, quibus fœcunditas prognoſticetur? Non eſt fructus (NN.) qui magis ad vivum repræſentet connubia quam nux: unam aperite, & in ea ligneam membranam reperietis inſtar crucis, ut vel inde ſciamus, in matrimonio crucem haberi eſſeque acerbam valde. Non ſpargebant cruces, quæ probroſæ tunc erant, ne maritatis opprobrio verterentur, ſed nuces objiciebant, quia vix etiam nomine, niſi litterula à crucibus differunt. Quidam, cum adhuc eſſet liber credere non potuit, at poſtquam expertus, fateri ultrò compellebatur.

*Ut patiar potior, memini me dicere nuper.*
*Iam potior, ſed non deſino multa pati.*

Theodorus Antiquus Philoſophus nuptias ſenectuti comparabat; fortaſſis quia ſicut inter ætates hominis ea miſerrima eſt, ita inter omnes ſtatus, matrimonialis ærumnoſiſſimus. Ideò non, ſed putem ob hanc potiùs cauſam, quia juvenis quilibet ad ſenectutem aſpirat, ſed cum jam factus ſenex, diſplicet & ad primam ætatem regredi deſiderat. Nihil admittit moræ juventus, ſitque impatiens, & conatur omnibus viribus accelerare nuptiarum tempus, ſed cum habet intentum, & vinculo matrimonii alligatur, diſſolvi iterum vellet, & ad priſtinum redire ſtatum, in eoque perdita potiri felicitate ac libertate, malletque tunc nondum guſtaſſe, ubi tam citò deficit vinum, & jam aquis tribulationum obruitur. [Similes res ſunt ſenectus & nuptiæ, (dicit Theodorus) utrumque conſequi deſideramus; poſtquam verò nacti fuerimus, triſtiamur.) Ariſtenetus ſimiliter ſcribit: (Speratæ nuptiæ dulces, gratæ, optandæ; ubi potitus es, contemptus venit, ſtudioque magno petitum, ſtatim abjicitur neglectumque habetur.)

*Theod. Philoſophus.*

*Ariſtenet. l.1. Ep.21.*

An non videritis aliquando (petit Socrates) piſces in aqua natitantes? Eſca illis intra naſſam objicitur, ideò gyrant & viam omnem tentant ut ingredi valeant; ſed vix ſunt ingreſſi, anguntur ut exeant, ſintque ex illo carcere liberi. Qui cælebs eſt & à matrimonio liber, retia ambit, quibus intricetur, & conjugii velut cancellis obſeretur. Sed quid? vix aſſecutus eſt intentum, meditatur ſtatum priſtinum & quaquâ poſſit viâ, reſilire conatur: ſed fruſtrà jam tentet & ſerò nimis, quia hoc decretum eſt manetque immutabile, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Socrates loquitur: (Quemadmodum piſces, ô adoleſcentuli, qui nondum intra naſſas ſunt, volunt intrare; qui autem jam intus ſunt, volunt exire; ſic & vos, ne vobis idem accidat, videte quid faciatis; hoc enim hominibus evenire ſolet multoties propter imperfectionem mulierum.)

*Matth. [...] Socrates a[p]ud Di[...] verbo Ma[...] trimon. Hippona[...]*

Dicere ſolebat Hipponates Philoſophus, maritum & uxorem duos tantum ſortiri dies lætitiæ, quorum primus eſt nuptiarum, ſecundus exequiarum, cùm conjugum alteruter domo effertur ad ſepulchrum. *Bini ſunt cum uxore jucundiſſimi dies, alter quo ducitur, alter quo mortua effertur.*

Et Philetas, cuidam ſciſcitanti, quid faciendum, ut jucundè viveret, reſpondit: Vita ad libitum fluet, eriſque ſine tædio, *ſi non acceperis uxorem.* Tantumdem etiam mulieri interroganti dixiſſet: Quieta eris, & ad placitum ſuccedent omnia, *ſi non habueris virum:* Quaſi exiſtimaret ille, non poſſe majus excogitari tormentum quam alligatum eſſe virum uxori, aut illam viro peſſimo.

*Philetas Philoſ.*

Obſervatum eſt quatuor in terra ſtatus recenſeri, cælibatum ſcil. virginitatem, viduitatem & matrimonium, quorum in cœlo tres primos quidem reperio, at non quartum. Unde in Sanctorum laudibus, quas communiter litanias vocamus, invocantur cælibes: *Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, Monachi & Eremitæ.* Virgines, & etiam Viduæ, *Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ.* At cur non ſimiliter conjuges nominantur, *Omnes Sancti conjuges?* Reſponſum in promptu eſt; quia ſtatus ille quartus in cælo non invenitur. Quod ſi non creditis, Apocalypſim revolvite, ubi relatum eſt, à Beatorum gloria laborem omnem & dolorem excludi, ibique ſolum dari quod recreet, delectet. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum.* Ut nihil in Paradiſum introeat, fatigationi aut luctui obnoxium, Deus ipſe, quaſi non id aliis confidat, Sanctis ingreſſuris occurrit, ut propriis manibus oculos purget & detergat lachrymas, atque ideò ſubdit: *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor.* Hoc eſt,

*In Litan.*

*Apoc. 21.*

*Blaſ. Vega in Apoc. 21.*

omnia

omnia iſta jam tranſierunt, nec in illa felici beataque civitate locum habent. Et hæc ratio, cur reliqui tres ſtatus in cælo perſeverent, Virgines ſervent Virginitatem, Viduæ retineant Viduitatem, & cælibes ſuum Cælibatum; quia ſcil. ſtatum felicitatis & lætitiæ compatiuntur At verò ſtatus conjugalis ibi incompatibilis eſt, & in hoc à ſtatibus reliquis differt, quod ſolum ad mortem durat; quaſi illis in articulo mortis Deus ita dicat: Sanctè vixiſtis hactenus, conjuges; ſi tamen ad cæli gaudia jam aſpiratis, mundo relinquite conjugii miſerias; ibi enim matrimonium non admittitur, cum plenum curarum ſit & calamitatum. Non invenitur ergo in ſuperna beatorum patria ſtatus ille, utpote in quo lætitiæ vinum deficit, & undique lachrymarum aquæ erumpunt, nec in eo reperire eſt, niſi dolores & duras cruces.

Si matrimonium cum ſtatibus prædictis collatum ſit, de eo aptè dicatur quod de Saule olim impugnante Philiſtæos: *Totum pondus belli verſum eſt in Saul.* (1. Reg. 31.) Et hoc verum, ſi *comparativè* intelligas, non *abſolutè.* Explico ergo: Philiſtæi bellabant adverſus Iſraelitas omnes, ſed tam multi Saulem impetebant & inſultabant, ut videri vix poſſet, Philiſtæos aliquos pugnare contra reliquos Iſraelitas. Non dubitem quin etiam Virgines & Viduæ & Cælibes ſuas habeant cruces in hoc mundo; quiſque enim ſuos patitur manes, ſi tamen comparativè loquendum ſit, & intuitu matrimonii, verè & meritiſſimò aſſeratur, in eo ſolo plures tribulationes reperiri, quàm in reliquis ſimul ſtatibus aggregatis. *Totum pondus tribulationum verſum eſt in matrimonium.* Audiamus à S. Baſilio. (S. Baſil. Epiſt. 1.) *Conjugium mancipatum curarum agmen excipit in orbitate deſiderium prolis, uxoris cuſtodia, domeſtica procuratio, ſervilium officiorum conſtitutio, digladiationes cum vicinis, forenſes concertationes, negotiationis alea: unaquaque dies ſuam adfert animæ caliginem.* Continua eſt conjugatorum inquietudo, ita eſt; ſi enim proles non habeant, quàm illos deſiderium cruciat! ſi habeant, ſemper in timore verſantur, ne forte infortunium ipſis eveniat; ſi uxor ſtupida ſit & ruſtica moribus, crudele tormentum: ſi formoſa eſt, zelotypia gehennare non ceſſat: ſi maritus junior eſt, mille ſuſpicionibus illa torquetur, nec ad momentum unum ſine ſollicitudine eſt. Sapienter à quodam reſponſum eſt ſciſcitanti, quâ ætate uxorem duceret? nondum juvenili, inquit, ſed ſenili nunquam.

Dixi, & repeto: Uxor crux eſt viro acerbiſſima, & plurimæ rationes id ſuadent, ſed ne prolixitate vos gravem, paucas in medium proferam. Ingenioſus aliquis breviter tangit.

*Qui capit uxorem, litem capit atque dolorem.*
Aut melius ——— *Capit abſque quiete laborem.*

Inquirit S. Anaſtaſius quare in Lege veteri viro permiſſum habere non unam, ſed duas, tres etiam plures uxores, non verò in Lege Evangelicâ, imò expreſsè prohibitum, *Vunius uxoris vir, & Vnius Vir uxor.* (Ad Tit. 1. 1. Tim. 3.) Maritum unum plures habere uxores ſimul eodem tempore, vel bonum eſt, vel malum: ſi bonum; ut quid lex Chriſti vetat? ſi malum; cur lege Moſaicâ permiſſum? Quæ eſt iſta partialitas? Reſolutio facilè occurret, ſi modò diſcrimen inter utramque Legem, quis obſervet. Lex Moſaica rigoris erat, difficilia, gravia, intolerabilia præcipiens; verbo dictum, ferrea, de qua conqueſti ſunt: *Neque nos, neque patres noſtri portare potuimus.* (Actor. 15.) Lex Chriſti levis valdè & dulcis. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* (Matth. 2.) Nil grave continet, nil acerbum. Unde piiſſimus Redemptor noſter prævidens, quanta foret viro anxietas, quanta cura, pluribus alligari uxoribus, Lege novâ prohibuit, q.d. Non opus eſt habere cruces plures, unica talis ſufficit quæ noctes dieſque adhæreat, angat, coquat. Verba adfero S. Athanaſii. *Quod ſi quæris, quamobrem antiqui duas aut tres habuerint uxores; diſce diligenter, quod magna tunc eſſet diaboli tyrannis, quàm Chriſtus ad nos profectus abolevit multis dæmonibus ex medo elimina tis.* (S. Athanaſ. q. 97. in Script.)

Et verè Auditores ſi uxor unica, quam habuit Adam, fuerit tot miſeriarum origo, quid fore creditis, ſi plures habuiſſet? Væ mundo. *Quid futurum cùm* (ut citati Sancti verba aſſumam) *ſi ab initio uni homini feciſſet duas uxores?* Ad calculos revocate, qui nôrit, & videat, ad quantum miſeriarum acervum attinget, atque tunc facilè cum Cheremone concludet: *Sepelire uxorem, quàm ducere, melius eſt.* (Cheremon.)

Adnotavit Rupertus Abbas Deum ſæpiùs Abrahamo apparuiſſe & viſitare dignatum eſſe, vivente adhuc Sarâ, ſed nunquam poſt mortem Saræ. *Notandum quod Deus ulterius Abrahæ apparuiſſe non legitur.* (Rup. Abb. l. 6. in Gen. ſect. 35.) Si tamen apparuit Sarâ ſuperſtite, ut quid non etiam eâ defunctâ? an fortè Abraham Divinâ conſolatione non ampliùs eguit? ah! tam graves ei curæ metuſque naſcebantur ex ipſa uxore, ut niſi ſæpiùs ei adfuiſſet Deus, vitam diutiùs conſervare non potuiſſet.

Erat tamen Sara matrona ſancta & timens Deum, atque viri ſui amantiſſima; ſed eâ jam è vivis ſublatâ, ſopitæ erant curæ, neque in anxietatibus verſabatur, ita ut Divinâ ulterius præſentiâ confortari non eſſet opus, ſicut non requiritur medicina cùm ceſſet morbus; neque neceſſarium eſt ſubſidium, cùm jam non amplius urget periculum. (Ego quidem exiſtimo Abrahamum uxore ſuperſtite, eguiſſe tot Dei viſitationibus, ne occumberet matrimonii mole oppreſſus. Frequenter eget viſitari à Deo, qui frequenter uxoris, etiam probæ moleſtiis agitatur: nam vacante periculo, vacat adjutorium. Hic jubet formare argumentum & à fortiori concludere: Si Sara tam bona & mariti ſui tam amans; tam ſollicitè obſequens, Abrahæ tamen adhuc moleſta fuerit & gravis; perpendite vos & inferte, quàm acerba crux ſit mulier, quanta moles, ſi improba illa ſit, perverſa, viroque odioſa.

*Celeda in Iudith. c. 4. §. 14.*

Deus obviam factus diabolo, ſciſcitabatur ex eo, an non Jobum noſſet fidum ſuum amicum, virum bonum & rectum. *Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quod ſit non ei ſimilis?* Cui dæmon, Optimè novi (inquit) quem ita laudas. Verum quidem fateor, bonus eſt, nec miror; ſupplicio quippè maximo dignum cenſerem, ſi non talis eſſet, quem omnibus naturæ donis ornaſti. *Vallaſti eum, & ſubſtantiam ejus per circuitum.* Authoritate veſtrâ liceat, more meo ſemel tractabo, & videbis quomodò ſtatim mutabitur, tibique contradicet, perdetque reſpectum, odium in corde concipiet, facie ſolum & exteriùs benevolus erit. *In facie tantum benedixerit tibi.* Conſentit Deus ſinitque, ut inhumaniter Jobum excipiat. Armatur ergo dæmon & quidquid crudele excogitat, in eo Prophetam exercet. Igne furit, ſegetes, horrea plena & poſſeſſiones abſumit. Quod ut illi nunciatum eſt, patientiæ clypeo communitus non frangitur neque animum deſpondet, ſed ex corde conſtanter pronunciat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit Nomen Domini benedictum.* Damnum fit in armentis, cum Sabæos & Caldæos inſtigat ut furto adducant. Ad hæc omnia ſtat imperterritus, ut miratus ſit dæmon, nec tamen deſtitit: ventum validiſſimum excitat & maximo impetu domum ejus evertit, & eâ ruinâ oppreſſæ proles miſerè interierunt cum omnibus qui aderant, excepto famulo, qui ſolus evaſit, ut Jobo tanti infortunii nuncium ferret: ſed neque iſtâ tempeſtate ſubmerſus eſt vir Dei, quia arreptâ patientiæ tabulâ, & anchorâ ſpei firmatus generosè perfregit.

*Iob. 2.*

Hic Origenes Patientis ærumnas attentiùs expendit, & miſertus indagat, quandoquidem jam dæmon abſtulerat divitias, armenta & proles, quare non etiam morte ſublata ſit uxor, ſed manſerit ſuperſtes & incolumnis? Reſponderet hic aliquis, Jobum intellectâ uxoris morte dicturum fuiſſe: Benedictus ſit Deus, qui inter tot adverſa, ſaltem hoc ſolatium dedit, quòd uxorem unà mori permiſerit. Diabolus volens, ut hoc etiam levamine privaretur, in vivis eam conſervavit illæſam.

Crediderim larvæ infernalis hoc ſtratagema fuiſſe, quo Jobum aggrederetur, Mulierem interire non eſt paſſus, quia illâ uti intendebat tamquam inſtrumento ultimo & fortiſſimo ad extremos inſultus; & cùm jam prætactis mediis non potuiſſet, uxore prævalere & dejicere diſponebat; illâ enim ejus patientiam frangere & animam perdere, omnino confidebat; quod gladiatores faciunt; ictum ſemper reſervant, quo hoſtem proſternant. *Ex omnibus bonis ſola mulier reſervatur* (ait S. Auguſtinus) *non in ſolatium mariti, ſed in miniſterium diaboli.* Hinc mulier dæmonis inſtinctu virum aggreditur vultu irâ accenſo, ſanguinolentis oculis, pallentibus labiis, ore livido, & venenatis verbis; ſic, puto, lamentata eſt: En hîc maritus meus, peccata tua ſunt, quæ Deus nunc punit. O me miſeram, quæ mariti mei culpâ divitias & filios perdidi! Maledictus ille dies ſit, quo te primùm cognovi, lingua mea faucibus adhæſiſſet potiùs aut excidiſſet cùm rogata, maritum te volui & verbis conſenſi, meliùs jam mihi foret. Malitia tua fulmen eſt, quo percuſſa ſum & pereo. Neſcio cur non in caput involem, & manibus his occidam. Quàm me jam delicta tua gravant, in odio ſum apud omnes, & vulgi ludibrium. Vide an hæc veſtis ſtatui meo conveniens, an non dedecorans ſit. Pudet me in conſpectum hominum prodire; digito monſtrant & exſibilant, & quod longè peſſimum eſt, vix panis mihi ſupereſt, quo veſcar. Si non fœtor lepræ tuæ appropinquare vetaret, hiſce digitis oculos eruerem; ecquando tandem te mors abripiet, ne diutiùs præ oculis habere cogar? quando crepabis ſordide, putide, ſcabioſe? apagene, nauſeæ moleſtiam diutius ſuſtineam. Mors te invadat, ſicque ærumnarum tum finis, cùm felicitatem viduitas & deſiderata reſtituet. Non eſt quod à me ſubſidium ſperes, etſi in extremo vitæ periculo verſareris, & unicâ aquæ guttulâ ſervare te poſſim, non eam darem, niſi mihi conſtaret vene-

*S. Aug... pud ... Gal. f... Paſch...*

venenum eſſe, quod per viſcera ſparſum occideret.

Credite (NN.) nunquam Job in majori fuit periculo, ut caderet, patientiam amitteret & animam, quàm dum eum invaſit mulier, & inſolenter (ut audiſtis) invecta eſt. Diabolus ergo uxorem non occidit, quia uti illâ voluit, ut ultimum faceret inſultum. *Ideo* (loquitur Origenes) *ſolam uxorem nequiſſimus diabolus ſupereſſe voluit, ut hac noviſſimâ uteretur pro Iob ſeductione atque animæ ejus ſubverſione. Diabolus hanc conſervavit ut miniſtram ſuæ iniquitatis, ut hanc haberet pro noviſſimo Iob laqueo, & poſtquam per omnem rem deſperaret, tunc per uxorem juſtum perderet.* O quàm mala fuit Job, quàm acerba crux mulier! ut bene carmine id expreſſum ſit à Poeta.

*Origin. in Iob lib. 2. c. 1.*

*Divitias Iobo, ſobolemque ipſamque ſalutem*
*Abſtulit (hoc Domino non prohibente) Sathan.*
*Omnibus ablatus miſero, tamen una ſuperſtes,*
*Quæ magis afflictum redderet, uxor erat.*

*Io. And. l. 3. Epigram. n. 199.*

Et certè ſi me diabolus ad malum hoſti meo inimiciſſimo optandum inſtiget, patibulum non imprecabor aut ſubitam mortem, ſed (quod longè peſſimum eſt] uxorem moroſam: nec enim putem majorem poſſe maledictionem excogitari. Hinc in Meandro legitur.

*Nuptiæ enim honoribus deſideratum malum.*

*Meander.*

Qui uxorem ducit, naufragio ſe exponit, & mille periculis, dicit Heſiodus:

*Si quis ſemel duxerit uxorem, rurſus ſecunda cubilia ſequitur.*
*Naufragus navigat bis profundum difficile.*
*Non eſt ducens uxorem, qui non tempeſtatibus agitetur.*

*Heſiod. apud Dom. Nanum.*

Joannes in Apocalypſi vidiſſe ſcribit in cœlo mulierem utero gravidam, ante quam erat ſæviſſimus draco, ut partum devoraret, ſi tamen maſculum peperiſſet. *Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, & cum peperiſſet, filium ejus devoraret,* ſi maſculum produxiſſet. Quid ſi feminam peperiſſet? vivere permiſiſſet, ut per ipſam exerceretur & torqueretur ille, qui illam matrimonio acciperet.

*Apoc. 12.*

Valebat multum ingenio ad fingendum ille, qui, cum in mari eſſet, exortâ tempeſtate, ſic ut navis jam periclitaretur, monentibus nautis exonerandam eſſe navim, projiciendumque in mare à ſingulis quod peſſimum ſecum habebant, ille, inquam, uxorem arripuit & in aquas abjecit, affirmans ſe nihil in hoc mundo pejus eſſe expertum. Ut proinde verificetur reſponſum Diogenis, cùm videret aliquem exultantem præ gaudio quod aſſumpſiſſet uxorem: (Audi amice (inquit) parvum ſolatium & magnam ſollicitudinem es lucratus.) Me tui miſeret. q. d. Uxorem jam habes parvum certè levamen reperiſti, ſed maximam crucem.

*Laert. Diogen. de vita & moribus Philoſ.*

Narratur in patria longinqua hoc factum, ubi homines ſimplices erant valdè: Audiebant è ſuggeſtu Religioſum dicentem verba iſta Salvatoris: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Singuli ponderoſam ſibi fabricabant crucem & humeris imponebant; unus è reliquis loco crucis, uxorem bajulabat, & ſciſcitantibus aliis quid hoc prætenderet? intellexi, ait, iis crucem humeris ferendam, qui Deo cupiunt famulari: in hoc mundo crucem ego nec graviorem, nec acerbiorem ſuſtinui, quàm ſit hæc mea uxor, quam humeris porto; ut benè aſſertum ſit: *Nihil eſt in inclyta terra, muliere gravius.*

*Matth. 16. Ribadineira l. 3. c. 18. hiſt. trium General.*

*Philippid.*

L. Silanus gener Claudii non ita ægrè tuliſſet uxorem ſibi auferri, darique eam Neroni, ſi, quid ſit mulier, penitùs inſpexiſſet.

*Tacitus l. 12.*

Dicite (NN) quid eſt crux? Ligna duo in tranſverſum poſita. Neque id mulieri etiam deeſt, quò minus crux eſſe cenſeatur. Fœmina quædam ad flumen ibat ut hauriret aquam, & caſu ceſpitans in flumen cadit, ſubmergitur & à fluctibus abducitur. Maritus, ut infortunium intellexit, accurrit, & uxorem quæſivit adverſo flumine. Petentibus quid ita faceret, mulierem quæro, reſpondit, quam aqua rapidè currens propulſavit: at quomodo? non ſic invenies; eundum enim eſt ſecundo flumine, non adverſo, ut facis. Sciatis velim: Uxor mea virtutem hanc inter cæteras habuit; tranſverſaria erat; & omnia contrariè faciebat: ſi jubebam, ut ignem accenderet, aquam quærebat; ſi monebam, ut menſam ſterneret, aliud in domo perficiebat; ſic ut mihi perſuadeam eam nunc mortuam adhuc contrariari & contra fluctus aſcendere; adeoque ab actionibus in tranſverſum fieri ſolitis crux mariti potuit vocari. Verſibus id eleganter exponit Poeta:

*Hieron. Arcon. pag. 389. vol. 1. Ger. de Vxore minus bona.*

*Quidam maritus conjugum audiens ſuam.*
*In amne vicino periſſe, protinùs,*
*Erumpit adverſique currit fluminis*
*Ripâ, queat ſi eam fluentem cernere.*
*Cur non ſecundo currat amnis gurgite,*
*Rogatus; inquit: Viva conjux omnia*
*Præpoſterè fecit: reor quod mortua*
*Faciat idem; nec deſluat, ſed refluat.*

Doluit Cato quod Hortenſio amico obnixè petenti Martiam uxorem, precibus coactus ſit annuere, & quod peſſimum ac viliſſimum domi habebat, illi concedere, licet nil illa fœmineum præter vocem haberet. Et dixit id Sapiens ille Philoſophus, non quod non ſit aliquid æſtimabile in fœmina, ſed quòd marito nihil minori ſit pretio quàm mulier, ut potius ipſa familiæ paupertas ſit reputanda. Subtiliter alluſit Ovenus ad vocem *Vxſor*, formando anagramma, ut eſſet *Orcus*.

*Epigr. l. 2. n. 53.*

*Quiſquis in uxorem cecidit, deſcendit in orcum*
*Rite inverſa ſonat* Uxſor *&* Orcus *idem.*

Sed poſtea in favorem mulierum acutè retorſit:

*Idem.*

*In muliere ut in orco: in Orco eſt Belzebub; ergo*
*Infernus ſi ſit fœmina, vir Sathan eſt.*

*Cambro. Britan. l. 2. Epi. n. 53. Iuſt. l. 26. Idem. l. 1. Lucan. l. 1.*

Nec mihi jam dicat matrimonii aliquis fautor, non pauca à mulieribus commoda eſſe, cum non ſemel contigerit earum interventu & affinitate bella ſopiri, rebelliones ſedari; Regna integra conſervari & firmari. Rex Cyrenenſium Cum fratre Ptolomæo pacem obtinere non potuit, niſi cum promiſſa eſt in matrimonium Nepoti Berenice filia. Darius ad ſtatus ſui aſſecurationem nupſit filiæ Regis Cyri. Tarquinius Romanorum Rex amicitiam cum Latinis inivit, filiam ſuam dando uxorem Octavio Mamilio. Nil refert, nec propterea aliter ſentiam; ſiquidem plerumque etiam factum, ubi affinitas contracta fuit, multæ conſequenter rixæ & diſſenſiones ſubortæ, dicente D. Hieronymo: *Qui non litigat, calebs eſt*, quaſi rixæ matrimonio conjunctæ ſint, ut accidens inſeparabile; quandoquidem de muliere aſſertum hoc probetur experientiâ: *Aſſiduis jurgiis & quotidianâ garrulitate facit perſtrepere domum.*

*S. Hieronym contra Iov. l. 1. c. 15. Idem ubi ſupra.*

Mirum eſt, inquit Sanctus ille Pater: antequam pretio tibi equum compares, diligentiùs inſpicis & obſervas an non fortè habeat occultos defectus. Si famulum velis aut mancipium, priùs inquiris, nec ante in domum admittis, utrum fidelis ſit, neque facilè conduxeris ſine fidejuſſore; quod ſi poſtmodum nondum arridet, dimittere liberum tibi eſt, & ſecundum experiri. Quid amplius? ſi veſtem emis, aut aliud pro te domeſtica, priùs de bonitate ſecurus fieri deſideras, & ſi non ita eſſe poſteà comperis, liberè remittis, ut aliundè requiras: & clauſis (ut ita dicam) oculis ſine diſcuſſione aut ullo probitatis examine accipis uxorem, quâ cum, velis nolis, vivendum tibi ſit & moriendum? ſi diſſolutam jam videas & abſque timore Domini, quid facies? ſi moroſa eſt, & in converſatione difficilis, quid remedii? domum reduces? an uxorem repudiabis? Minima illa ſunt, Pater, nec hodie attendenda, præcipuum hoc eſt, quod inquiritur & ſufficit, ſi probis & nobilibus oriunda parentibus, ſi pulchra ſit aſpectu, & ante omnia ſi optimam habeat dotem: quæ hoc ævo talis reperitur, cuivis apta videtur & placet. *Nulla eſt uxoris electoris electior*, (Scribit S. Hieronym.) *ſed qualiſcumque obvenerit, habenda; ſi iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida, quodcumque vitii eſt, poſt nuptias diſcimus. Equus, bos, canis, & viliſſima mancipia; veſtes quoque & lebetes, ſed le ligneum probantur prius & ſic emuntur: ſola uxor non oſtenditur, ne ante diſpliceat, quàm ducatur.*

*S. Hieronym contra Iov. l. 1. c. 28.*

Quapropter Deus volens, ut Adam Evam caperet uxorem: *Adduxit eam ad Adam*; ut inde diſceremus (ait Oleaſter) quod obſervandum eſt ante matrimonium. *Debet Vir videre uxorem, an placeat: ex cujus defectu multa, ut videmus, oriuntur mala.*

*Gen. 1. Oleaſter.*

O Deus! quanta eſt illa gratia, quam à Tua Majeſtate indignus ego accepi! confundor modo neque exprimere valeo quantum pro ea obligor: etſi humiliter in terra proſtratus à tua laude deinceps nunquam ceſſem, ne vel in minimo ſatisfeciſſe potero, tantum debere me fateor. Ex nihilo me creaſti, ad agnitionem veræ fidei attraxiſti, à malis imminentibus præſervaſti, & in ſancto tuo ſervitio & gratia conſervare dignatus es; quid amplius benefacere poteras? Beneficia tua in me innumera ſunt & magna, ſed hoc longè maximum confiteor, & gratiam ſingularem ad Religioſum me ſtatum eſſe vocatum, & ſic liberatum à tam mala cruce. Semper in me vivet tam ingentis & multiplicis beneficii memoria. Si nuptus jam eſſem, & in uxorem perfidam & moleſtam incidiſſem, quomodo eam æquanimiter ferrem, ſat moleſtiæ experior in me meiſque cupiditatibus regendis,

&

& frænandis: certè animæ meæ damnatio fuiſſet. At cum me nunc cælibem meditor, à naufragio ereptum lætor. Si tamen dixit Apoſtolus ſe parcere calamo, parcam & ego linguæ, & alteram Diſcurſus mei partem diſpono.

## PARS SECUNDA.

SI plangat Africa, non ridet Italia. Quiſquis alium exercet, neque ipſe perturbationibus vacat. Marito crux eſt uxor, ut audiſtis, ſed & maritus uxori, Hiſpanis in proverbio, ſtatim ut nupta eſt mulier: *Hoi caſada, y mannana canſada.* Hodie maritata, cras ingrata & faſtidita.

Quando puella deſponſatur, maritari eam communiter dicemus. Quid propriè deſignat *maritare?* id eſt, *mari dare*, ut idem ſit maritari filiam, ac mari dari.

Calepin.

Si Latinè explicemus filiam maritari, his verbis efferimus, *Mulier nubit viro.* Quare non vir, ſed mulier propriè nubit? Rationem hanc ſubeſſe autumo, quia verbum hoc *nubo*, *nubis* affine eſt nubi. Ita S. Ambroſ. *A nubibus verbum nubentium traductum arbitro.* Sicut enim è nubibus decidit pluvia, ita ex oculis nubentis puellæ lachrymarum imber ob intolerabiles moleſtias quas à marito tolerat. Ingenuè dicam ut ſentio, ſi Deo ita diſponente fœminei ſexûs fuiſſem, potiùs ad duriſſimam ſervitutem me ultro ferrem, & viliſſima quæque ſubirem, quam ad nubendum viro inducerer.

D. Ambroſ.

Sapienter egit Camilla, quæ petentibus cur vidua maneret, ita reſpondit: Maritum perdidi optimum; ſi denuò alium acciperem; etiam bonus ille foret aut malus; ſi bonus, ſemper anxia viverem, verita ne amittterem, & ſi contigeret eum præmori, quid niſi dolor inde maximus mihi reſtaret? ſi autem malus, continuum mihi tormentum eſſet; ſic ut non jam ſtatus magis arrideat, quàm ille, in quo ſum conſtituta. Nubant aliæ, ſi quæ volent.

Chriſto. Fonſeca c. 1. de mirac nupt. in Cana Gal.

Martia filia Catonis minor vidua ſimiliter manſit; & rogata cur à morte mariti nollet iterum nubere: *Quoniam, inquit, non invenio virum qui me magis velit, quàm me.*

D. Hier. ubi ſupra.

Dido Pygmalionis ſoror effoſſis clam pretioſis theſauris navim conſcendit, & in eam Africæ partem, quæ Zengitana appellata eſt, delata, urbem ibi condere cœpit, quam Carthaginem nominavit. Deinde Jarbas Getuliæ Rex, pulchritudine ejus & amore captus, nuptias ambivit. Illa, ut cœptum opus promoveret, placere ſibi propoſitionem ſimulavit; ſed differre conſenſum, uſque dum perfecta eſſet fabrica, quã in mariti ſui Sichæi extincti memoriam erigebat. Tandem hoc illi reſponſum dedit, *Se malle ardere, quàm nubere.* Nuncieris id Regi, me gratias illi referre pro oblato affectu, ſed quantum ad matrimonium, velle potiùs vivam comburi, quam prioris lecti jura ſecundis nuptiis polluere.

Ibid.

Quam ob cauſam (NN.) exiſtimaris matrimonium denominari potiùs à matre quàm à patre? Notum omnibus eſt: *A nobiliori debent res denominari.* Cùm ergò maritus ſit uxore nobilior, & pater matre dignior, dicendum videtur patrimonium potius quàm matrimonium, Reſpondetur quod mater *majora ſuſtinet onera: eſt enim ante partum oneroſa, in partu doloroſa, poſt partum laborioſa.* Cura matri aſſidua eſt pro liberis, & vexatio maxima à marito.

*L. Quaritur ff de ſtat. hon b. quod in dubiis de ſent. & re-ind.*

*Cap. ex lit. de convert. in fide & not. gl. in d. §. 1.*

Si viri ſunt tam difficiles & moleſti uxoribus nil mirum; quia dum eas procantur, faciunt, quod venatores vulpium ſolent. Interrogentur iſti, cur ſe ita fatigent in capiendo hoc animali, quandoquidem caro ejus non ſit eſculenta. Vulpem (inquient) non quærimus, ſi non pro habenda pelle. Sic vobiſcum agitur, mulieres, proci veſtras perſonas non ambiunt, ſed ſolam pellem, dotem, inquam, venantur, & quia ſeparatam hanc obtinere non poſſunt, unà mulierem capiunt, pro ſola dote, contra præceptum Lycurgi, qui *ſuis civibus lege latâ providerat, ut matrimoniis ſanciendis uxores eligerent, non pecuniam.*

*Lycurgus apud Bernardin. Card. de moleſt. conjug l. 4. c. 6.*

Ideò cum jam maritus dotem malè expendit vendendo aut luſu delapidando, mulierem in oculis ferre non poteſt, monilia ejus diſtrahit, veſtes oppignorat, & quidquid pretio habet æſtimabile, abſumit. Quod ſi miſera uxor verbulum loquatur, manuum pugnis excipitur: & ubi triumphavit ille dotis paratis nummis, exultare coguntur uxores baculis. Quapropter à Lycurgo prudenter decretum eſt in bonum mulierum, *ut non pecuniæ cauſa eligerentur.*

Verè infelices iſtæ ſunt & commiſeratione dignæ mulieres, quibus tales contigunt mariti: numquam quiete fruuntur, niſi ante ſit vir morte ſublatus. S. Lucas Evang. de Anna Prophetiſſa filia Phanuelis loquens, vixiſſe refert ſeptem annis cum marito, & anno ſeptimo liberatam à matrimonio, *Et erat Anna Prophetiſſa de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis & vixerat cum viro ſuo ſeptem annis.* Anno ſeptimo liberata eſt à matrimonio per mariti obitum. Liberationem eam factam eſſe anno ſe-

*Luc. 2.*

ptimo, myſterio non vacat, quia ſeptimus ille eſt annus quietis : & ideò legitur in Geneſi, quod Deus *requievit die ſeptimo* q. v. d. Spiritus S. Annam nihil de quiete ſciviſſe & animi relaxatione, niſi anno ſeptimo cùm defunctus eſſet maritus ejus, & ipſa vidua. (Pulchrè anno ſeptimo (dicit S. Amphilochius) à viro ſoluta eſt; tunc enim cœpit vitæ ſuæ quies & conſolatio.) Cùm è vivis vir migrat, conſequenter crux ab humeris ejus tollitur, quam ſeptem annis continuò portavit.

Scitis (NN.) quod matrimonium uſque ad mortem perſeveret, & non ultrà. Si tamen matrimonii nodus poſt mortem adhuc ligaret; ſuppoſito (quod Deus avertat) quod duo conjugati ad infernum deſcendant, maximus ille eſſet miſeræ fœminæ cruciatus, maritum videre; imò non tam ipſam torqueret infernus quàm viri moroſus conſpectus. Curioſè ſatis à Sadducæis quæſitum eſt, ubi ſic Chriſtum interrogant: Mulier ſit (ajunt) quæ ſeptem habuerit ſucceſſive viros, poſtea moritur etiam illa; doctrina tua eſt in carne propria homines reſurrecturos, reſuſcitetur itaque illa cum ſeptem ſuis viris; quemnam ex illis habebit maritum? Non omnes ſimul poteſt habere, juxta legem, intelligendo Evangelicam veſtram, *Unius uxoris vir.* Quem

*1. Tim. 3.* ergo accipiet? non primùm : quia non eſt major ratio de uno quàm de alio : cur enim major eſſet de primo quàm de ſecundo, aut de ſecundo quam de tertio &c? Ut ergò nobis perſuaſum ſit, & vis, ut credamus carnis Reſurrectionem, prius nodum hunc diſſolve. Reſpondit eis Salvator : *In*

*Th. Argent. l. 4. diſt. 38. q. 1. a. 4. concl. 2.*

*Reſurrectione non nubent, neque nubentur, ſedebunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Bonæ mulieres non alligabuntur amplius viris, ſed velut Angeli tum erunt, quia *poſt mortem viri, uxor non manet illi viro matrimonialiter obligata.* Sed difficultas nondum exhauſta eſt : & intelleximus quidem de mulieribus bonis reſponſum, & benè : reſtat dubium de mulieribus malis, an non per conſequens de illis credendum, quod erunt ſicut dæmones in inferno, id eſt ſicut dæmones non nubunt neque nubuntur, ita nec mulieres damnatæ? omninò ſic conſequenter dicendum; ſed tamen Chriſtus expreſsè non determinat, quia ſi mulier una jam damnata audiviſſet, quòd non amplius in mali viri manus inciderit, hoc ei ſolatium foret, & ſecum diceret. Saltem in hoc tormentorum abyſſo alleviat, quod à gravi cruce ſum libera, cum à malo viro: quia tamen locus iſte excludit omne ſolamen, noluit illis cœleſtis Præceptor futurum hoc indicare. Audiatur hic Janſenius: [Quæſierunt Saducæi de reſurrectione mortuorum : dum tamen Dominus in judicio docet Juſtos non inituros matrimonia, quia erunt ſimiles Angelis in cælo; intelligendum ſimiliter relinquit, nec impios matrimonia contracturos, quia ſicut illi erunt ſimiles Angelis Dei in cœlo, ita hi ſimiles dæmonibus in inferno.) Ideò Chriſtus id præterivit ſilentio, ne damnatis mulieribus accederet refrigerium, dum crucem illam in inferno ſublatam recogitarent.

*In Matt. 22.*

Ne tamen hæc dictio mea inutilis ſit, verbulo ad mores reducam, ut obſervetis. Matrimonium dixi eſſe utrimque crucem, ſed ut ea levis ſit, & vos ferendo, facite quod Plutarch. monet: *Maritus ſurdus fiat, & mulier cæca.* Explico, & tibi, marite, jam loquor. Non attendas quidquid dixerit uxor, imò ſubindè, quaſi non audieris, diſſimules: quod ſi verba ſingula prolata diſcutias, numquam ſatisfeceris. Tuum eſt, mulier, connivere, nec ſingula viri facta indagare; quia ſi eum ſemper obſerves, & quò vadat, & cui loquatur, & quò ſe vertat, fortaſſis ſemel facientem videbis, quod non libenter, & hinc rixæ & jurgia. Cæca ſis igitur, nec minutiſſima quæque reſpicias atque ita pacificè vivetis, quaſi in paradiſo terreſtri ſitis, Matrimonium vobis crux erit ſuaviſſima, unde haurietis vinum jucunditatis, non aquas tribulationum amariſſimas.

Si fortaſſe diſpliceat Plutarchi jam datum monitum, quod obſervatu difficilius videatur, alterum ſubdo non minus utile & ſecurum.

*Uxorem Vir amet, Marito pareat Uxor;*
*Conjugis illa ſua cor; caput ille ſua.*

*Io. Andr. Cambr. ubi ſupra.*

Maritus ſyncerè uxorem ut cor ſuum diligat, & illa fideliter marito ut capiti obtemperet. Locum ſuperaddo ex Sacra Scriptura & ita finiam. Moyſes deſcribens modum quo Deus creavit mulierem, ait: *Tulit unam de coſtis ejus, & ædificavit coſtam in mulierem.* Multæ dari hic poſſint explicationes ad inſtitutum noſtrum ut eſt illa; ſcilicet mulierem è coſta viri formatam eſſe, *quia ſemper debet eſſe ad viri latus,* (ſcribit Oleaſter) *tamquam ſocia.* Noluit eam Deus formare de terra, ex qua Adam plaſmaverat, ſed ex parte hominis. (Noverat ſapientiſſimus Artifex amabile bonum unicuique proprium; ideo ex propria carne adjutorium fecit, ut veluti quid ſuum diligeret.]

*Gen. 2. Oleaſter. Ib. Idem in adnot. ad erud.*

poſſet

—— *poſſe alumnam*
*Pulvere de ſimili Princeps formare puellam:*
*Sed quo plenus amor toto de corde veniret,*
*Noſcere in uxorem voluit ſua membra maritũ.*

Diaconet. in Hexam. in Biblioth. vet. PP. T. 6.

Ut alia ponderatione digna omittam, hoc unum hic perpendam, quare Moyſes de formatione Evæ loquens, uſus ſit verbo *ædificavit*? Dicere potuiſſet *fecit, formavit, creavit*, ut cum de viro egit. Reſponderi poſſit, metaphoricam eſſe locutionem, & merito uſus eſt termino *ædificavit*, quia quantum ſumptus impenditur pro ædificando palatio, tantum pro veſtienda & ornanda ſponſa quando jam nuptura eſt. Veroſimilius ego arbitror, Moyſem hinc inferre voluiſſe, quòd, ſicut ædificatur palatium, ut inhabitetur ab hominibus, ita mulier eſſe debeat ædificium in quo morentur cogitationes, affectus & corda maritorum, ſitque illis ibi fixum domicilium. (Mulierem vocavit ædificium, ſignificans per hunc terminum ac loquendi modum, quod in muliere, quam Deus homini dedit, ei domum amoris ædificabat, in qua ſemper habitare deberet.)

Phil. Dict. p. 1. Verbo Matrim.

Hoc ſatis (NN.) at unicum proteſtor, non velle me contrariari iis, qui Matrimonium inter pios & timoratos conjuges tuentur eſſe non acerbam crucem, ſed cæleſtium benedictionum epilogum, nec animus eſt iis, quæ fusè jam dixi, cenſoriam Junilii animadverſionem evertere aut reprehendere ſcribentem: (Si benedictione creſcit, & multiplicatur genus humanum, quantâ maledictione digni, qui prohibent nubere? non ergo damnandæ ſunt nuptiæ, quas gratia benedictionis Dei inſtituit.) Hoc interim liberè pronuncio beatiſſimam illam eſſe matronam (ſed raram valde) cui cœlo favente datus eſt maritus bonus. *Mulieris felicitas eſt, ſi diligatur à marito.*

Iunilius.

Finio cum Euripide.

*Non omnes infortunati ſunt in nuptiis.* Euripid.
*Aut fortunati. Calamitoſus eſt autem qui inciderit*
*In malam mulierem: felix qui in bonam.*

Gratias itaque refero & habeo maximas, quòd nuptias præſentiâ honoraſtis, nec reor alicui occaſionem dediſſe conquerendi, dum omnibus ſervire & ſatisfacere conatus ſum. Verum quidem eſt, acceperunt alii dulcia, alii amara: nihil tamen ampliùs reſtat, quod dicam aut diſtribuam, nuptiæ factæ ſunt, & jam hîc finis. Ite in pace.

---

## DOMINICA TERTIA.

# POST EPIPHANIAM.

### ARGUMENTUM.

Dei in homines beneficentia expenditur; & quidem Divinæ largitatis dona adeò præ magnitudine miranda ſunt, ut vel ipſi qui experiuntur, ferè non credant: ſed ipſa fides quodammodò nutat, & datis cœleſtibus humana capacitas non ſolum repletur, ſed onuſta fatigatur. Prodigalitatem in Deo eſſe cenſeant, ſi modò ſine defectu habere aliqua poſſit.

### THEMA.

*Cùm deſcendiſſet IESUS de monte; ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare, & extendens IESUS manum, dixit: Volo: mundare.* S. Matthæus cap. 8.

LEge Divinâ & humanâ ſancitum, ut tam ſit Princeps in accipiendis muneribus parcus, quàm in elargiendis liberalis, ne alioquin tyrannidis cenſuram incurrat. Hoc obſervatum eſt ab Ægyptiorum Rege Ptolomæo, cùm ita dixit: *Ditare potiùs, quam ditari, Principi* conve-

Nicol.

*Reusn. claſſ. 1. ſym. 16. de Ptolomæo. Ethic. 9. Eccl. 4.*

*convenientius eſt.* Et Ariſtoteles docet in Ethicis: *Virtuti magis proprium eſt beneficium dare, quàm accipere.* Rectores ſapientes monuit Eccleſiaſticus: *Non ſit porrecta manus tua ad recipiendum, & dandum collecta* Politicum hoc multi ſuadent, ſed pauci ſunt, qui opere adimpleant. Artaxerxes tenax nimiùm ſic tacitè reprehenſus eſt ab eo qui ſententiam hanc dedit: debere nimirùm Principem eſſe ſiniſtrâ contractâ, ne dona recipiat, & dextrâ ſemper apertâ ut liberaliter diſtribuat. Agregentius Gilla erat ſemper occupatus in eroganda potiùs quàm in contrahenda pecunia, adeò ut domus ejus quaſi quædam munificentiæ officina crederetur. Expediti ſunt nomine Bearnenſium legati in Cataloniam, ut Guilielmo Moncada unum ex filiis ejus peterent, quem ſuum conſtituerent Regem: annuit ipſe, & legatos in cubiculum introduxit, in quo uterque filius dormiebat, quorum unus manus clauſas, alter nomine Gaſton apertas habebat, & hunc elegerunt, conjectura proſpicientes liberalem, quòd apertis eum viderent eſſe manibus. Munificentiſſimus erat Titus adeò, ut Imperatorem ſe eſſe non crederet, cùm tranſibat dies quo nemini beneficium contuliſſet: *Hodie imperator non fui.* Unde generoſiſſimus Alexander bonis in militaria ſtipendia diſtributis, hoc ſolum retinuit, eratque contentus, quod ſperaret nova acquirere, ſecutus conſilium Xenophontis: *neceſſe eſt, qui multa poſſidet, eum facere etiam multum ſumptum, & erga amicos, & erga hoſpites.* Petrus Portugallenſis erubeſcebat, ſi quando diem ſine beneficentia tranſigebat, cenſebat *enim indignum regio nomine Principem videri, quo die nemini beneficium contuliſſet.*

*D. Anton. p. 1. lib. 4. c. 1. §. 16.*

*Areſius ſect. 59. n. 4*

*Dionyſ. Carthuſ. de regim. Princip. lib. 1. c. 31.*

*Xenoph. in Cyr. lib. 8.*

*Areſius.*

Præceperat Deus in libro Numerorum, ut, cùm eligendus eſſet qui regnaret in Iſrael, à duodecim tribubus deferrentur in Sanctuarium totidem virgæ, & aſſumeretur ille, cujus virga germinâſſet, & fructus dediſſet, *Quem ex eis elegero, germinabit virga ejus.* Tantumdem de electione Aaronis legitur. *Invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Inferre hinc voluit, ſuperiorem eum habendum, qui beneficiorum flores producit, gratiarum fructus diſtribuit, & tamen à terra ſubditorum munerum humorem non attrahit, nec admittit. (Fructus dat paſtoralis virga, dum nihil ſucci recipit à terra: nunquam enim pulchriùs floret paſtoralis virga, quam dum non in recipiendo, ſed in dando eminet.)

*Num. 17.*

*Did. Ponf.*

Cœlo gratias debemus, genu flexo referendas, quia Principem habemus, qui nedum verbis liberalitatem hodie oſtendit in leproſo Evangelico, cùm ait: *Volo, mundare,* ſed facto comprobavit. *Et extendens manum, tetigit eum & ſanata eſt lepra ejus.* Adeſt Victor Antiochenus. (Verbo prolato morbum mox fugat, adeò quod verbo leproſus dixerat, hoc ille opere ipſo verum eſſe demonſtrat.)

Ut ergò Divinæ prodigalitatis exceſſum in gratiarum largitione proponam, benevoli jam eſte & attenti.

## PARS PRIMA.

ET *extendens manum dixit: Volo, mundare.* Prodigalitatem eſſe defectum notabilem, nemo dubitet; nam ſicut liberalitas eſt virtus, quia conſiſtit in medio; ita prodigalitas eſt vitium, quia extremum eſt ab avaritia condiſtinctum, & *Omnia extrema ſunt vitioſa.* Unde hoc poſteris reliquit monitum Pythagoras:

*D. T… 1. 2. … 4. 1. …*

*Ne ſumptus temerè & importunè feceris.*
*Sed neque illiberalis eſto: Modus in omni re optimus.*

*Pyth… Sam…*

Quomodò ergò prodigalitas Deo attribui poſſit, & de eo prædicari, ſi ne vel umbra imperfectionis reperiri in eo poſſit? per hoc dicere intendo, liberalitatem Dei tam eſſe magnam, ut liberalitatis metam excedere videatur, & prodigalitati proximè accedere, eò uſque, ut, ſi prodigalitas eſſet ſine defectu, Deum potiùs dicerem prodigum, quàm liberalem. Neque jam ſim primus ego, qui titulum adſcribam; ſiquidem Guerricus Abbas liberè exclamat: *O Deum, ſi fas eſt dicere, prodigum ſui!* Ad Sacram Scripturam tranſeo.

Archangelus Gabriel Virgini incarnationem Verbi annuntians, addixit eſſe eam filium parituram, qui regnaret in domo Jacob. *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Sed quænam virtus in Patriarcha hoc tanta, ut velit Dei Filius in ſtirpe ejus principatum? (Cur non dicitur regnaturus in domo Abrahæ aut in domo Iſaac, cùm etiam his ſit Chriſtus promiſſus, ſed in domo Jacob?) Liceat mihi è cathedra ceu tribunali de vita & moribus trium illorum Patriarcharum inquirere & litem formare, vos ſitis judices, & ſententiam ferte.

*Luc. 1. Fr. T… c. Luc… not. …*

Compertum eſt, Abraham duos habuiſſe filios, unum ex Agar nomine Iſmaëlem, & alterum ex Sara, qui vocatus eſt Iſaac. Huic Abraham ſe liberalem exhibuit, cùm bonorum omnium

nium constituit hæredem, alteri verò tam ſe pro-
bavit avarum, ut cum matre puerum dimiſerit,
nil dando niſi fruſtum panis & aquæ ſcyphum.
*Gen. 21.* *Surrexit itaque Abraham mane & tollens panem
& utrem aquæ impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque
puerum, & dimiſit eam.* Iſaac filios habuit etiam
duos. Jacob ſcilicet & Eſau; cum jam autem
morti proximus eſſet, erga Jacob liberalitatem
oſtendit, omnia illi bona ſua relinquendo. *Det
*Gen. 27.* tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abun-
dantiam frumenti, vini & olei.* Sed alteri filio
tam ſe avarus & reſtrictus, ut ad ſummam pau-
pertatem & mendicitatem redigeretur. *Frumen-
to, vino & oleo ſtabilivi eum: & tibi poſthac, fili
mi, ultra quid faciam?*

At Jacob alium ſe filiis præſtitit, cùm mori-
bundus, ad ſe filios omnes, qui duodecim erant
accerſivit, & cuilibet ſine ulla exceptione datâ
benedictione, hæreditatem paternam æquè &
liberaliſſimè diviſit. *Benedixit ſingulis, benedictio-
nibus propriis.* Quia igitur Abraham in dando te-
nax & Iſaac in benedicendo reſtrictus, ideò *non
regnabit in domo Abraham, non in domo Iſaac, ſed
in domo Iacob in æternum,* eò quòd beneficus eſſe
vellet, & apertis ſemper manibus ad largiendum
omnibus affluenter. *Et extendens manum, dixit:
Volo, mundare.* Id ni fallor, oculo prophetico
prævideràt Cithariſta Regius, ubi cantat: *Aperis
manum tuam & imples omne animal benedictione.*
*Titelm. in Pſ. 145.* Ad hæc Titelmannus: (Oſtendis tu liberalita-
tem tuam; & donas liberaliter, benignè ac devo-
tè quæ ſunt illis neceſſaria, & reples omnia ani-
malia beneficiis tuis, juxta deſiderium reficis a-
bundanter, & paſcis divites, liberaliterque ſatias
ea, & aperiente te manum tuam, de tua liberali-
tate recipiunt.)

*Apud Philoſoph.* Veritas hæc & conſtat; *Deus & natura nihil
faciunt fruſtra.* Certiſſimum etiam illud: *Omne
agens operatur propter finem.* Idcircò quærunt Phi-
loſophi, quorſum fecerit natura manus, intrà
quidem ad pulſum uſque reſtrictas & media ex
*Ariſtoteles.* parte clauſas, ſed extra apertas & extenſas? quare
non eas ex toto clauſit, aut certè ex toto aperuit?
Ariſtoteles primò reſpondet, ita factum eſſe, *ad
hoc ut homo fortiùs & faciliùs operetur.* Equidem
ſi homo manus habeat totaliter clauſas, difficul-
ter operari ſic poſſit: ſi omninò apertas haberet,
non jam in operando tam foret alacer & expedi-
tus. Optima reſponſio.

Seneca tamen in moralibus aliam adfert ratio-
nem melius ad inſtitutum noſtrum. Sic loquitur.
*Seneca.* (Natura fecit animal liberale ſecundum libera-
litatem, non prodigalitatem.) Per manus opera
deſignantur, & manibus elargimur munera, ad-
eoque ſi foret manus omninò aperta, homo pro-
digus eſſet; ſi penitus clauſa, avarus: ut ergo me-
dia graderetur viâ juxta præceptum Legis, *Me- §. Pen inſt.
dia via eſt eligenda,* eſſetque non tenax nimium, *quib. ex*
ſed liberalis, manus natura dedit media ex parte *cauſ. ma-*
clauſas, & media apertas. *numitt.*

Naſcitur mundo Chriſtus, & videns, quia à *non licet.*
natura parente manus accepiſſet etiam contra- *§. cum ex*
ctas & partim clauſas. Hebræos accerſit, ut defe- *alien. in-*
ctum naturæ ſupplerent. Ferrum hoc ſumite (in- *ſtit. de rer.*
quit,) clavos acuite, & manum parte iſtâ mihi *div.*
aperite, ut ſciat mundus, non mihi ſufficere, quòd
liberalis ſim; ſed velim in largitionibus mune-
rum eſſe prodigus. (Deus, dum in hæc humana *Pinna*
deſcendit, crucis mortem elegit, ſibi etiam manus *Eth. 34. n.*
confodi paſſus eſt, ut nihil omnino intrà manus *3.*
reſervare poſſet, ſed volens nolens, omnia quæ
habet largiretur.) Accedit D. Antonius de Pa-
dua. (Cum Chriſtus in Cruce manum extendit, *D. Ant. de*
& extenſam clavo aperiri voluit, tunc per ipſius *Pad. Dom.*
foramen miſericordiæ theſaurum effundens, om- *12. poſt*
ne animal implevit benedictione.) Et S. Petrus *Tim.*
Damianus exclamat: *O Sancte prodige! quod in-
tegrum in te natura formavit, hoc clavus aperuit.*
Et ecce hodie non ſolum aperit manum, ſed ad *B. Petrus*
leproſum extendit, ut ſanitatem impertiatur: *Et* *Damian.*
*extendens manum, dixit: Volo mundare.*

O quam ſollicitè leproſum hunc curat! Vix
verbo precatus eſt, & ſtatim exaudit clementiſſi-
mus Salvator, benignâ voce reſpondens, *Volo,* at-
que ita [illegible]dilatè ſanatus eſt. *Et confeſtim mundata
eſt ejus lepra.* Ut benè notat Albertus Magnus. *Alb. Mag.*
*Non ſucceſſu temporis, ſed confeſtim mundata eſt.*
Et D. Chryſoſtomus: *Confeſtim multum eſt tar-* *D. Chryſ.*
*dius velocitate, quæ ſecundum opus eſt facta.* Ma-
num diutius continere non potuit, quin ad in-
firmum extenderet, ut gratiam largiendo, Divi-
næ ſuæ liberalitatis effectum oſtenderet. In Can-
ticis Anima introducitur, quæ cum Angelis lo-
quens, petit ut cæleſtem Sponſum conveniant,
& nomine ejus inſtanter obſecrent, ne favorem
hunc neget. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Currite *Cant. 1.*
Beati Spiritus, & meo veſtroque Domino hoc
meum deſiderium nunciate.

At verò mecum hic attendatis, velim, ſe-
quentia verba, *Quia meliora ſunt ubera tua vi-
no.* Quomodo iſta cohæreant poſt: *Quia me-
liora ſunt ubera tua?* benè quidem, ſi dixiſſet,
*ubera illius:* cùm enim jam dixerat, *oris ſui,* de
Sponſo tanquam procul abſente loquebatur;
dicen-

dicendo *ubera*, quaſi præſentem ſponſum alloquitur.

Experientiâ conſtat, vocem cum ſono repercuti in convallibus & locis concameratis, ubi vix prolatâ voce, ultimos accentus reſumit echo & celerrimè aërem perrumpens reſonat. Exprimebat Anima ardentem affectum, cùm Angelus ait: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Sed Deus, ut qui puriſſimi amoris echo *adhuc loquentibus, ecce adeſt*, Sponſæ deſiderio protinùs annuit, ubi ſolùm proponere cœpit, ut coacta fuerit propoſitum interrumpere cum Angelis cœptum, & ſe convertere ad Sponſum, qui cùm pro magnificentia ſuæ liberalitatis vel exiguam moram ferre non poſſet, maturavit dationem ſupplicantis preces antervertendo, ut mirata eruperit, *Quia meliora*
S. Bern. *ſunt ubera tua vino.* Quod ad rem expendit Bernardus: *Adhuc loquentibus illa & illis, venit ipſe, de quo erat ſermo; Dilectus verbis prævenit preces; imo arbitror, quod aliquando nec verba expectet, ſed ſolis cogitationibus advocetur.*

Prodigus ille filius, qui pietatis refuga quò peccaret liberiùs, vivere voluit remotiùs, ipsâ inſaniâ libidinis caſtigatus peribat, indignæ porcorum ſervituti addictus, & tandem fame urgentiſſimâ rabidus delictum agnoſcit, oculos aperit, & ipſis miſeriis ſtimulantibus edoctus involare geſtit ad patrem atque tria meditatur, quibus veniam imploret, *Vadam ad patrem meum & di-*
Luc. 15. *cam ei* Ecquid, obſecro, dices, ad placandum offenſum? Tria adferam: *Pater peccavi in cælum & coram te.* Et ecce hoc primum. *Iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Ecce ſecundum; & tertium addam: *Fac me ſicut unum ex mercenariis tuis*, eaque erit concluſio, quâ convincere parentem conabor, ut gratiam iſtam merear.

Pergit ergò, & cùm jam ad patrem accederet, procidit in genua, ſeque reputans indignum intueri vultum illum, quem temerè ſemel fuerat averſatus, oculis in terram dejectis confeſſionem orditur, & prima duo præmeditata jam proferens, *Pater peccavi in cælum & coram te. Iam non ſum dignus vocari filius tuus*, antequam ad tertium veniret, ut perotaret, convictus eſt pater (figura Dei hic) & incunctanter cùm nondum gratiam petierat. *Fac me ſicut unum ex mercenariis tuis*, præoccupat deſideria, & transgreditur ejus vota. *Cito proferte ſtolam primam & induite illum, & date annulum in manu ejus &c.* Audite quàm benè ad mentem noſtram Ambroſius confirmet his verbis: *Non addit, quod diſpoſuerat ſe dicturum, fac me ſicut unum ex mercenariis tuis; ſed pater occurrens non contentus minora concedere, citius priſtinæ filiorum dignitati reſtituit.*

Pendebat Dominus ligno affixus & inter ſceleſtiſſimos medius: at beatus ille latro dum patienter tulit ſupplicium Paſſionis Dominicæ comes & fideliſſimus teſtis, videns per copioſiſſimos redemptionis fontes, per ruptas Divini corporis cataractas gratiarum rapidiſſimum fluere diluvium, non, quo, ut olim, extingerentur creata; ſed quo exterminarentur prorſus delicta, gratiam & ipſe poſtulare non dubitavit. At quid eum petiviſſe exiſtimatis? fortè ut liberaretur à tormentis, aut ut mortem evaderet? Liberalitate Divinâ illectus non parùm petiit, cùm integrum regnum, *Domine, memento mei, dum veneris in* Luc.
*regnum tuum.* Nimium eſt quod petis, mi Latro, ſi primâ tuâ petitione regnum velis, quid aliis vicibus poſtulabis? qui moderatè petit, ad facilè impetrandum plura, introitum parat: qui totum expoſcit, totum crebrò perdit. Anaxarchus Philoſophus non erubuit petere ab Alexandro centum talenta, & ideo reprehenſione dignum credebant omnes, & ut temerarium ab Alexandro repudiandum. Econtra tamen Rex theſaurario præcepit ut centum ei talenta ſtatim daret, Rege digniſſimum hoc adderis. *Recte fecit, intelligens ſe habere amicum, qui tantum dare poſſit, & velit.* Sed quid eſt quòd Alexandrum confe-ram cum Chriſto, qui rogatus, Regnum integrum dedit? *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Hæc per tranſennam attigiſſe ſufficiat; ad ea, quæ magis ad inſtitutum noſtrum faciunt, propiùs accedamus. Perpendite, obſecro, tempus quo Latro Regnum accepiſſe optavit, ſicut & illud quo Chriſtus ei conceſſit. Rogat Latro, & ait: Satis mihi, ſi tum demum hanc obtinuero gratiam, *Dum veneris in Regnum tuum*, poſt quadraginta dies, cùm in cœlum aſcendes. *Dum veneris.*

Attendite jam, quandonam dederit Paradiſum. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Hodie? Quorſum ea præcipitantia? O mi Latro, prodigalitati meæ injuriam infers, cùm in futurum modò poſtulas. Non patior moras & tarditas diſplicet, adeoque in futurum diem protelare non lubet. Non uſque *dum venero*, ſed *hodie mecum eris in Paradiſo.* Et tua humanitas eſt, & innata modeſtia, ut acquieſcas, ſi modò Paradiſum ingredi detur poſt multos dies, ſed non patitur mea liberalitas, ut vel in craſtinum differam, quod hodie poſſum & promptè & lubenter elargiri. *Adhuc rogabat Dominum Latro* (ſcribit Divus Ambroſius) *ut memi-*

*meminiſſet ſui, dum veniſſet in Regnum tuum, & Dominus antequam veniſſet, jam illi Regnum cœleſte tribuebat. Quam velox eſt Dominus! tardius eſt votum precantis, quàm remunerantis ſit præmium.*

Maturavit beneficium, & vicit petentis votum, cùm non tantum rogare ſit auſus latro, quantum dedit liberalitatis, ut meritò hic dicatur: *Gratia fuit uberior, quàm precatio.* Ita Alexander petenti talentum, dedit civitatem, ipſique renuenti accipere, quod fortunæ ſuæ non conveniret, reſpondiſſe fertur: *Non quæro, quid te accipere deceat, ſed quid me dare.* Deus meritorum noſtrorum vilitatem non reſpicit, ſed magnificentiæ ſuæ excellentiam attendit, ut ſemper deſideria noſtra & preces longè ſuperet Divina munificentia.

*Dionyſ. Carth. de regim. Princip. lib. 3. a. 31.*

Sancta mater Eccleſia, quæ à Spiritu ſancto directa, nunquam fallitur, ut Divinæ miſericordiæ imploret auxilium, orat in hunc modum: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantiâ pietatis tuæ & merita ſupplicium excedis & vota.* Ad quæ ſcribit Burgenſis: [ Deus ex abundantia ſuæ bonitatis, non ſolùm merita ſupplicum excedit, ſed etiam orationum vota. ] Et quomodo? [ Sæpè enim plus dat, quàm ab eo petatur. ] Abraham & Sara ſolicitè deprecabantur pro conſervatione Iſmaëlis. *Vtinam Iſmael vivat coram te!* ſed Deus, quæ ejus infinita bonitas & liberalitas, non ſolùm gratiam deſideratam conceſſit, verum etiam ſecundam addixit, in ſenectute videlicet alium filium habituros. *Sara uxor tua pariet tibi filium.* Adeſt iterum Paulus Burgenſis. [ Abraham non petenti quod daretur ſibi filius de Sara, ſed ſolùm conſervatio Iſmaëlis, dicens: utinam Iſmaël vivat coram te! Deus reſpondit: Sara uxor tua pariet tibi filium. ] Ut verè dicatur: *Merita ſupplicum excedis & vota.*

*In Orat. Dom. 11. poſt Pent.*

*Burgenſ. in ſcrut. ſcript. contra Perf. Ind. c. 1.*

*Gen. 17.*

*Burgenſ. ſupra.*

Quid S. Moniaca tot iteratis ſuſpiriis voluit, & tam arridentibus votis ab Altiſſimo deſideravit? Auguſtini filii ſui converſionem ad Catholicam fidem, nil aliud prætendit, ut ipſamet fatetur: *Quantum ad me attinet, nullâ re jam delector in hac vita; unum erat, propter quod immorari cupiebam, ut te Catholicum Chriſtianum viderem priusquàm morerer.* Deus autem qui *ſupplicum preces excedit & vota*, plus conceſſit ultrò, quàm ipſa cupivit, quia convertitur Auguſtinus, baptizatur, fit Religioſus, deinde Prælatus Eccleſiæ, Apoſtolorum coadjutor, ſtrenuus Catholicæ fidei defenſor, Doctorum Coryphæus, Africæ gloria, & totius univerſi lumen. Audite piiſſimæ matris verba, quibus Dei miſericordiam extollit, & munificentiam deprædicat: *Cumulatiùs hæc mihi Deus præſtitit, ut te etiam, contemptâ felicitate terrenâ, ſervum ejus videam.*

*In Vita S. Monicæ.*

*S. Monica.*

Refrigabatur Zacharias: neque adduci poterat ut crederet Archangelo Gabrieli, cùm in templo eſſet & Divinæ Majeſtati adoleret incenſum, ideoque incredulitatis pœnam tulit factus mutus. *Eris tacens, & non poteris loqui.* Quid tum aliud à cœlo voluit venerabundus Senex, quàm perditam loquelam? Sed *cumulatius ei præſtitit Deus, & preces ſupplicis exceſſit & vota,* cùm non ſolùm reddidit loquentem, ſed inſuper filium dedit, quo ſanctiorem numquam antè tulit mundus. *Non ſolùm ablatā reſtituit, ſed etiam inſperata concedit,* inquit Archiepiſcopus Mediolan.

*Luc. 1.*

*D. Amb. l. 2. in Luc.*

Liberalitatis transgredi limites, eſſeque prodigus diceretur ille, qui longè plus daret, quàm ab eo requiratur; exempli gratiâ, ſi pro habenda unione pretioſiſſimâ mille aureos expenderet, quam tamen facilè pro centum ſibi compararet.

Moritur Lazarus mendicus, & animam ejus relicto corpore comitatur in cœlum Angelorum copioſiſſimus numerus, Deo ſic diſponente. *Factum eſt, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Quorſum tot Angeli? annon ad movendos cælos unicus ſufficit? nunquid ſolus terram invertere facilè queat? cur ergo non ſufficiat, ut animam unam ad cælum conducat? Scio, & cuilibet id notum: *Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & æque benè.* Ut proinde ſummoperè hic miraretur Chryſologus: *Ad portandum unum pauperem, nonne unus Angelus ſufficiebat?* Conſtat tamen, reſpondit ille, fuiſſe multos: *Vt Chorum lætitiæ facerent, gaudet unuſquiſque Angelus tantum onus tangere: libenter talibus oneribus prægravantur, ut ducant homines ad Regna cælorum.*

*Luc. 16.*

*D. Petr. Chryſ.*

Pirillus, ut refert Seneca, humiliter ab Alexandro decem talenta requirens, quinquaginta ſtatim accepit. Miratus eſt Pirillus, & pudore ſuffuſus, ait, egere ſe decem ſolùm talentis. Cui Alexander: *Quamquam tibi* (inquit) *qui ea talenta accepturus es, decem ſint ſatis, mihi à quo donantur, non ſufficiunt.*

*Senec. l. 5. de benefic.*

Non eſt dubium, quin ſufficeret unus Angelus, qui animam Lazari ad cælum aſportaret, aut in Abrahæ ſinum; voluit tamen Deus in Angelorum iſta multitudine prodigalitatem oſtendere, non minùs quàm Alexander in talentorum

adaucto numero. Notavit S. Baſilius, ubi ſic loquitur: *Non ſi pro modo neceſſitatis dationem commenſus fuiſſet, decoris illius gratia adulterata fuiſſet: nec id qui feciſſet, ſatis evidenter Dominus agnoſceretur, quippe qui neceſſitati ſerviiſſet.*

Tam bonus eſt Dominus, ut non modò velit eſſe liberalis, ſed quodammodò prodigus videri. Magdalena lachrymis mixtim & precibus Chriſtum Salvatorem rogabat, ut vel ſemel tantùm extensâ manu reverenter ſacratiſſimum ejus corpus attingeret, aut certè genuflexa cicatrices ſolùm, quas inſtar cæleſtium ſiderum in pedibus coruſcantes intuebatur, oſculari mereretur. Salvator renuit, eamque retrogredi juſſit: *Noli*
*Joan. 20.* *me tangere.* Quomodo, JESU benigniſſime? hic jam totus in tuis ſum laudibus, & munificentiam quam poſſum ferventiſſimè prædico, & perſuadere ſingulis conor eum te eſſe, qui non tantùm exhibet petitum, ſed longè ampliùs adjicis, & antequam deſideratum. Jam verò quid facis? Magdalenam video ferventer & precibus & lachrymis ſupplicantem: ſed tamen repulſam patitur, neque impetrare valet, tametſi exiguus ſit favor, quem petit. Ah! nimirum, & hæc eſt cauſa; quia vile aliquid popoſcit, nec id conſideratione dignum, ideò non obtinuit, ſed paſſa eſt repulſam: *Noli me tangere* q. d. Quam tibi, obſecro, Magdalena, hic in terris præſtitero gratiam, quæ non intuitu prodigalitatis meæ levis ſit momenti & ordinaria? velis quidem, ut complaceam, ad oſcula vulnerum humanitatis meæ te admittendo; pauca & vulgaria nimis ea, quæ petis majora dare lubet, & præſto ſum, Divinitatem meam offero, quâ recreari poſſis: ſed cùm corporis velum adhuc impediat, differo ſolum uſque dum cælo receptus ſim, ibique Divinitate meâ & humanitate frui æternaliter dabo. *Nolo ut ad me corpora-*
*S. Leo ſer.* *liter venias, nec me ſenſu carnis agnoſcas, ad ſubli-*
*2. de Aſc.* *miora te differo, majora tibi præparo; cum ad Pa-*
*S. Aug. tr.* *trem aſcendero, tunc me perfectiùs veriùſque pal-*
321. *pabis, apprehenſura quod non cernis, & creditura quod non tangis.*

Mortuo jam Lazaro, qui frater erat Marthæ & Mariæ Magdalenæ, advenit Salvator in Bethaniam, & inquirit locum ſepulchri quo erat reconditus, ſtatimque voce imperante ad auras
*Joan. 11.* vitales regredi compulit: *Lazare, veni foras,* ita ut novitate tanti miraculi ſtuperent omnes. Muſſitabant interim Hebræi: Quomodò Chriſtus, cùm tam ſit in operibus mirabilis, & ipſe ſit, qui cæco viſum reſtituit, Lazarum mori per-
miſit? *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci na-* *Ibid.*
*ti, facere, ut hic non moreretur?* aut certè curaſſet infirmum priuſquam moreretur. Si verò conſervare eum in vivis noluit, ut quid mortuum plangit? Diſcurſum Hebræorum deſcribit Janſenius: *Si noluit hunc à morte præſervare, cur nunc* *Janſen.*
*lachrymis teſtatur intemperatum amorem? ſi au-* *hunc.*
*tem noluit, quomodo non potuit, quia præſtitit, quod* *cum.*
*eſt difficilius?* Adeſt S. P. Auguſtin. & reſpondet, Chriſtum noluiſſe ſanare Lazarum, eò quòd ordinarium hoc beneficium eſſet & vulgare nimis, ſanitatem reddere, ſed permiſiſſe eum mori, ut inde foret occaſio tantò majorem impertiendi gratiam, quantò majus eſt mortuo reſtituere vitam, quam infirmo perditam ſanitatem. *Potuit* *S. Au-*
*quidem, (id eſt, liberare Lazarum ab infirmitate)* *Chry-*
*ſed noluit: quia plus eſt, mortuum ſuſcitare, quàm,* *pud*
*ne moreretur, facere.* Adſtipulatur S. Joannes *Pon.*
Chryſoſtomus, *Multò mirabilius & majus eſt, in-* *Anti-*
*greſſam & dominantem abigere mortem, quam* *§. 1.*
*ſiſtere venientem.*
394.
Principes ad acceptandum munera prompti *Alb.*
ſunt: & nunquam placebit, quiſquis petiturus *ſer.*
acceſſerit. Antigonus Macedonum Rex (ut ſcribit *poſt*
Seneca) Cynico poſcenti talentum unum, re- *4. Q.*
ſpondit, non convenire iſtiuſmodi ſortis homi- *Senec.*
nem, qualis erat ipſe, tantum exigere, audacter *de ben.*
nimis & indiſcretè. Subdidit Cynicus, grato ani- *c. 17.*
moſè paucum iſtud, quod daturus fuiſſet, acceptùrum. Cui Rex, dedecet, inquit, Regiam Majeſtatem tam paucum elargiri, atque ita petentem eluſit.

Deus noſter decorum hoc, & maximè honorificum reputat, beneficia conferre, favere omnibus & bene velle.

Neſcio an hactenus obſervatum ſit à nobis, quibus verbis utatur S. Mater Eccleſia in Cantico ab Angelis in natali cæleſtis Regis decantato, *Gloria in excelſis* communiter dicto, ubi Reverendi Sacerdotes quotidiè pronunciant: *Gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam.* Incongruè ſic loqui videmur, ne dicam, extra propoſitum, & dicendum Deo potiùs; Gaudemus propter magnam gloriam tuam, gratias verò agimus propter favores nobis præſtitos. An non abſurdè faceret, ſi quis Pontificem alloquens, gratias ei ageret, quia Pontifex eſt? quis dubitat? quinimo reponendum potiùs: Lætor, & ex animo congratulor de tuis honoribus & ſumma dignitate. Unde ſicut gratulatio reſpicit honores adeptos, ita gratiarum actio accepta beneficia. Quomodo ergo intelligendum; *Gratias*

[Eccleſ. in Miſſa.] *agimus tibi, propter magnam gloriam tuam:* Myſterio non vacat, quandoquidem tantumdem ſit gratias agere, propter ejus gloriam, quàm propter impensè nobis collata beneficia: gloriam enim maximam in liberalitate collocat, quia nihil dueit honorificentius, quàm promptè ſemper & alacriter gratias impertiri, ut benè advertit Clemens Alexandrinus: [Clem. Alex. in ſer. l. 6.] *Neque enim Deus quatenùs eſt natura bonus, eâ ratione eſt beatus, ſed propriè beneficiens.*

Videatis ergò (NN.) an non id redundet in Dei gloriam, cùm provocamus & exoramus, ut erga nos liberalitatem exerceat, ac ineffabilem prodigalitatem.

[Baſil Patte ſerm. 1. Dom. Pal. §. 1.] Cyrus Perſarum Rex profligato ſemel hoſti ſpolia multa detraxit, vidit forte miles inter alia optimum, concupivit & à Rege petivit. Cyrus incunctanter & non gravatè conceſſit, cumque jam gratias (ut par erat) referre vellet, tace (inquit Rex) meum eſt rependere, & obligor, quia occaſionem dediſti ut forem hodiè liberalis, adèoque ſolum gratias dico, ſed inſuper debere me, fateor.

Quam ob cauſam, arbitramini (NN.) Filium Dei in acerbiſſimo crucis ligno caput reclinaſſe, & pependiſſe *Inclinato capite* & non ad ſiniſtram [Joan. 19.] quidem verſus pectus, ſed ad dextram? O quàm pium myſterium? Latro Paradiſum humiliter poſtulaverat. *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Dominus ut factis Regium titulum approbaret, confeſtim annuit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Exiſtimabat Salvator magnum recepiſſe beneficium à latrone; & voluiſſet referre gratias, voce non poterat dicere, quia jam ultimum trahebat ſpiritum, non poterat agere manibus, quia affixæ erant cruci, non reſtabat niſi caput liberum, quo gratiarum actionem innueret, atque ideò caput inclinavit verſus latronem, ut ſic, meliori quo poterat modo, gratias exhiberet, quòd per illum, adhuc in extremo illo puncto, liberalitatis exceſſum oſtendere potuiſſet.

[L. 1. c. 18. de regim. princip.] Docet Ægidius Columna prodigalitatem emendari poſſe, non avaritiam. *Prodigalitas eſt curabilis, avaritia non.* Vereficari hoc poſſit in homine; ſed tamen Redemptor noſter, ad ultimum uſque vitæ inſtans prodigalitatem operibus demonſtravit, eamque ut ſibi propriam retinuit, donec mors ſeparatet. Prodigioſa multa, non minus quàm myſterioſa contigerunt in ejus morte: obtenebratus eſt ſol, petræ contritæ, velum templi ſciſſum, monumenta aperta, mortui reſuſcitati, & quod ſignatè notat S. Matthæus: [Matt. 27.] *Terra mota eſt*, in tantum ut Hebræi *viſo terræ motu timuerunt valde.* Terræ motum expendunt Doctores, & varias ejus rationes aſſignant. Aliqui ideò factum eſſe volunt, ut ſic adimpleretur Prophetia Davidis: [Pſal. 17.] *Commenta eſt, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt.* Aliter Janſenius: [In conc. Evang. c. 144.] *Terræ motus* (ait) *ſignificabat orbis innovationem & novum mundi ſtatum ex Chriſti morte proventum.* Theophilactus ex hoc terræ motu, [Apud eundem ibi.] commovendos eſſe peccatores ad compunctionem & deteſtationem peccatorum advertit. *Significabat terrenos homines ex Prædicatione mortis Chriſti commovendos ad pœnitentiam.* Rupertus Abbas opinatur, terram tremuiſſe, non tremore aliquo timoris, ſed timore potiùs reverentiali; quia nempè receptura jam corpus mortuum Salvatoris, purificari priùs voluit, pulveres excutiendo. *Receptura Deum, pulverem de me excutio, ut ſibi paratam domum inveniat.* Accedit D. Hilarius: *Movetur terra, quia capax hujus mortui eſſe non poterat.* Terra maledicta olim fuit propter peccatum hominis: [Gen. 2.] *Maledicta terra in opere tuo.* Tempore Paſſionis re benedicta aſperſione Sanguinis Chriſti, ideò in ſignum lætitiæ non tam tremere viſa eſt, quàm præ gaudio exultare.

Crediderim tamen ego terram contremuiſſe, ut Chriſtus ultimum prodigalitatis poſſe exprimeret: q. d. Ad redemptionem humani generis abundè ſanguinem meum effudi; unicè jam optem videre, an fortaſſis adhuc guttula reſtet: & ſicut ſpongia manu comprimitur ad eliciendam aquam, utinam ſic poſſim manibus hoc meum corpus premere, ut ſtillam adhuc ſanguinis (ſi vel tantillum ſuperſit in corpore) extorqueam, ſed nec id mihi liberum, cùm ligatæ ſint manus. Tremat ergo terra, & mons hic concutiatur, ut una crux hæc, in qua pendeo, collidatur, & ſicut rapidioris venti impetu agitantur arbores, ita, ut fructus dejiciantur, ſic terræ motu corpus hoc allidatur, ut ſi ſanguis adhuc modicus in venis lateat, agitatione iſtâ ceu torculari expreſſus defluat. O quanta eſt, & nimia Domini mei prodigalitas! [ Attendamus autem hoc myſterium. [Aſchar. Mart.] Factus eſt terræ motus magnus, quo terræ motu valdè agitatus eſt mons Calvarius, concuſſa crux, ſimulque concuſſum Chriſti corpus à ſanguine exhauſtum eſt. ]

Et cùm in monte Calvariæ ſum, priuſquàm abſcedam, liceat iterum Dominum meum cru-

cifixum intueri, eúmque pendentem contemplari, dum *Inclinato capite emiſit ſpiritum.* Varii ſunt ſanctorum Patrum conceptus, & ferè tot piæ ſententiæ, ut geſtum hunc moribundi ad vivum delineant. Sæpè contra mortem glorioſè luctatus eſt Chriſtus, & ſemper devicit. Indictus eſt tandem conflictus ultimus in monte Calvariæ: ſed hic mors timore dejecta, duellum abhorret. Vidit ergo trepidantem Salvator, utque animos adderet, manibus accerſere voluiſſet, ſed utraque cruci affixa clavis: neque etiam obviam ire jam poterat, utpotè pedibus ſimiliter impeditis: vox ad clamandum defecerat. Solum caput ei manſerat liberum, ut annueret, & ad certamen invitaret. Caput itaque inclinavit, ut mortem alliceret, & provocaret ad pugnam *Inclinato capite.*

*Io. Bapt. Mar.*

*China la teſta e'l ſuo timore, affida*
*E licenza le de che lei l'uccida.*

*D. Athan. q. 76. ad Antioch.*

Advoco ſanctum Athanaſium, teſtantem his verbis, attendite: *Mors metuens, appropinquare non audebat: ideo Chriſtus inclinato capite vocat eam: antequam enim inclinaſſet, prope accedere verebatur.*

*Hugo de S. Charo ibid.*

Hugo de S Charo ſic interpretatur: Inclinabat caput verſus terram, quaſi ut etiam aures inclinaret ad audiendum, anupereſſet aliquis, qui ante deceſſum ejus ex hoc mundo, favorem exigeret *Vt oſtenderet* (ait illis) *quod porrectas aures habebat & inclinatas ad audiendum preces humilium.*

Aut etiam intelligi poſſit *Capite*, non ut venit à nomine *Caput capitis*, ſed à verbo *Capio capis*, quaſi tacitè ſic invitet: Fructus ego uteri virginalis: en quàm pulcher & ſuavis ex arbore vitæ dependeo, ſed alta nimis. Ecce ramos flecto, caput inclino, venite omnes qui laboratis & eſuritis, capite ad libitum, & decerpite.

*Io. Bapt. Mar.*

*Frutto dulce, è divino*
*Di ventre virginale*
*Pendo da queſta pianta alma, è vitale.*
*Ah ſon troppo alti i rami, è non potete*
*Raccor mi alme felici,*
*Ecco m'inchino,*
*S'a la voſtra gran fame eſca chiedete,*
*Cogliete mi, cogliete.*

*Platina in vita Leonis 9. apud Carthuſ. l. 12. h. 3.*

In Partibus Italiæ inventa eſt à Laurentio Guiſcardo ſtatua ænea, & in circulo capitis hoc inſcriptum: *Kalendis Maii, orto Sole, aureum caput habebo.* Sàracenus quidam artis magicæ peritus, umbram capitis obſervavit, Kalendis Maii ad ortum Solis, & theſaurum reperit.

Chriſtus in ligno crucis pendebat rectè, cùm Sol perpendiculariter ſtabat ſuper caput ejus, quia *Erat hora quaſi ſexta*, ita ut caput inclinans ad partem dextram, fieret etiam umbra ad iſtam partem. Legit Longinus iſtas litteras J. N. R. J. id eſt, *Inquire Nummos, Reperies Intus.* Date, inquit, ferrum, adferte lanceam, conabor hic theſaurum effodere, & lanceâ aperuit ſacratiſſimum Corpus, ea in parte, quà rectè prominebat umbra. *Vnus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.* Inclinat ergo caput, ut actum prodigalitatis exhibeat, volens indicare locum, ubi latet theſaurus, pretium ſcilicet ſanguinis & aquæ, quo Chriſtus ſuos emit. Unde Poëta Italus: *Ioan.*

*Lancia Lancia ſoave*
*Lancia non gia ma chiave,*
*E ſi apprioche cheſoro*
*Teſor' ch'acqua ha d'argento, è ſangue d'oro.*

*Alph. Pallen. de Paſſ. Dom.*

[ Sanguinem, ibi velut in ſecretiori corporis parte reconditum, nobis quoque exhibere volebat: locum illum clavus non perforabat, ſpina non pungebat, & flagellorum ſectio non aperiebat. Lanceæ igitur ictui paratur locus, vocat Chriſtus militem, quaſi dicat, occultum in morte ſanguinis theſaurum nondum invenit impius perſecutor. ] Ut flamma cùm ad interitum vergit, magis ſplendet, ita Redemptor noſter verum lumen vitæ, antequam extingueretur, maximè tunc liberalis apparere voluit inclinando caput, & factâ umbra locum innuendo, in quo divitiæ ejus reconditæ invenirentur.

Non hic omittenda eſt Divi Bernardi pia meditatio, ad verba *Inclinato capite.* Dederat in ultima cœna Salvator corpus & ſanguinem Diſcipulis ſub ſpeciebus panis & vini conſecratum: dederat flagellis membra, ſanguinem in propria ſpecie peccatoribus, corpus patibulo, caput ſpinis, pedeſque clavis, Paradiſum Latroni, Joannem Matri, Matrem Joanni, Spiritum Patri, vitam morti, veſtes militibus, viſum Longino: tandem cùm nihil aliud reſtaret dandum, caput verſus pectus inclinavit: *Inclinato capite.* *Ioan. 19*

*Sol per veder' ſe à d' ar altro gli reſta,*
*China al petto la teſta.*

Exclamat ergo Bernardus: *O quàm munificus factus es, O bone JESU! quàm large omnia qua habuiſti, tradidiſti! Latroni Paradiſum, Filio Matrem, Matri Filium, mortuis vitam, manibus* *S. Bern.*

*nibus Domini animam, toti mundi ſigna potentia tua.*

Magnificè ſe jactabat olim Marcus Lucius, quòd adeò fuiſſet in dando effuſus & liberalis, ut factus egenus, ſolitus eſſet dicere, nil ſibi reſervaſſe *Præter cælum & cœnum*. A fortiori aſſeramus de Chriſto, jure & meritò poſſe eum gloriari de prodigalitate, qui nec cælum retinuit, ſed latroni precanti addixit.

Nemo hic Darii liberalitatem deprædicet, quòd pro oblata veſte maximos proventus refuderit. Scio quidem: Cimon Miltiadis filius in bellis ſpoliatur ab inimicis, reportata militibus omnia diſtribuit, hoc ſolo contentus, quòd haberetur erga milites liberalis. Titus Veſpaſianus nullum ſine muneribus remittebat, imò etiam ſubditos ultrò ad petendum provocabat. Antonius Pius quidquid poſſidebat, militibus elargitus eſt & amicis. Cleopatra Ægypti Regina, Marco Antonio liberalem ſe probabat expendendo in cœnâ unâ ſcutorum ducenta & quinquaginta millia. Nero plus incenſi conſumpſit uno die, quàm fertilis Arabia integro anno produceret: ille idem breviſſimo tempore divitias omnes dilapidavit, quas ei Tiberius reliquit? & (ſi Tacito credimus) centena millia in largitione munerum abſumpſit. Nemo, inquam, de illis jam memoret, quia prodigalitas illorum dicenda erit citius parcimonia: ſi cum liberalitate Dei maxima conferatur.

Siſte, Pater, ut verbo interpellemus. Deum non modò liberalem prædicas, ſed tam eſſe prodigum, ut plura det, quàm deſiderare quis noſtrûm poſſit. Quomodò id credemus, quia contra experimur, eò longè minora præſtare, quàm bene vellemus accipere. Dives ſum (loquitur nobilis) Deo gratias debeo, pro tanta erga me benignitate: ſed complures annos doloribus podagræ intenſiſſimis crucior, lecto affixus dies & noctes urgeor, millies Deum ardentibus votis rogavi, neque tamen potui ſanitatem recuperare. Ego (inquit Artifex) valeo optimè (quæ Dei gratia eſt,) ſed paupertas mea intolerabilis eſt, multâ prole jam gravor, aſſiduò laboro, & victum lucrari neutiquam valeo: Divinæ Majeſtati ſtatum miſerrimum commendo, opem imploro, & tamen ad mendiciſmum cogor, & nunc pauperior, quàm umquam fui. Ego (allegat Dives ille) ingentia à Deo beneficia accepi, Divitiis abundans & plenâ ſum ſanitate: at à tam multo jam tempore non deſino precari, ut filium habeam, neque hactenus potui exorare. Quis ergo de Deo tunc credat, tam eſſe prodigum, ut nedum poſtulata largiatur, ſed etiam deſiderata muneribus vincat? Attendite, ergo, dicam ego, bifariàm reſpondendo.

Primò, Adeſdum nobilis: Deus tibi ſanitatem non impertitur, quia prævidet fore ad animæ tuæ perditionem, & ideò non exoras. Neque tu, qui Artifex es, à Deo petitum obtines: ſcit enim ipſe, quia ſi divitias concederet, iis uſurum te potiùs ad peccandum graviter, quàm ad animæ ſalutem procurandam. Non te exaudit. *Ne in ſuperbiam elatus, prorumperes in illam ſuperbia vocem: Quis es, Domine?* *Oleaſter in c. 11. Gen.* Tibi, Dives, filios non ſuſcitat, ne cùm jam haberes, diſſiparent ſubſtantiam, diſſolutis viverent moribus, & quaſi non eſſet Deus, ſcelus omne patrarent, afflictionem adderent afflicto, & eò miſeriarum tandem redigerent, ut deſperabundus ipſe occumberes. Si ſtultus à te gladium petat, nunquid recuſas, veritus ne abutatur & offendat? Indubitatum eſt. Deus in gratiarum erogatione, utilitatem attendit, non propriam noſtram voluntatem.

Secundò. Quid eſt quo magis Deo diſpliceas, & in quo magis offendere poſſis, quàm quòd non obſtante, quòd peccatis enormibus ſcateas, & quotidie accumules, repentè propitium eum velis & munificum? Verè tetigit Salvianus: *Quantum ab eo beneficiorum accepimus, tantum ei injuriarum repenſamus.* Meritò te ficui comparem, quæ arbor, ut ſcribit Theophilactus, *Quantò magis irrigatur, eò magis ſterilis fit.* Quò largiùs aquam beneficiorum Deus in te effundit, eo magis degeneras, cùm in te culpa redundet. Deus, quantum de ſe eſt, numquam dixerit *Nolo*, ſed promptiſſimè ſemper, *Volo*. Nunquid in Evangelico leproſo oſtenſum? ſanitatem à Chriſto petivit. *Domine, ſi vis, potes me mundare*, non reſpondeat ei Salvator: *Nolo*, ſed, *Volo, Mundare, & confeſtim mundata eſt lepra ejus.*

Deſideratis, ut quoties à Deo gratiam quæritis, infallibiliter reſpondeat *Volo*? quando à vobis petit viciſſim, ne quis dicat *Nolo*. Et ſi hactenus malè, à vobis actum dicendo, *Nolo*, deinceps corrigite, & reponat promptiſſimè quilibet, *Volo*. Experiar modò: unicum hoc peto, an ut pauperum miſeriæ ſuccurratis, eleemoſynam largiri quiſque velit? Vos reſpondete in favorem egenorum & dicite ſinguli, *Volo* Ego ad alteram partem eo.

## PARS SECUNDA.

EX pluribus Evangelii hodierni locis conſpicua fit Divina prodigalitas, ſed ſpecialiter eam indigitat Leproſi ſupplicatio. *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Ubi notetis, velim, hic aperuiſſe ſolùm infirmitatem, nondum requiſiviſſe remedium: non enim dixerat: *Munda me, ſana me, cura me.* Quia tam benignus eſt Chriſtus & liberalis, ut indicaſſe ſufficiat, nec opus ſit poſtulare ſubſidium. Infirmabatur Lazarus, neque ſine mortis periculo, ita ut angerentur ſorores ejus Martha & Maria Magdale-
*Ioann. 11.*
na, atque ſtatim expediverunt litteras ad Chriſtum hujus tenoris: *Ecce quem amas, infirmatur.* Lazarus frater noſter & amicus veſter tam ſingularis malè diſpoſitus eſt, & periculoſo morbo laborat. Quid ita petitis, Filiæ? vultis fortè, ut is, cui tradidiſtis litteras, nomine veſtro roget illum, ut veniat ipſe, & ſanitatem fratri reſtituat? addidiſſetis potius verbo in litteris: *Veni ad ſanandum eum*: gratiam quæritis, & piget eam expoſcere. *O ſanctæ mulieres* (ait Bernardus) *ſi fratrem amatis, cur Dei miſericordiam non efflagitatis?* Noverant illæ, quanta ſit Chriſti prodigalitas, cui ſatis eſt, neceſſitatem proponere, neque addendum aliud, quàm *Ecce quem amas, infirmatur*, & faciat ille pro beneplacito. S. Auguſtinus nobiſcum hic obſervat:
*Tr. 49. in c. 11. Ioan.*
*Non auſæ ſunt dicere: Veni & ſana: non auſæ ſunt dicere: Ibi jube & hic fiet. Amanti enim Chriſto tantummodò nunciandum fuit.* Conſonat etiam
*In cap. 2. Ioann.*
Cajetanus, (Sciunt, non oportere ab amante petere, ſed ſignificare ſufficit neceſſitatem: & præterea non explicitè petunt, Sana eum, ſed ſolum ſignificant ægritudinem.)

Suborta eſt in nuptiis in Cana Galilææ confuſio, quia defecerat vinum. Advertit MARIA miniſtros murmurantes & inquietos, viditque hydrias ſex evacuatas, & turbatos illos maximè, eò quòd neſcirent quid facturi eſſent, ne defectus ille tam notabilis convivis innoteſceret. Ad filium acceſſit, & extensâ dextrâ innuit, voceque ſubmiſsâ in aurem ei dixit: *Fili, vinum*
*Ioann. 2.*
*non habent*, atque ita ſtatim ſubticuit. Quomodò, benigniſſima Mater? vides, in anguſtiis verſari, & non commiſereſcis? Filio ſuggere, ut miraculum patret, ut vinum habeatur in nuptiis, & ſic vitetur confuſio. Acquieſcite vos (ait glo-
*De mut. aq. in vin. c. 25.*
rioſa Virgo,) neceſſitatem inſinuavi, & ſatis eſt. Adeſt Ludolph. Carthuſ. (Solùm inſinuat defectum nihil petens, ſciens quòd amanti ſufficit, ſolùm inſinuare neceſſitatem abſque ulla petitione. Unde non dicit: Da eis vinum ſed in liberalitate Filii & miſericordia ſpem ponens tantùm defectum proponit.) Confirmat Ægi-
*In ſolil. Angel.*
dius Columna (Dum iteratò in Cana Galilææ Filium affatur pro vino, ut confuſionem nubentium præveniret, rogatura, non ut Mater Filio imperavit, non importunas preces porrexit, ſed voluit humilis ancilla, rogare non audens, tantum defectum inſinuare, dicens: Vinum non habent.)

Et hoc obſervandum eſt: ſanato jam leproſo, ſtatim rogatus eſt Chriſtus, ut ſervum febri ardentiſſimâ oppreſſum liberet: ipſeque incunctanter condeſcendit, & abſque ulteriori petitione gratiam indulſit. *Et ſanatus eſt puer in illa*
*Matt. 8.*
*hora.* Hoc ipſo indicans, ſe nunquam in conferendis beneficiis defatigari, & ſtatim ac uni benefecit, obligari diceremus, ita feſtinat ut denuò faveat alteri. Huc voco S. Fulgentium: *Suâ largitate dignatus eſt facere debitorem, non quia indigens ab alio acceperit, ſed quia abundans largiter tribuit.* Subdo verba Pelagii Pontificis:
*Pelag. 1. ad Epiſ. Ital. t. 2. Concil.*
(Divina beneficia gradibus ſemper aſcendunt, & quibus bona conferuntur, meliora pollicentur: ſemper enim incrementis ad culmen aſcenditur, ubi ſupremus favor præſtat exordium.)

Populo Iſraelitico maximum hoc à Deo beneficium. Pluit manna de cælo, eoque paſcebantur omnes, eâ tamen lege, ut *colligat unuſquiſ-*
*Exod. 16.*
*que ex eo quantum ſufficit ad veſcendum, & nullus relinquat ex eo in mane.* O quanta eſt hæc Dei
*Oleaſt. ibi.*
parſimonia! *Quantum ſufficit.* Juſſiſſet potiùs: *Colligite quantum vobis placet.* Reſpondet Oleaſter: (Non eſt parcus Dominus: ſed quia novit, quæ mala abundantia pariat, voluit nos ad menſuram ſuis uti bonis: neque tamen ad menſuram panem de cælo deſcendere fecit, ſed in maxima copia? voluit tamen ex copia nos ſolùm, quæ neceſſaria ſunt, ſumere, ut diſcamus etiam in rerum affluentia ſervare modeſtiam & parcitatem.) Sed major adhuc difficultas manet, cur ſcilicet præceperit Deus ſub pœna indignationis incurrendæ, ne quis aſſervaret manna in ſequentem diem. An non prudentiæ eſt, in futurum cuſtodire, quod pro præſenti ſuperfluum? & tamen quiſquis præceptum iſtud tranſgrediebatur, poſtero manè corruptum inveniebat manna corroſum & converſum in vermes. Adeſt iterum Oleaſter & cum Fulgentio reſpondet: Moyſes optimè noverat Dei genium, adeoque credebat firmiter, Deum, qui populum cibaverat hâc die

cæleſti

cæleſti mannâ, craſtinâ nil minus facturum. (Maxima eſt hominis erga Deum diffidentia (verba ſunt Oleaſtri) ut ſemper putet neceſſaria ſibi defutura: & adeò aſſervare vult, quod ſibi putet defuturum. Fide, quòd, qui hodie dedit, dabit & cras.) Quàm benè aſſeruit S. Fulgentius: *Ecce qualis eſt Dominus, ut donando debeat, & quantò magis donat, tantò magis eum debitorem eſſe non pigeat.* Vbi ſuprà.

Rachel Patriarchæ Jacob uxor ſterilis, Deum quanto poterat affectu obteſtabatur, ut ei filium daret. Obtinuit, *Dominus exaudivit eam*, peperit vocavitque filium Joſeph, *Et vocavit nomen ejus Ioſeph.* Gen. 30. Cur Joſeph? nomen iſtud Hebraicè ſonat *Iaſaph*, id eſt juxta Oleaſtrum, *addere, augmentum, accreſcens additio*, q. v. d. Deus filium hunc mihi dedit, indubiè plures addet. *Ioſeph accreſcens.* Unde etiam ait ipſa: *Addat mihi Dominus filium alterum.* Audiatur hìc Benedictus Ferdinandus: (Ea ſolet eſſe regia munificentia Dei, ut unum conceſſum beneficium, datorem ipſum ad alia ſubinde conferenda invitet, compellatque.) In Gen. ad litt.

Paradoxum videri poſſit, quod ultimum adfero. Tam liberalis eſt Dominus noſter, & ſui diffuſivus, ut ſi (quod impoſſibile eſt) eodem tempore ipſe & homo in extrema neceſſitate verſarentur, ut homini daret & ſuccurreret, ſui oblivíſceretur, & ſeipſum exponeret. Refert Sacer Textus, quomodò Lucam & Cleopham euntes in Emaus comitatus ſit ſub peregrini ſpecie Chriſtus? Caſtellum ingreſſi, urgente fame, cœnaculum petunt, ubi menſa fuit extructa? ſed pro tribus non erat niſi unicus panis, quem appoſitum benedixit incognitus Salvator, & in duas partes diviſit. At verò ſi tres menſæ aſſederant, quomodo ſolùm duas facit partes? Cogetur illorum unus incœnatus cubitum ire. An! inquit Chriſtus: ſi modò vos comedatis, ſatis ſuperque habeo, nec pro me aliud velim. Comedite obſecro. *Accepit panem, & benedixit ac fregit & porrigebat illis.* Luc. 24. Notate verbum *illis, non ſibi.* Unde concludit Durandus, & cum eo Salmeron: (In Emaus fregiſſe panem, ſed non comediſſe legitur. Adimit ſibi panem de ore, ut Diſcipulis provideat.

Athenienſium Princeps (de quo Plutarchus) liberaliſſimus munificentiſſimuſque fuit, adeò ut muros & ſepes horti dejecerit, ut foret omnibus licitum accedere, & fructus ad placitum colligere: fecitque ut in palatio menſa ſterneretur, eſſetque ſemper apparata pauperibus & peregrinis. Ap. Bald. Ponce §. 2 fer. 2. Dom. Palm. Fortaſſis quia monet Chryſologus: *Dando pauperi, das tibi: quia, quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu ſolùm, quòd pauperi dederis, hoc habebis.* Ser. 41.

At verò Chriſtus, ut fructus divinorum beneficiorum omnibus affluentur diſtribuat, evertit muros parſimoniæ, pandit ærarium cæleſtis thæſauri, ſemper extructam habet menſam ſupernæ gratiæ, oblatam omnibus accedere volentibus. Neque hoc ſatis: ultrò ipſe venit & ſponte propriis exhibet manibus. *Et extendens manum, dixit: Volo, mundare.* Petite ergo non vana, non tranſitoria, ſed vera & ſubſtantialia: gratiam petite, quâ mereamini æternam aſſequi gloriam.

* * *

# DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

## ARGUMENTUM.

Apoſtoli Iudam habentes ſocium in navi, periclitantur, & timent naufragium: nam ut viro probo tranquillitas, ita ab improbo exoritur ſæva tempeſtas, & quod mali perpetrant, boni luunt. Peccat unus, & puniuntur multi. A peccato veluti à fœcundiſſima calamitatum vena tota hominum infelicitas, & omnia promanant mala.

## THEMA.

*Aſcendens Ieſus in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus, & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.*
S. Matth. cap. 8.

DEum non eſſe juſtum, quis audeat aſſerere? Juſtiſſimum eum eſſe non leviter credo, ſed tam conſtanti fide teneo, ut potiùs ſanguinem effunderem, & vitam millies darem, quàm de veritate hac dubitarem. Axioma hoc certò conſtat, eſſe illam ipſam juſtitiam in abſtracto, ſine qua Deus non eſſet. Idcirco fatetur
*Jerem. 12.* Propheta Jeremias: *Juſtus quidem es tu Domine.*
*Pſal. 128.* Et Pſalmiſta: *Iuſtus es, Domine, & rectum judicium tuum. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua.* Explicat Ordinis Carmelitici celeberrimus Scriptor in Pſalmos: (Quomodò enim injuſta poſſint eſſe divina judicia, quorum omnium cauſa eſt divina voluntas, quæ nec fallere, nec falli poteſt? Si quando ergo adverſis humiliamur & percutimur, etſi cauſam ignoramus, tamen cognoſcamus, quia judicia Dei ſuper nos ſunt juſta.

*Michael à Bonon. in Pſ. 118. n. 2148.*

Ecquis veſtrûm (NN.) ignoret, eas eſſe partes, ut caſtigetur reus, non innocens: pœnas luat delinquens, & non inſons. *Negligentia unius* (habet lex) *alteri nocere non debet.* Compertum eſt tamen multoties, crimina perverſorum luere juſtos, & quia malus peccavit, bonos puniri. Peccat David, & filius innocens antequam de Berſabea natus, criminis reus ad mortem condemnatur. *Filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Annotat hìc Salvianus: (Præter pomum acerbæ orbitatis, etiam hunc addi piiſſimo Patri intellectum ſummi ſupplicii. Deus voluit ut dilectiſſimo filio cauſa mortis pater ipſe exiſteret, qui doleret, cum utique natum ex crimine puerum, crimen ipſum occideret, quod creavit) S. Aug. *Crimen patrum mors filiorum.* Etiam in initio mundi, peccati pœnas fert terra, & maledictione mulctatur. *Maledicta terra in opere tuo.* Adamus legem violat; & habenas appetitui permittit: neque tamen ipſe nefariæ appetitionis pœnas ſuſtinet, ſed patitur humus alieni criminis tormenta. Miratur Oleaſter, & ait: *Homo non maledicitur, ſed terra propter eum.* Ad Evangelium præſens eamus.

*L. Iniqui ff. de jur. & fact. ignor.*

*L. Ne[...] deb. ff. [...] reg. ju[...]*
*2. Reg[...]*
*Lib. 2 [...] prov. D[...]*
*L. 1. q. [...] nov. & vet. [...]*
*Gen. 3.*
*Ibid.*

*Aſcendente* JESU *in naviculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus.* Quid inde evênit? *Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Ecce ſubitò fluctus in diſcipulos

*Matth. [...]*

los armatur, elati venti ſonitu horriſono aures diverberant, fragor animos percellit, rudentes collabuntur, ac denique inuſitata tempeſtas minatur per momenta naufragium. Quid hic faciant omnes indubiè perituri? ad portum in ſcapha dormientem refugiunt, Dominum excitant qui ventis imperat, & mari, voces ingeminant, *Domine, ſalva nos, perimus.* Videte, obſecro, in quanto vitæ diſcrimine verſantur Apoſtoli, propter unum peccatorem Judam. Regula tamen eſt juris. *Ubi nulla ſubeſt culpa, ibi & pœna nullus poteſt eſſe rectus locus.* Hoc ipſum lex divina confirmat: ut meritò dixerit S. Antonius de Padua: (Nunquam Deus infert punitionem, niſi prius peccator committat tranſgreſſionem.

L. Aliud 131. D de verb ſig. L Sanc.) 21. C. de pœnis.

Fer. 4. Dom. 4. Quadr.

At ubi tunc juſtitia viget, cum propter unum perverſum tot patiuntur boni? Iniquiſſimus tamen ille ſit, qui Divinam juſtitiam arguere tum præſumat: qui injuſtus non eſt, quomodò injuſtitiam ille committat? Deus æquiſſimus Judex & pientiſſimus pater. Apoſtolos omnes periclitari permiſit propter unicum malum: & non rarò legimus factum, ut pro peccatore paſſus ſit innocens, & ob unius delictum, plures boni tulerint ſupplicium. *Unius delicto cunctorum merita quatiuntur,* (ſcribit D. Ambroſius.] *Sic igitur minus Iudæ peccato cuncti periclitantur Apoſtoli.* *Et ita concludit: Caveamus igitur, ne per unum omnes fluctuemus.* Argumentum hoc meum erit quod ſi tenui & exiguo meo ſermone non ſatis probo, ex S. Scripturæ eventibus variis evidenter demonſtrare contendo. Animis & auribus favete.

Serm. 11.

## PARS PRIMA.

SI benè leges loquuntur: *Sine culpa nullus eſt puniendus.* Et tamen hominis improbi malitia eſt, ut etiam in bonos redundet pœna. Ut verè ſcriptum ſit,

C. Sine culpa, de R. I. in 6. Si peccatur, ff ad l. Aquil. Ioann. Gal.

*Sæpè aliquis nebulo patrato crimine fecit,*
*Ne fortè ulla fides, aut locus inde bonis.*

Qod videndum modò in tribus generibus creaturarum, in vegetabili, ſenſibili, & rationali.

Armis inimicorum fugatus Saul, pulſuſque, & deleto exercitu jam deſperans, manus ſibi intulit, & enſe proprio vitam ademit. Amalecita fortuitò tranſit ad funeſtum hoc ſpectaculum in monte, & conſternatus eſt, videnſque Saulem Regem eſſe Davidis infenſiſſimum hoſtem, coronam ei regiam de capite abſtulit, ſcutum de brachio, & læto atque alacri animo feſtinus ad Davidem attulit nuncia, præmia ſperans, eique coronam regiam & ſcutum, veritatis indicia oſtendit, ut occidiſſe crederet.

Non jam expendam, quàm triſtis fuerit David & conturbatus accepto funeſto hoc nuncio, non quomodò occidi juſſerit Amalecitam, ſed hoc unicum ob oculos ponam, quomodo, tactus dolore, intimè execratus ſit, & montes Gelboe maledixerit, ibi precatus ne deinceps rore cœleſti irrigaret, ut ſic plantæ accreſcentes, ceſſante pluvia ſteriles redderentur, ne fructus aut folia producerent, herbæ virides & flores non pullularent. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant ſuper vos.* Quis hic non miretur (NN.) & ſtupeat? quid delictum eſt à plantis, herbis, floribus & ipſis montibus in occiſione Saulis? Si malè precatus eſſet exercitui, à quo devictus eſt, aut Amalecitæ, à quo occiſus, ut ipſemet nunciat: ſi maledixiſſet quercum illam, quæ fugitivum Abſalonem crinibus illaqueavit, tenuitque ſuſpenſum uſque dum ſupervenientis Joab tribus lanceæ ictibus perfoderetur, excuſari aliquatenùs potuiſſet: at quid fecit illa montium Gelboe viriditas? *Quid ergo montes Gelboe Saul moriente deliquerunt?* (petit D. Gregorius) *quatenùs in eos nec ros, nec pluvia caderet, ab omni eos viriditatis germine ſententiæ ſermo ſiccaret?* Crediderim hoc à Davide intentum, ut pro delinquente reo innocens puniretur. *Aruerunt montes prophetico maledicto* (loquitur Ambroſius) *& Divina vis ſententiam maledictionis implevit. Itaque pro Regiæ necis ſpectaculo pœnam elementa ſolverunt.*

2. Reg. 1.

D. Greg. lib. 4. mor. c. 3. & 4.

S. Ambr. 3. Offic. c. 9.

Ad evidentia & à genericis ad ſpecifica veniamus, & cùm de plantis ac arboribus cœptus ſit ſermo, ad fici maledictionem attendamus. Egreſſus Bethaniâ Salvator verſus Hieroſolymam, vidit in via arborem fici, & dextrâ extensâ minatus eſt, & maledixit. *Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet.* Et, ut advertit S. Matthæus Evangeliſta, *arefacta eſt continuò ficulnea.* O quantum hoc plantæ infortunium! in quo ergo defecit, aut Chriſto diſplicuit? quòd non jam haberet fructus, non mirum: quia, ut notat S. Marcus, *non erat tempus ficorum.* Et ſi iſtam ob cauſam, ut quid excepit alias plantas, quæ omnes etiam ſine fructibus? erat enim (ut dixi) ſumma hyems. Reſpondet Venerabilis Beda: (ut oſtenderet plebem

Marc. 11.

Matt. 21.

Beda in Caten.

*D. Thom. c.9. Mar.* Judæorum propter folia, id eſt, verba juſtitiæ, quæ habebat ſine fructu, id eſt, ſine bono opere non poſſe ſalvari: ſed ſcindi & in ignem mitti.) Valdè benè: manet tamen difficultas, cùm non ita factum aliis plantis. Chryſoſtomus alteram *D. Chryſ. apud Janſ. c.113.* dat rationem: (ut Diſcipuli intelligerent, ipſum poſſe, ſi vellet, ulciſci perſequentes ſe Judæos & proinde ipſum non pati invitum) Ita etiam Theophylactus. Volens oſtendere Diſcipulis, quod ſi vellet hos, qui crucifixuri erant ipſum, in momento poſſet exterminare.) At verò fruſtrà tum iſtud miraculum: ſiquidem eum credebant verum eſſe Dei Filium, adeoque omnipo- *Janſen. ibid.* tentem: præterea dicit Janſenius rationem illam ſecundariam eſſe & acceſſoriam: poteratque Diſcipulis Chriſtus facilè multis aliis modis omnipotentiam manifeſtare, quàm arefactione infelicis hujus plantæ. Aliud ergo aſſerendum ſupereſt.

Pace dixerim, & veniâ tantorum virorum: nemo illorum, meo judicio, melius difficultatem totam exhaurit quàm S. Athanaſius. Tranſiens Salvator ante arborem fici, recordatus eſt, quomodò in Paradiſo terreſtri Adam & Eva videntes ſe eſſe nudos (qui effectus peccati eſt) abſtraxerint è ficu frondes ut iis nuditatem abſconde- *Gen. 3.* rent. *Acceperunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Unde didicerunt peccatores aliqui culpas obtegere & frivolis excuſationum foliis palliare, quod abominabile coram Deo eſt. Cùm *Rom. 6. Hec. Pint. in Ezech. c. 18.* ergo in mundum ipſe veniſſet, *ut deſtrueret peccatum,* teſte Apoſtolo, *arefecit operculum peccati, hoc eſt, folia ficûs.* Quid tamen mali egit hæc arbor? an fortaſsè ulciſci volentem impedivit? an quia ejuſdem eſt ſpeciei? Iſta certè non ita gravia ſunt, ut ideò tam acerba incurratur maledictio. Sanctus Anſelmus aliam non invenit rationem, quàm ut vel inde perciperet homo, multoties etiam in vegetativis dari experimentum, quomodò pro peccatore non rarò plectatur innocens. Verba S. Anſelmi adfero (Inter alias cau- *D. Anſel. apud Hec. Pint. ſup.* ſas, cur Deus arborem non ferentem fructum ariditate percuſſit, hanc aſſignat Divus Athanaſius: quòd Adam poſt tranſgreſſionem accepit folia ficus, quibus nuditatem ſuam obtexit: cùm autem Chriſtus deſtrueret peccatum, illudque deleret, & in cruce crucifigeret, arefecit operculum peccati, hoc eſt, folia ficus, quibus Adam tegebatur poſt peccatum.)

Progrediamur ad creaturas ſenſibiles, non rationales. Deus in creatione Univerſi, quarto die ex nihilo produxit piſces maris & cœli volucres. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſecundùm genus ſuum. Creavit* *Gen. 1.* *cete grandia, & omnem animam viventem atque notabilem, & omne volatile ſecundum genus ſuum.* Quid poſtea? *Benedixitque eis, & ait, &c.* Sexto vero die creavit animantia terræ, *Et fecit Deus* *Gen. 1.* *beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, jumenta & omne reptile terræ in genere ſuo.* Attamen non benedixit. Undè diſparitas iſta tam partialis? nunquid omnes æquè ſunt creaturæ Dei? an fortè commiſerunt delictum? quomodò, ſi vix procreatæ jam erant? Audite, quàm bene Gloſſa Ordinaria exponat. Inter animantia, quæ die ſexto producebantur, erat & ſerpens, pauco pòſt tempore à Deo maledictione plectendus? unde ne etiam in illum caderet benedictio, reliquis eam non impertivit. *Fortè animalibus ſextæ diei* *Gloſſ. Ord. ad lit.* *non benedixit, quia inter ea erat ſerpens, cui poſt paulùm erat ipſe Deus maledicturus.*

Deum pœnituit creaſſe hominem, & de eo queſtus eſt cum amico ſuo & fideli ſervo Noe. *Pœnitet me feciſſe hominem.* Multa nimis ſunt, *Gen. 6.* horrenda ac nefanda hominum ſcelera: & connivere diutiùs nec poſſum, nec volo. Numquam crediidiſſem ita peſſimè mecum acturos mortales: ſed polliceor, pro modo culpæ, ſupplicia ferent: aquarum diluvio mundum univerſum ſubmergam. *Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ.* Hinc cum Divo Ambroſio ſatis colligimus, quanta ſit peccati enormitas. (Ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum *D. Amb. de Noe & Arca c.4.* noſtrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offenſam, tanquam eò uſque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut irâ, aut odio, aut paſſione ullâ provocatus videatur ad iracundiam.) Hoc bene quidem, ſed quod megis mirari me facit, quòd nec animantia ſupplicium ultionis evadant. *Ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cœli.* Stupendum eſt? fateor, mi Deus, legiſſe recordor, & prædicâſſe ſæpius, juſtum te eſſe, & juxta cujuſque meritum præmia largiri, & addere pœnas pro gravitate delicti. Nihil frequentiùs aſſerui, quàm immunem eum eſſe à pœna qui vacat culpâ: at modò cogor dicta retractare & contrarium oſtendere, cùm animalia videam non commiſiſſe delictum, & tamen eodem puniri ſupplicio: non obſtante, quòd lege ſtatutum ſit: *Pœna* *C. Pœna de pœn. diſt.* *non debet extendi extra ſuum caſum.* Ut ſit, volo, inquit Deus, ut diluvium ſit univerſale, & ſimul cum delinquente caſtigetur innocens, ſitque eadem, quæ tranſgreſſoribus, inflicta etiam animalibus

animalibus pœna. (Etiam irrationales creaturæ (dicit Juſtinus Martyr) propter peccatum hominis flagellantur à Deo, quæ propter hominem creatæ ſunt.] Adeſt & confirmat Divus Johannes Chryſoſtomus: (Ita pœnam communem ferunt, ut pœnæ gravitatem addiſcatis, Et ſicut ab initio mundi, cum peccavit protoplaſtus, terra maledictionem accepit: ſic & nunc, cùm abolendus eſſet homo, bruta quoque cladis ſocia fiunt)

*Iuſtin. Mart. quæſt. ad Orthod. apud Th. Beaux. tom. 1. c. 1. S. Ioann. Chryſoſt.*

Si itaque peccatum tam ſit malignæ naturæ, ut ad pœnas pertrahat creaturas inſenſibiles & ſenſibiles irrationales, quid non faciet rationabilibus, quibus, ut plurimùm nocere, innatum? Ad Apoſtolorum Chriſti collegium nos conferamus. Actionibus Salvatoris noſtri ſingulis myſterium ſubeſſe nemo dubitat: conſequenter etiam nobis perſuaſum ſit non caſu aut inconſideratè ad mortem conduxiſſe tres ſolùm Apoſtolos, Petrum nempe, Jacobum & Joannem. Unicum tamen hoc mihi difficile occurrit, cur tres ſolum aſſumpſerit & non omnes, cùm æqualiter omnes in paſſione futuri eſſent participes, mundum ſcilicet univerſum peragrando, Verbum Dei diſſeminando & ſanguinem pro fide effundendo: ſi ita eſt, cur inquam tres ſolùm ad montis Thabor gloriam & exultationem admiſſi: Apoſtoli promiſſum eſt. *Si fuerimus ſocii paſſionum, erimus & conſolationum*, Si futuri omnes conſortes adverſitatis, ut quid non æquè proſperitatis? Multifariàm hìc reſpondent S. Scripturæ expoſitores. (Ad ſignificandum (ait S. Antonius de Padua) quòd non niſi per ſolidatem fidei, quæ in Petro, longanimitatem ſpei, quæ erat in Jacobo, & fervorem charitatis, quæ erat in Joanne, ad divinam viſionem perveniri poteſt. (Succedit Paulus de Palatio ſic explicans:) Aſſumens Dominus hos tres Apoſtolos, ſignificabat ſe aſſumpturum in cœlum tres ſtatus Chriſtianitatis) Janſenius verò: (Quoſdam ex Apoſtolis elegit, qui gloriæ Chriſti conſpectæ, poſtea idonei eſſent teſtes apud alios. Itaque tres ad hoc eligit, ut ſecundum legem, in ore trium, verbum hoc confirmaretur.) Sanctus Pater Auguſtinus: *Petrus, Iacobus & Ioannes honoratiores in Apoſtolis erant.* Denique concludit Sanctus Joannes Damaſcenus, cenſetque ideo non conduxiſſe ad montem reliquos, quod nollet illic adeſſe Judam. Eſto: facilè hoc erat impedire: poterat namque Judam ſolum excludere, reliquos admittere. Non ita expedit, nec faciam dicit Salvator, Apoſtolum eum novi paſſionibus obnoxium: inde ſibi illatam injuriam, facilè ſuſpicaretur, & ſic occaſionem proditionis arriperet. Itaque patientiam potiùs habere oportuit Diſcipulos cæteros: fuerunt excluſi à gloria Montis Thabor propter ſolum Judam, & ratione hujus ad tantum damnum ſuſtinendum coacti. *Iudas in cauſa fuit, quòd reliqui Apoſtoli, qui cum eo remanſerant, tanto bono privarentur.*

*2. Cor. 1.*

*D. Ant. de Padua Dom. 1. Quadr.*

*Paulus de Palatio in c. 17. Matth.*

*Ianſ. c. 87.*

*D. P. Aug. in Ep. ad Gal.*

*S. Ioann. Damaſc. de transfig.*

O quàm Petro grata, quàm jucunda fuit cæleſtis hæc viſio in Monte Thabor! adeò ut Chriſtum rogaret: *Faciamus hic tria Tabernacula.* Verùm ab Evangeliſtis reprehenditur, quaſi eſſet inconſideratè locutus. *Neſciebat quid diceret, hoc eſt* (interprete Janſenio) *inconſideratè locutum eſſe*, Meritò igitur reprehenſionem iſtam incurrit.

*Matth. 27.*

Notandum tamen, vix ea verba dixiſſe Petrum, imò *Adhuc eo loquente*, nubes in aere gloriam eripuit: *Ecce nubes lucida obumbravit eos.* Sic ut tam ſubitæ privationis & jacturæ alia dari non poſſit cauſa, quàm ſancti Petri inordinata locutio. Si tamen ipſe ſolus deliquit loquendo, ut quid omnes cæleſti illo lumine privantur? qui deliquit, puniatur ille: & qui mente fuit captus in dicendo, deturbatus ſit à gloria in gaudendo. Non ſic, ſed ob temeritatem hanc Petri, patiuntur & reliqui. *Obumbravit eos, & non eum.* Quod bene hic obſervatur ab Abulenſi. *Adhuc eo loquente, id eſt, cùm Petrus diceret ad Chriſtum: Bonum eſt, nos hic eſſe, fortè non finierat Petrus verbum ſuum, volens aliquid alterum ſubjungere, & nubes operiens eos, terruit ipſos.*

*Abulenſ. in c. 17. Matth.*

Poſtquam unigenitus Dei Filius dediſſet cœnam Apoſtolis, converſus ad Petrum, de diſceſſu ſuo ſermonem inſtituit. Abeundum mihi eſt, & id unum maximè cruciat, quòd non poteritis comitari. *Quò ergo vado, vos non poteſtis venire.* Quomodo? ait Petrus. Abſit hoc à me, ut ego te derelinquam, ſemper ero comes individuus, tecum ad pericula, ad carceres & mortem ibo. *Animam meam pono pro te.* Itane? animam pro me exponens, pro tuo in me amore ſanguinem dare paratus? o quàm ab his promiſſis longè aliena erunt tua futura opera. *Amen amen dico tibi, non cantabit gallus* hâc nocte, *donec ter me neges.* Et inde ad Apoſtolos alios ſe convertens, eos conſolatus eſt, & ait: *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* Ad negationem Petri, vos ne metuatis, ſed animos erigite. Quid hoc eſt? Diſcipulos reliquos hortatur & excitat, ne timeant: Petro ita potiùs factum oportuit, ne ipſe deſperaret. Scio diſplicebit aliis delictum Petri, idem tamen omnibus imminet diſcrimen. Hoc metuebant, quaſi ſic mente diſcurrentes:

*Ioann. 13.*

*Ioann. 14.*

Propter unum, patientur multi ? ſi negaturus ſit Petrus, cauſa erit alicujus noſtri infortunii. Ideò Dominus hic propitium ſe addicit, eoſque ſecuros eſſe jubet : & ſi ob inconſiderata ejus verba, in Monte Thabor privati fueritis gloriâ, [Rupp. Abb.] inquit, impediam modò, ne ob negationem Petri ſuſtineatis aliquod detrimentum. [D. Chryſ. D. Aug. Did. Ponſ. l. 14. c. 1. §. 1.] *Meritò Diſcipuli expavent peccatum Petri, quando à nullo peccatum committitur, cujus damnum non debeant timere cæteri.*

Non tamen adhuc ideò defuit, qui non angeretur & formidaret, & ne prout ſemel ratione Petri perdiderant gloriam in terris, ita & ob negationem illius, gloriâ privarentur in cælis. Quapropter ad majus ſolatium ſuperaddidit Chriſtus : Ne dubiteris : ſingulis veſtrûm locus erit in cælis. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Sancti P. Auguſtini proferam verba: [S. Aug. in Caten. D. Thom. in c. 14. Ioan.] *Quia igitur etiam ſibi metuebant Diſcipuli, cùm Petro dictum eſſet fidentiori atque promptiori : Non cantabit Gallus, donec ter me neges, ſubjunxit : In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, per quod à turbatione recreantur cæteri, ac fidentes etiam poſt pericula tentationum, ſe apud Deum cum Chriſto eſſe manſuros: quia ſi alius eſt alio fortior, ſapientior, juſtior, ſanctior, nullus alien bitur ab illa domo, ubi manſionem pro ſuo quiſque accepturus eſt merito.*

E collegio Apoſtolico ad familiam Jacob ingrediamur. Ibant venerandi ſenis filii in Ægyptum grana comparaturi, urgente annonæ caritate : ſiquidem illo anno ob cæli inclementiam magna erat agrorum ſterilitas, ſata omnia arefacta, meſſis nulla, tantaque premebat neceſſitas, ut eligerent multi mori potiùs mendici, quàm acerbè nimis languere famelici : in pluribus morte priùs quàm linguâ prodebatur mendicitatis extrema calamitas. Soli morti pabulum abundè ſuppetebat, illa jam meſſem diu noctuque in fœnum illud mittebat, de quo dictum fuit : *Omnis caro fœnum.* [Iſa. 40.] Erat tanta per univerſam illam terram egeſtas, ut promiſcuè fame periiſſent ad unum omnes, ſi non ſuccurriſſet Ægypti Prorex Joſeph recondita venundans grana indicto pretio. Coacti ergò filii Iacob, famelici avidè convolarunt. Joſeph ut vidit, fratres agnovit, neque ſe illis notum reddidit, ſed benevolè affatus juſſit illis dari *gratis* quod pro ſublevanda familiæ neceſſitate ſufficeret. Cùm jam tuliſſent ſaccos ad granarium ut implerent, mandavit Joſeph diſpenſatori domûs ſuæ, ut nullo fratrum vidente ſcyphum ejus argenteum imponeret in ore ſacci junioris ſcilicet Benjamin atque ita factum eſt. Egreſſis illis verſus Canaan, clamat Prorex furto ſublatum eſſe ſcyphum, famulos expedit qui inſequantur & apprehenderent in via, ut contigit, Reductis omnibus in civitatem captivis, cæperunt ſingulorum ſaccos inſpicere, & ſcyphum repententes in ſacco Benjamin, eum eſſe furem proclamarunt. *Quos ſcrutatus incipiens à majore uſque ad minimum, invenit ſcyphum in ſacco Benjamin.* [Gen. 44.] Joſeph hoc viſo iratum ſe ſimulavit & indignantis inſtar aſperè reprehendit. Statim ut vidi, de perfidia veſtra ſuſpicatus ſum. Non vos huc redegit annonæ caritas ad ſupplicandum, at innata vobis malitia ad inſidiandum. Chananæi eſtis, & hoc ipſo ſatis ſcimus, quales ipſi ſitis, utpote nomine proditorum ſuſpecti. Credite verum, malè vobis cedet & contra quàm intentum eſt. Sibi præcipitium parat, qui alteri inſidias molitur. Primum pro juſtis meis ſuſpicionibus aſſecurandis faciam, dein experiemini quomodo aliis ſimulatè intentantes damnum, vobis ipſis acquiſiveritis mortis ſupplicium. Aud x veſtrum facinus detexit fraudem. Ex ſcypho quem furtim abſtuleratis, bibendam dabo amaritudinem fellis. Siccine beneficium acceptum remuneratis ? Non vos pudet committere furtum, unde perpetua inuritur infamiæ nota? Dicite modò ſceleſti vos & temerarii ? *Cur ſic agere voluiſtis?* [Gen. 4] Cur tam nefariè deliquiſtis? Bona verba, obſecro, Joſeph : an non recordaris tibi relatum, furtum eſſe in ſacco Benjamin? ergo ſolus iſte fur eſt, alii verò inſcii & innocentes. Cur igitur æqualiter omnes redarguis ? Quis unquam vidit ita ſeverum tribunal, ubi contra innocentiæ integritatem pœna decernitur ? Benjaminum aggredereris. Quid tu latruncule? in ædibus meis tam graviter delinquere non trepidas ? *Cur ſic agere voluiſtis?* Non ſic proceſſit Joſeph, ſed increpat omnes, & ſic unius culpa ab omnibus innocentibus luitur : ut verum maneat dictum : *Cuncti periclitantur unius delicto. Per unum omnes fluctuant.* [D. Amb] Ediſſere, (ſic Joſephum ævi noſtri Scriptor interpellat : ) *Nonne tibi relatum eſt à diſpenſatore domûs tuæ, in ſolius Benjamin ſacco ſcyphum inventum fuiſſe? cur ergo omnes tanquam conſcios arguis? quia pluries unius privati delictum in totam redundat communitatem.* [Ioann. Haye Auct. arb. vitæ in Gen. c. 44.]

Si quis fatali huic malo obnoxius, quàm filii in eluendis parentum delictis. Hinc eſt quod Iſaias minatus ultionem filiis Regis Babylonici dixerit : *Præparate filios ejus occiſioni in iniquitate* [Iſai. 14.]

Patrum

*Patrum eorum: non conſurgent, neque hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.* Interpretatum eſt. *Loquitur contra filios Regis Babylonis, ut iniquitatem patris in filios viſitet.*

Did. Alv. ibid.

Idcircò exiſtimabant Apoſtoli Cilidonii nati cæcitatem imputandam eſſe parentum delictis. *Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*

Ioan. 9.

Adſtipulatur doctiſſimus Oleaſter,

Oleaſter in c. 9. Gen. ad mor. adn.

[Solet enim Dominus filios pro parentum peccatis punire in tertiam & quartam generationem. Cùm enim ſemel Salvatoris Diſcipuli hominem naturâ cæcum vidiſſent, quærere cœperunt, quiſnam peccaſſet, ille, an parentes ejus? non immeritò arbitrantes peccata parentum cæcum filium fuiſſe. Non ſolùm enim videntes pœnam de culpa cogitant, ſed ubi filium privatum oculis vident de parentum peccatis, magnâ ſolicitudine inquirunt.] Propter Sejani crimina Tiberius ſuſpendi juſſit tenellæ ætatis innocentes filios.

C. Tacit. lib. 5.

Inficiari nemo poteſt, parentum culpis multum filios aggravari. Accuratè deſcribit ſanctus Evangeliſta Matthæus genealogiam Regum omnium, Patriarcharum veteris Teſtamenti, ex quorum ſtirpe natus eſt Salvator, & ab Abraham Patriarcha ſanctiſſimo orditur: *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob*, & pertingit uſque ad ſanctum Patriarcham Joſeph ſponſum B. V. MARIÆ, *Iacob autem genuit Ioſeph, virum MARIÆ de qua &c.*

Matth. 1.

Adverte tres hic Reges immediatè ſibi invicem ſuccedentes omitti Ochoziam ſcil. Joram & Amaſiam, medios tamen inter Joram & Oziam, ſiquidem Joram genuit Ochoziam, Ochozias Joam. Joas autem Amaſiam. Cur igitur tres iſti Reges privantur iſto honore? Evangeliſtam eſſe oblitum, non crediderim facilè, quia Spiritu ſancto dirigente ſcripſit. Ad Myſterium itaque recurrendum, nec à Matthæi defectu aut incuria petendum eſt. Scio reſpondiſſe Divum Hieronymum, Reges iſtos fuiſſe perverſos, ideoque indignos recenſeri inter eos, à quibus omnis Regni Iſraëlitici ſplendor & gloria. *Tres Reges in medio fuerunt, quos Evangeliſta prætermiſit ideo factum eſt, ut tres iſtos velut indignos, & quaſi ſuperfluos ſubticuerit.*

S. Hier. apud D. Thom. & Beauxam. in c. 1. Matth.

Difficultas adhuc manet, eò quòd fuerint Reges alii expreſſè annumerati, tribus iſtis pejores. Salomon tône fuit ille qui *ædificavit Chamos idoli Moab in monte?*

3. Reg. 2.

Roboam filius nihilo inferior, *malus erat, & cor ejus deſcivit à Domino.*

2. Par. 16.

An non Rex erat impiiſſimus Achaz? *Impius Rex non fecit quod erat placitum in conſpectu Dei. Erexit ſtatuas Baal, in incenſum obtulit;*

4. Reg. 16.

& plura hujuſmodi patravit horrenda dictu. Sic de Manaſſe dicamus, *omnium Regum, imò & gentium flagitia ſuperavit.*

2. Par. 28.
2. Par. 33.

Ille ipſe, ut S. Epiphanius teſtatur, Prophetam Iſaiam ſerrâ ligneâ vivum crudeliter ſecuit.

D. Epiph. lib. de vita & exitu Proph.

Sicut æquè Reges bonos & malos S. Matthæus in genealogia expreſſerit. *Pii & impii Reges hic narrantur, & qui in ſubditos tyrannicè geſſerunt.*

Th. Beaux. in c. 1. Matth.

Quam igitur ob cauſam excluſi ſunt tres Reges jam dicti, Ochozias, Joas & Amaſias?

Nondum iſtâ reprehenſione plenè ſatisfactum eſt Divo Hieronymo, ea propter addit alteram, dicitque Joram, ex quo nati ſunt Reges præfati, peccaſſe graviter. *Immiſcendo ſe impiiſſimæ Iezabelis generi.* Atque ideo puniti ſunt poſteri filii uſque ad tertiam generationem, in qua erat Amaſias, cum affecti ſunt ignominiâ, deletis illorum nominibus ex ordine cæterorum Regum. *Quia Ioram ſe immiſcuerat generi impiiſſimæ Iezabelis, idcircò uſque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in ſancta Nativitatis ordine poneretur. Tolluntur ſcilicet ejus filii uſque ad tertiam generationem, juxta hanc Domini ſententiam: Ego Dominus zelotes vindicans iniquitatem in filios, in tertiam & quartam uſq; generationem.*

D. Hier. in Caten. D. Thom. & apud Beauxam ſuprà.

Non mirabor deinceps, quòd lege decretum ſit: *Sacerdotum filii non admittantur ad ſacros Ordines & dignitates Eccleſiaſticas.* Nam ad honores illos declarantur inhabiles, non ob proprios ſuos defectus *ſed ob deteſtationem criminis paterni, quod plerumq; deteſtamur in filiis & punimus temporaliter.*

Goffred. in ſum. tit. de fil. presb. L. Quiſquis c. Ad L. Iul. Majeſt.

Quocirca parentes monet Oleaſter, ut ſollicitè caveant Deum offendere, non ſolùm ne ipſimet puniantur, ſed ne pœnas eorum filii luere cogantur. Unde fieri putatis, ſi filius naſcatur aut cæcus, aut gibboſus, aut claudus, aut peſſimæ complexionis, qui demens ſit, aut mutus? non hoc illius delictis adſcribendum, eò quòd in utero matris mala facere non poterat: ſed à parentum peccatis habetur origo. [Hinc parentes advertere debent, quantum videlicet abſtinere à peccatis debeant, non ſolùm ne propter ea puniantur ipſi, ſed ne peccatorum ſuorum flagella in ipſos transfundant filios.]

Oleaſter in Exod. cap. 20. ad mores.

Filius ſit pauper qui à natura deformis, nobilis alter ex illuſtri proſapia oriundus: cui tamen fortuna adverſa eſt, non adipiſcitur dignitates, ad honores non pertingit, illi contraria eveniunt ac omnia maxime infenſa; & verbo ut dicam, ad extremas volvitur miſerias, & quem jam dominari oporteret & imperare, prout nobilitas ſanguinis nativi exigit, obedire cogitur, & velit nolit,

lit, ſubeſſe inſtar viliſſimi mancipii, quod in domum admittere ad abjectiſſimum obſequium antea non voluiſſet. Ah! ſic fata jubent, quàm infauſtum ſidus naſcenti influxit! Falleris, cùm fata accuſas. Magna tua calamitas eſt? delictis parentum imputa; inde omne hoc tuum malum. Ex ſacra ſcriptura audiamus.

Bonus ille ſenex Noë, qui primus hominum plantavit vineas, die quadam plus ſolito ſitiens, in bibendo exceſſit, ſic ut vino turbatum ſenſerit cerebrum, & incaleſcens valde, veſtibus exutis membra nudavit, diſponens ſe ad dormiendum donec liquoris vis remitteretur, & diſſiparentur vapores. Vidit filiorum unus nomine Cham, qui Noëmum irridens, ut magis confunderet, accerſit alios fratres Sem & Japhet. Venite, venite; Patrem noſtrum aſpicite nudum humi dormientem; & fratribus oſtendit *pudenda Patris ſui*, qui intuiti ſenem, miſeratione commoti ſunt, & confeſtim pallio cooperuerunt, ne nuditas appareret. Experrectus Noë & perceptâ temeritate filii, & irreverentiâ, indignatus eſt contra illum & imprecatus ait: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Maledico, & hæc mea voluntas, ut ſit & maneat maledictus Chanaan, & ſemper fratribus ſubditus & ſerviens. *Vbi diabolus filio Noe perſuaſit quòd propter nuditatem patrem ſuum inhonoraret: unde etiam idem filius ejus de benedictione libertatis denudatus, etiam ſervus fratris*, ut loquitur S. Hildegarda: & ita Oleaſter exponit, *minimus inter ſervos fratrum ſuorum, atque ita evenit: nam Æthiopes propter ingenii hebetudines ſunt minores inter omnes alios ſervos.*

*Gen. 9.*

*S. Hild. ep. de Cler. col. in Bibl. vet. PP. Tom. 15. Oleaſter in cap. 9. Geneſ.*

Agedum, hîc attentos vos velim, dicite, quis fuit ille qui Noëmum inhonoravit? Cham. Quiſnam maledictus à Noë? Chanaan filius. Si tamen hic innocens, ut quid in eum maledictio fulminatur? Pace tuâ, mi Noëme, injuſtitia illa evidens eſt, & nimis enormis. An ergo ignoras dictum in Lege: *Delictum patris filio nocere non debet?* Scio (inquit Noë) at volo ut patris iniquitas in filio puniatur & pro reo plectatur innocens. [Admonet locus iſte (indicat Oleaſter) quantâ diligentiâ parentes à peccatis cavere debeant, ne in eorum filiis, aut poſteris peccata ſua puniantur. Expreſſiùs Vincentius Lirinenſis: *Tantam læſæ pietatis meruit offenſam, ut etiam poſteri ipſius peccati ſui maledictis obligarentur.*

*L. Adopt. in fin. ff. de unius voc. L. Sanc. c. de pœn. reg. Oleaſt. ubi ſupr. Vincent. Lir. Com. 1. c. 11. in Bibl. vet.*

De facto equidem conſtat propter unum malum puniri multos. Æthiopes omnes facie tam nigri oriundi ſunt ex ſtirpe Cham, nigredine illâ & turpidine impreſſâ manente ut pœnam luant peccati Cham, unde Æthiopes. Genebrardus hîc atteſtatur. (Certiſſimum eſt, originem nigredinis (id eſt Æthiopum) non à Regione propria, ut hactenus exiſtimatum eſt, ob ſolis ardores, ſed à ſtirpe & à ſanguine Cham provenire.)

*PP. Ier. l. c. 2. Oleaſt. in cap. Gen.*

Teſtes modò ſint noſtri Redemptoris Apoſtoli quàm verum hoc, experti, cùm ob præſentiam unius mali, videlicet Judæ, periclitati ſunt omnes, indubiè ſubmergendi, ſi non eis Chriſtus ſuccurriſſet. Certiſſimum igitur, quòd *unius Iudæ peccato cuncti periclitantur Apoſtoli.*

*D. A*

Provinciæ multoties paſſæ ſunt, tametſi culpæ non eſſent obnoxiæ. Iſraelitæ præliabantur contra Philiſtæos & in medio conflictus ab inimicis capta eſt Arca Domini, & locata in templo Dagon, ut propterea iratus ſit Deus, immiſitque Philiſtæis plagam. *Fiebat manus Domini interfectionis magnæ nimis.* Conſilium inierunt Philiſtæi, quid opus eſſet facto, ut liberarentur à graviſſimo iſto malo: atque tandem concluſum eſt, ut Iſraelitis Arca reſtitueretur, & in ſignum pœnitudinis pro delicto commiſſo, Deum Iſraelis munerum oblatione placarent. *Et redderet aliquid Domino pro delicto.* Atque in eum finem congregatæ ſunt omnes Philiſtinorum provinciæ, urbes, terræ & caſtella, ut à ſingulis contribuerentur denarii ad faciendam oblationem. *Iuxta numerum provinciarum Philiſtinorum, quia plaga una fuit omnibus.* Stupendum hoc: erratum eſt à militibus, & integræ hoc Provinciæ imputatur. *Quia plaga una fuit omnibus.* Vel ut legunt Septuaginta, *Quia error unus fuit omnibus.* Sixtiana habet: *Quia delictum unum fuit omnibus.* Quod plus eſt, civitates ſingulæ, oppida & caſtella ad contributionem vectigalium compellebantur. Fortenè ideo, quia in ablatione Arcæ iniqua, & collocatione in Templo Dagon cooperati ſunt, intentione ſaltem & affectu? Sic bene eſſet, cùm decretum ſit: *Agentes & conſentientes pari pœnâ puniuntur.* Dicamus, ut propoſitum, haberi juſtum, quaſi reus ſit, & innocenti vectigal imponitur, atque ita propter milites unius exercitûs, Philiſtini delictum contrahunt & luunt pœnam. *Omnes pariter, ſi non facto ipſo, ſaltem voce & aſſenſu ea ſacrilegia commiſiſſe, & proindè omnes ad eandem ſolutionem fuiſſe obligatos.*

*1. Reg.*

*1. Reg.*

*Septuag. Interp. Sixt.*

*L. Iub. œcon. C. Sacr. E. c. 1. de deleg. ſuis com. Fr. Mo. in lib. R. ibi.*

Sed quid dico Provincias? Conſtat enim ob unius peccatum integra Regna puniri. Mandavit Deus Joſue, ut colligeret militem & faceret copioſum exercitum quo deſtructum eat civitatem,

tem Jerico; eo tamen pacto, ut nemo militum in ſpoliatione urbis aliquid præſumat ſurripere: incendio pereant omnia. Facturum id ſpondet Joſue. Milites convocat, jubetque Dei nomine, ut caveant in deſtructione civitatis argentum, aurum aut quid aliud accipere. Invadunt itaque, occidunt, incendunt promiſcuè omnia & funditus perdunt. Unicus cui nomen Achan, domum quandam ingreſſus reperit laminam ex auro, & furtim abſtulit *Achan filius Charmi tulit aliquid de anathemate.* Ægre tulit hoc Deus & graves querelas apud Joſue depoſuit. *Filii Iſrael prævaricati ſunt mandatum, & uſurpaverunt de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua.* Et quam graviter iratus ſit, ex verbis colligite. *Iratuſque eſt Dominus contra filios Iſrael: Non ero ultra vobiſcum.* Hîc duo ſunt ponderanda: Primùm, quòd ſolus Achan deliquerit. *Achan ſolus, & non plures Iſrael hoc fuerunt,* inquit Angelomus: ibi tamen culpantur Iſraelitæ omnes ut tranſgreſſores. *Prævaricati ſunt mandata &c.* Secundum, quod non ſoli Achani iratus Deus, ſed cunctis Iſraelitis, minatus quod omnes luerent, cùm vellet eos deſerere. *Non ero ultrà vobiſcum.* Si fecerint quod illis præceperat Dominus, cur patiuntur? Ergo nec innocentiæ parcet juſtitiæ gladius. Optem vel umbram videre alicujus mali, in quo culpari poſſent filii Iſrael, ut ſic rigorem excuſem juſtitiæ: exceſſus nimis notabilis eſt; ſiquidem caſtigat, qui non fecerunt malum, & de furto arguuntur, qui fideles ſunt, nec unquam rem alienam ſurripuiſſe viſi. Arguendus fuerat Achan & ſolus ipſe culpandus, dicto. *Achan prævaricatus eſt, & non ero ultrà cum eo.* Ah! grave nimis cenſendum hoc malum ob quod puniti ſunt & reliqui Iſraelitæ innocentes. Verba ſunt Divi Auguſtini: *Oſtenſum eſt quantum malum fieret, ſi univerſa congregatio peccaſſet, quando ne unus quidem ita potuit judicari, ut ab eo poſſent cæteri eſſe ſecuri.*

Ioſue. 7.

Ang. Strom. in 3. Reg. 7. in Bibl. vet. PP. t. 9.

S. Auguſt. q. 9.

Si vel provincias ſolùm & integra regna peccatum gravaret, tolerabile ſit; ſed quod longè peſſimum, in totum mundum virus exerit & activitatem exercet. Narratur (quod fabuloſum eſt, cum tamen veritatis aliqua umbra) Prometheus, filius Japeti & pater Deucalionis hominem formaſſe ex luto: quem ut animaret, Minervæ auxilio in cœlum aſcendit, ut ignem admotâ face ad rotam Solis furatus, ceu animam infunderet. Temeritatem illam maximam indignè tulerunt Dii & irati ſunt valde, Et, quia *nullum malum impunitum*, febres in terram miſerunt & alios morbos, ut ſic ab omnibus mortalibus lueretur, quod ipſe Prometheus deliquerat. Refert fabulam his verbis Servius: *Prometheus auxilio Minervæ poſt factos à ſe homines, dicitur cœlos aſcendiſſe & adhibitâ facula ad rotam Solis ignem furatus. Ob quam cauſam irati Dii, duo mala miſerunt terris, febres & morbos.* At quid mali fecit univerſus orbis; hoc ipſo innuebant Dii, quòd ob unius peccatum omnes homines totius mundi eſſent puniendi, Darius non ſolùm occidi juſſit Intafernem, ſed & filios & totam familiam, delevit, ut referunt Ammianus & Herodotus. *Ob noxam unius, omnis propinquitas perit,* Artaxerzes ſibi rebelles interfici curavit ad unum omnes cum uxoribus & liberis.

Servius. Sophus Herodot.

Ammian. Marte. Iuſtin. lib. 10.

Hoc, crediderim, inferre Zacharias Propheta intendit ſub cedri, abietis & aliarum arborum metaphora. Verba dirigit ad abietem, ut ad planctum, ni fallor, excitaret. *Vlula abies.* Quæ cauſa ſit gemitus? Fortaſſis quia viciſſitudini temporum, aëris inclementiæ & procellis obnoxia? an fortè extincta eſt arbor vicina conſimilis? Legit prætereà Anaſtaſius Nicenus: *Vlulate omnes arbores.* Plangite quotquot arbores creſcitis ſuper terram. Fortè adverſam patiuntur terram & negantem humores, ſine quibus pereant neceſſe eſt, inde evellendæ & in ignem projiciendæ? Non id eſt, quod movet, inquit Propheta, ſed quia validiſſimo venti impetu agitata cedrus in terram dejecta eſt. *Quia cecidit cedrus.* Sed quid aliis arboribus cum lapſu cedri, modò illæ firmæ conſiſtant, bene in terra radicatæ?

Quia tamen Apoſtolus monet: *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat;* corticem litteralem relinquentes, ad medullam veniamus & intrinſecum ſignificatum penetremus; atque hoc quia myſterioſum eſt, ſpiritui conducet. Per cedrum lapſum Zacharias intelligit Adam tranſgreſſorem, qui flatu rapido aquilonis infernalis agitatus non modò cecidit, ſed in vallem miſeriarum eſt præcipitatus: arbores verò plangentes, homines ejus poſteri intelliguntur: q. v. d. Propheta: Plangite cum lachrymis quotquot eſtis rationales creaturæ, quia caſus cedri, Adami, inquam, peccatum lædet omnes, eritque miſeriarum veſtrarum origo. Et, Fateamur verum NN quid miſerum in hoc mundo, quid funeſtum quod à lapſu cedri hujus non traxit ortum? Ezechielem Prophetam interrogate: *Patres noſtri* (habet ipſe) *manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Ezech. 18

*Paraph. Chald. Hect. Pint. ibid.*

*ſcunt.* Paraphraſis Chaldaica legit, *Patres peccaverunt & filii vapulant. Hoc eſt,* (explicat modernus author) *illi commiſerunt ſcelera, Deum ad iram provocantia pro quibus nos filii luimus pœnas.* At ſi guſtarit Adam pomi dulcedinem, cur non æque ſenſit acerbitatem? Lege præſcriptum eſt: *Ejus eſt periculum, cujus eſt commodum.* Unus quidem peccavit (dicit Ezechiel) ex eo tamen omnibus damnum emerget. *Fortibus cadentibus* (concludit Anaſtaſius Nicenus) *erudiuntur & caſtigantur, quæ ſunt imbecilliora.* Et ad rem Turcius Ruffus:

*L. Super. C. de temp. in integr. reſt. jus de uſu. §. 1. Anaſt. Nicen. Turcius Ruf. Aſtor in Bibl. vet PP. Tom. 6.*

*Unius ob meritum cuncti periêre minores.*

Lex ea eſt (NN.) tam univerſalis, ut, quantumvis ſanctus ſit aliquis, & innocens, excipi tamen non permittatur. Dicite an fuerit unquam ſanctior & juſtior quàm ipſemet Dei Filius unigenitus? ſed tamen in eadem eſt navi cum Apoſtolis reliquis: ut vel ex iſto caſu etiam conſtet, quòd ne quidem Filio Dei lex iſta parcat; ſaltem quantum ad intentionem, ſi non ad executionem. Deprehenditur in delicto mulier & ab Hebræis accuſatur de tranſgreſſione legis Dei & Moyſis: ad Chriſtum perducunt, dicentes: *Mulier hæc modò deprehenſa eſt in adulterio.* Verùm quid erat opus eam coram adducere ad Chriſtum, ut abſolveret ipſe, vel condemnaret ad lapidationem? Lex erat evidens & ipſimet apertè fatebantur: *in lege Moyſis mandavit nobis hujuſmodi lapidare.* Si ergo lex clara, quid opus adhibitâ cautelâ & tantâ circumſpectione, ut etiam ad Chriſtum deferretur? Deerant fortaſſis Rabbini & legis Doctores, qui ſententiam definirent? Reſpondet Ludolphus Carthuſianus: *De juſtitia facienda non curabant, ſed Chriſtum in ſermone capere volebant:* (quomodo, jam dicit,) *ut ſi eam lapidari judicaret, quaſi crudelem & contrarium miſericordiæ eum irriderent, & non habentem miſericordiam, quam populo prædicabat. Si autem dimitti decerneret, quaſi contrarium juſtitiæ & prævaricatorem legis, quæ adulteram lapidari præcepit, eum ipſa adulteræ reum mortis judicaret.* Ita ille. Audite, quomodò malitiam Hebræorum Janſenius expendat: Sic itaque inter ſe muſſitabant: Abſdubiè ſententiam feret, ut lapidibus occidatur adultera, ne legem ipſemet tranſgredi videatur, & illicò acceptis lapidibus ipſum loco adulteræ occidemus, & ita pro delinquente juſtus plectetur. *Futurum ſperabant, ut pro muliere coorto tumultu lapidibus obrueretur ipſe.* Sed quod non auſi Hebræi, executi ſunt impiè Chriſtiani,

*Joan. 20. Levit. 20. Ludolph. Carth. P. 1. c. 83. Corn. Janſ. in Cant. Evang. cap. 76.*

cùm ob perditos in ludo nummos in deſperationem acti in Deum invecti ſunt & ſanctos, horrendum in modum blaſphemando: modò inſtar canum rabidi in Deiparæ Virginis impingendo ſimulachrum argenteum, quod in hodiernum diem in æde S. Spiritus conſpicuum aſſervatur.

In templo S. Eligii Neapoli, an non adhuc videre eſt imaginem Virginis, cui ſex ictus inflixerat ludo idem perditus nebulo?

Alii impietate non inferiores in illa ipſa civitate effigiem *Ecce homo*, pugione auſi ſunt aggredi & Chriſti latus dextrum perforare. Mediolani in Eccleſia S. Satyri Salvator Beatiſſimæ Virginis ſinu exceptus, a luſore vulnus in gutture accepit. Nunquid Miles ſceleratior in Deum & Virginem Matrem blaſphemus, ſtricto gladio crucifixum ſuper altare percuſſit in fronte, pectore & benedictis pedibus? An fortaſſis in culpa ſit crucifixus aut Virgo Mater, & cauſa perditionis?

Si Dei Filius ſanctiſſimus & innocentiſſimus, injuſtè ſit ad eam politicam coactus, quantò magis nos peccatores? Quapropter ſi quando contigerit cum navi Evangelica innocenter fluctibus jactari, adverſitatibus & miſeriis quotidianis concuti, patiamur fortiter, nec ſecurior eſt ad portum via quàm ut ad Dominum refugiamus, humiliter precando, *Domine, ſalva nos, perimus,* eritque confeſtim mare tranquillum, & ſedati tribulationum fluctus.

At cùm ſæpè unus in culpa ſit peccati multorum, facite modò ut charitas veſtra utilis reddatur multis pauperibus quos commendo, ut ſit ipſis levamen, & vobis cedat meritum. Si magna neceſſitas, ut revera eſt, non minor ſit eleëmoſyna; & ſi egeſtas multùm cruciet miſeros, liberalitas veſtra eò magis alleviet, & recreet fame oppreſſos.

## PARS SECUNDA.

SI tantorum malorum cauſa ſint aliena peccata, quid de propriis inferemus? Credite mihi verum, non eſt in mundo infelicitas, nec unquam patitur homo naufragium, quin ſuſtinere debeat culpam, & illa eſt omnis mali cauſa. Ridendi ſunt illi, qui pro ſiniſtris eventibus ad conſtellationes recurrunt, & meritò redarguit Chryſippus:

*Quàm falsò accuſant ſuperos ſtultique queruntur*
*Mortales! etenim noſtrorum cauſa malorum*
*Ipſi nos ſumus; & ſua quemque vecordia lædit.*

Cretus

Cretus Scotorum Rex in hortum amœnum ingreſſus, ſtatuam vidit; ſiniſtrâ pomum aſpectu pulchrum, dextrâ ſagittam vibrabat eâ artis induſtriâ, ut ſi quis cupidus pomum accepiſſet à ſiniſtrâ, ſagittam dextera emittebat & ei pectus transfigebatur: tantundem Regi evenit. Ad motes accommodemus. Peccatum ſiniſtrâ actionem illam, fructum iſtum delectabilem exhibet, ſi complacendo vel ſolâ voluntate adhæreas aut opere contingas, dextrâ ſagittam immittit in animam, ad mortem vulneratur, & infinitis calamitatibus corpus ſtatim obruitur. Unde familiare eſt S. Gregorii dictum: *Mala, quæ patimur, peccata noſtra meruerunt.*

Ut magnes ferrum, ita peccatum omnes ad ſe ærumnas trahit. Quis credat nobilem iſtum, qui olim tam dives & potens rerum dominus, hodie tam abjectæ eſſe ſortis & ad extremas calamitates redactum? Adverſa ſibi ſentit omnia, carceres ſuſtinet, perſecutiones & bonorum jacturam, eaque partim fiſco tradita quæritur, partim creditoribus, reliqua à prolibus dilapidata. Atque undè hæc acerba paupertas? Non ab eis, quæ jam dixi (extrinſeca illa ſunt) niſi quaſi per lineam tranſverſam; at directè à peccato derivata. *Non procellæ ſævientis atrocitas, neque violentus hoſtis furor, neque tribunalium rapaces miniſtri depauperant miſeros mortales, ſed furax peccati vis homines bonis ſuis expoliat, & ad miſeram pauperiem redigit.*

*Did. Cal. in Judith. c. 1. v. 5. § 17. n. 72.*

Adfert S. Lucas in Evangelio, quomodò Deus Iſaiam Prophetam elegerit, quem mitteret ad prædicandum. Verbis iſtis loquitur: *Evangelizare pauperibus miſit me.* Deus me deſtinavit ad pauperes, ut eis ſanctum Evangelium annunciem. Ut quid pauperibus ſolùm? Cur non æquè divitibus? fortè non indigent Dei verbo, aut certè non curarent, nec eo proficerent. Theophylactus ait: *Pauperes interpretantur peccatores,* quaſi apud Prophetam, idem ſit peccatorem eſſe, & pauperem; quia peccatum homines ad inopiam maximam præcipitat. Expertus eſt Job, teſtabitur ille. Poſtquam perdidiſſet armenta, ſegetes, filios & quidquid boni poſſidebat, eò miſeriarum jam redactus, ut de eo verè jam dici poſſet: *A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* Cœpit maledicere & execrari: *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.* At quomodo perire jam poterant dies & nox in qua conceptus fuerat, cum jam non amplius eſſent à multis annis elapſa? Ariſtoteles namque aſſerit: *Futurum non eſt adhuc, præteritum jam receſſit, & de tempore non habemus niſi nunc.* Ut proinde videri poſſit inſipienter Propheta locutus. Cur non potiùs dixerat: *Pereat dies*, in qua à ſumma rerum opulentia deturbatus ſum ad præſentem miſeriam & egeſtatem. Ah! magna hic Jobi elucet prudentia, cùm non maledixerit diei & nocti *in recto*, ſed *in connotato*, id eſt, maledixit conceptioni, in qua contraxerat originalem culpam, ex quâ credebat exorta, quæ patiebatur in præſenti mala. Eam fuiſſe Job patientiſſimi mentem affirmat Divus Gregorius Papa. *Vir ſanctus nihil ſpeciale in ſpeciali vulnere cogitans, reducit ad animam originem culpæ, Videt humanum genus unde, & quo cecidit, & dicit: Pereat dies in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.*

*Luc. 14.* *Iob. 3.* *Ibi.* *In c. 3. Iob.*

Apertè ergo confeſſus eſt infortuniorum omnium aggregatum à peccato originali promanare, & ex conceptione ceu ſcaturigine cunctarum miſeriarum aquas erumpere. Denique, verbo uno divitiis ſe naufragum innuit, & in hoc infelicitatis mari ad ſcopulos extremæ paupertatis projectum. Ut meritò dicat ſanctus Petrus Chryſologus: *Qui vitiis vivit, ſepelitur fama, perit gloriâ, creſcit infamia.* Et unde corporis infirmitas oritur, ſi non à commiſſo peccato? *Serm. 1.*

Tertullianus peccati qualitates attentiùs expendens, voraginem ſalutis vocat. *Peccata ſunt devoratoria ſalutis.* Non jam lubet nec vacat huc revocare priſcorum ævum, & eventus referre tum ſacros, tum profanos. *Lib. de Idolat. c. 1.*

Mecum videatis (NN.) adoleſcentem illum, quàm in ætatis eâ parte alioquin amœniſſima, non roſeo colore vernans ſit in facie, ſed pallido, & mortuo ſimilis dicatur, vultu exeſo, exhauſtis viribus, cruciatum ſentit in renibus non tolerabilem, brachium ei rigens, pes dolens, imò totum corpus adeò infirmum ut diu noctuque torqueatur miſer. Aſtrologus eſt temporis, à quo dum recipit monita, prædicit ejus mutationes: guſtum perdidit, & cibos abhorret ſtomachus: ſi decumbit, lamentatur; ſi obambulat, cruciatur ſenſibiliter & languet. Medicorum ſequi præſcripta non ſufficit, dietam obſervare nil juvat, non cooperantur pharmaca, paulatim deficit, & vix annos pubertatis attingens, videri poſſit decrepitus ſenex. Negari non debet quod Philoſophus aſſeruit, parvum eſſe mundum; ſiquidem non modò nomine videre liceat, ſed reverâ in capite mundum, totum dico canum.

Ad fulcra lignea redigitur vacillantibus membris, quod tamen ſenectuti reſervati ſolitum *Tertull.* privilegium in cadente illa ætate. Quàm inviſa ea eſt & inſolita infirmitas? Unde orta eſt illa indiſpoſitio? à diſſolutis ejus moribus & perverſa vita. *Iob. 4.* *Peccata devoratoria Salutis.* Eò dictum Jobi: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, ſeminant dolores & metunt eos.* *In Pſ. 7.* Confirmat D. Chryſoſtomus. *Nemo eſt, qui vivat in ſcelere, qui non innumerabiles dolores ſuſtineat.*

Et quæ poſſit evenire major adverſitas aut triſtius naufragium animæ quàm bonorum omnium ſpiritualium & æternorum jactura? Ea tamen perditio fit propter unicum delictum, licet mille anteà virtutibus foret anima adornata. Et hoc ſancto Petro Apoſtolo perſuaſum aliquando voluit Salvator. Apoſtolus ille videns Magiſtrum proſtratum ad lavandos ejus pedes, obſtupuit, ſeque reverenter humilians, impedire conatus eſt. *Ioann. 13.* *Domine: tu mihi lavas pedes?* Ubi notat Chryſoſtomus: *Hom. 69. in Ioan.* *Quod non paruit; amoris fuit & reverentiæ argumentum*, quaſi ita vellet inferre, ſubdit Ludolphus Carthuſ. *c. 31. P. 2. c. 54.* *Tu Dominus, ego ſervus: Tu Deus, ego homo: Tu Creator, ego creatura; & tu mihi miſero, pauperrimo, humillimo piſcatori lavas pedes ſordidos, & infimum in corpore membrum manibus his, quibus cæcis oculos aperuiſti, leproſos mundâſti, mortuos ſuſcitaſti, vis lavare mihi pedes peccatori, tu qui es Filius Dei? hoc indecens eſt & nullo modo ſuſtinendum. Non lavabis mihi pedes in æternum.* Notate Salvatoris reſponſum. *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Quid agis, Salvator, bone? *L. Invito ff. de re in l. nec emere c. de jur. delib.* *Beneficium non confertur in invitum?* Ah Petre? (ait Chriſtus) neſcis forſan quanta ſecutura ſint mala ſi a te nunc fero repulſam, quæ vix umbram quidem habere peccati videtur, cùm procedat non à voluntate rebelli & perverſa, ſed reverentiali potius & humili inclinatione; error hic tibi exitialis erit. dictum eſt ſatis: *Non habebis partem mecum.* Gratiam meam perdes & Apoſtolatum, non eris paſtor gregis, neque Eccleſiæ meæ Pontifex ſummus: tollentur à te bona ſpiritualia: excludêris à gloria & æterna beatitudine, ſic ut ob unicam noxam paſſurus ſis naufragium, & navis animæ tuæ onuſta bonorum operum mercibus raptanda in æternæ damnationis profundum. Quomodò (ſubinterrogat ſanctus Pater Baſilius) ex unico delicto exterminium? Unica culpa erit tot ærumnarum origo? *In Reg. brev. ... ter. ...* *Nunquid ex omnibus rectè factis, ſi unum aliquid alicui tantum abfuerit, is propterea ſalutem non adipiſcatur? Vbi una tantùm in re ex reverentia potiùs, quàm ex negligentia, viſus eſt ab obedientia diſcedere, propter hoc ipſum tantùm ei dicitur: Niſi lavero te, non habebis partem mecum.*

Undè ſicut navis Evangelica propter unum ſolum peccatorem periclitabatur, ita anima noſtra propter peccatum unicum, diſcrimen incurrit æternæ ruinæ. *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu.* Gigas totus in armis erat, ſola fronte nudatâ, & ideo vitam perdidit & victoriam. Quid tibi prodeſt, mi Chriſtiane, ſcuto fidei armari, ne hæreſis occumbas telis? quid juvat oculis obducere modeſtiæ velum contra laſcivas concupiſcentias? quid munire pectus clypeo patientiæ, manum liberalitatis haſtâ, cor malleo charitatis, os fræno jejunii, ſi non obtegras unà frontem caſſide humilitatis? Anima noſtra civitas eſt: ſed quid ei proderunt Sacramentorum fortiſſima mœnia, quid Angelorum excubiæ, bonorum operum phalanges & armatura virtutum? quid ſi quatuor feneſtras habeat obſerratas pravis deſideriis, ſi vel unica ſemper aperta ſit vitiis? ſola illa ſufficerit ad ejus perditionem. Novus ſis Alcides licet, & ſex capita detrunces hydræ infernali, per quam peccatum intelligo, quaſi nihil feceris, quamdiu ſeptimum remanet ſuperandum. *Aut omnia, aut nullum.* Lex habet: *L. Fin. C. de his quibus ... indi.* *Nihil actum dicitur, quoties aliquid ſupereſt agendum.* Sequamur ergo conſilium S. Gregorii, ſiquidem, ut fusè jam dictum eſt, *Mala quæ patimur, peccata noſtra meruerunt. Auferamus malorum fontem, & omnia malorum ſiſtent fluenta.* Ite in pace.

*.*

# DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

## ARGUMENTUM.

Omnia ſunt in mundo varia, mixta, & turbulenta. Non creſcit felicitatis hic granum, quòd à zizaniorum immixtione ſit purum. Voluptas nulla ſine dolore, ut ſine ſpinis roſa non naſcitur, neque mel ſine fellis amaritudine deguſtatur. Quidquid humanum, variis agitatur vicibus, & continuis ſubjacet mutationibus.

## THEMA.

*Domine, nonne bonum ſemen ſeminiſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?* S. Matth. cap. 13.

ACademici ſecum felicitatis bona & infelicitatis mala æquâ ſcientiæ trutinâ diu examinârunt, ſitnè major humana felicitas, an infelicitas, dignitas, aut naturæ abjectio. Opinione laborantes hactenus aſſenſionem cohibuerunt. Rationes utrimque diſcutiamus.

Magna Deus homini contulit beneficia, eſſe dedit cum lapidibus, vegetare cum plantis, ſentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Tribus animæ potentiis dotavit, videlicet memoria tenaci, ne collata cælitus beneficia facilè excidant: intellectu perſpicaci, quo Deum Authorem omnis boni agnoſcat: voluntate liberâ, quâ ad bonum ſe applicet, & à malo procul ſequeſtret. Adſtipulatur ſanctus Pater Auguſtinus, dum ita loquitur: *Licet appellaris homo unus, tres tamen habes à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto conceſſas dignitates, id eſt intellectum, voluntatem & memoriam.* Hominem reverentur feræ, tributum rependunt plantæ, motu impulſæ petræ obediunt, citato fluxu accelerant flumina ad obſequendum, & ut canit Pſalmiſta: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, Dando ei* (explicat Dionyſius Carthuſianus) *poteſtatem ſuper ea, ut omnia ſint ei ſubjecta.* Homo inter creaturas omnes præeligitur qui ſit totius univerſi Monarcha, Dei in terris Vicarius & miraculorum miraculum, Triſmegiſto aſſerente: *Magnum miraculum eſt homo.* Et meritò cùm ſic æſtimet Abdala Saracenus: *Nihil homine admirabilius.* Plotinus: *Homo eſt quoddam omne* D. Gregorius Pontifex: *Homo eſt omnis creatura.* Plato: *Divinum genus hominibus ineſt.* Pythagoras denique: *Homo eſt Deus mortalis.*

*T. 4. c. 1. de ſalut. docum.*

*Pſalm. 8.*

*In Pſ. 8. n. 6.*

*Merc. Trim in Aſcl. l. de ſpir. & an t. 3. c. 14. & 15.*

Verum quidem: ſed quidquid in mundo bonum, impurum eſt, nullum ſine defectu. Vix naſcitur homo & priùs videt miſeriarum caliginem, quàm ſplendentis Solis recreantem lucem: antè luctui datur, quàm gaudio: non reſpirat quin ſuſpiret: nimio ſibi comparat vitales auras, gemituum pretium pendens, & ſic lacrymarum rore primos ætatis germinantis irrigat flores. Unde optimè olim Poeta.

*Optima non naſci res eſt mortalibus ægris.* *Theog. Poeta.*

Creſcente annorum computu, adaugetur etiam gravior cura; at verò ætate decrepita ærumnarum fit omnium aggregatum, nec antè à miſeriis eripitur, quàm defungens vitâ à morte ad antiquam omnium matrem revertitur, vix relictâ in vivis ſui nominis umbra. Auguſtinus in perſona propria communem hanc noſtram miſeriam ita deplorat: *Infelix homo quid ſum?*

*Tr. 9 c. 2. Soliloq.*

*Abyſſus tenebroſa, terra miſera, filius iræ, vas apertum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miſeria, moriturus in anguſtia. Heu! miſer quid ſum? Heu? quid futurus ſum? Vas ſterquilinii, concha putredinis, plenus fœtore & horrore, cœcus, pauper, nudus, plurimis neceſſitatibus ſubditus, ignorans introitum & exitum meum. Vita mea fragilis, vita caduca; vita, quæ, quantò magis creſcit, tantò magis decreſcit; quantò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit.* Breviter, neminem à communi hac clade natura exemit, *Alius damno afficitur & plangit, alius orbitate percuſſus luget, alius à Patria exulatus mœret, redire cupit, intolerabilem peregrinationem reputans.* Quid ergo eſt homo? Ariſtot. delineat & reſpondet: *Fortunæ luſus.*

S. Aug. in Milleloq. verb. trib. Apud Stobæum.

Si quid ego ſentiam, nunc proferre ſit liberum, judicio meo, in mundi hujus agro vaſtiſſimo bonum ſemen comitantur zizania, & homini creſcit utrumque, ut cùm metit grana, interſata inevitabiliter etiam ſequantur zizania: nec unquam favores arrident, quin & adverſa turbent & perterreant, ut proinde cum S. Proſpero concludam: *Infelix nimis eſt proſperitate ſuâ*, in tantum, ut miretur Evangelicus agricola: *Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? unde ergo habet zizania?* O munde, quàm fallax es, dum ſub mentita ſæpius dulcedine amaritudinem ſemper commiſces, nec unquam, mortalibus exteriùs rides, niſi ut magis interiùs crucies! *Quid eſt hoc ſæculum* (quærit beatus Alcuinus) *niſi miſeriæ & velut umbra fugax, & ſeducens delectatio?* Hoc ſummatim oſtendam ex præſenti Evangelio. Attendite.

## PARS PRIMA.

GRanum in mundo non invenitur ſine zizaniis, nec ſpica ſine annata ſpina. De Diagora ſcribit Tullius cum Gallio: *Cùm tres filios athletas eodem die vincere, & victores coronari vidiſſet, populuſque gratulabundus flores undique in eum jacerent, in ſtadio ſpectante populo in oculis & manibus filiorum animam efflavit præ lætitia.* Ecce flos & radix, ſpica & ſpina, granum & zizania, cùm filii in triumphis & triſtitia verſarentur, accidit triſte infortunium patris: Patri gaudium in victori filiorum, & prolibus mœror in obitu parentis; atque ita, ut major fuerit ſubortus dolor quam brevis illa lætitia. Hinc loquitur Seneca: *Profectò felicitas tunc, cùm maximè de-*

Cic. l. 1. Tuſc. quæſt.

Seneca l. de vita

*lectat, extinguitur, nec multum loci habet. Itaque citò implet & tædio eſt, & poſt primum impetum marcet. Ita non poteſt quidem ulla eſſe ejus ſubſtantia, quod venit tranſitivè, celerrimè in ipſo uſu ſui periturum.*

Hunc ſibi favorem ab Aſſuero petiit Regina Eſther. *Si Regi placet, veniat & Aman tecum ad convivium, quod paravi.* Placuit invitatio: & poſtero manè adfuturum addixit. Ad Aman nuncium mittit, ut Reginæ favorem ei inſinuaret. Gaviſus ille hoc intellecto & ambitionis æſtu accenſus adeò intumuit, ut coram Aulicis nimio faſtu cœperit jactare intolerantiùs: *Ego ſum pranſurus cum Rege & cum Regina.* Arroganter ſe prætulit omnibus, imò cum illis dedignatus eſt converſari & vel ſemel aſpicere: Superbia viſus eſt ſuſtentari, & exaltari ambitione, donec mutaretur fortuna, quæ blandâ ſpe vanum hominem altiùs evexit, ut inde magis deprimeret.

Eſther

Poſtridiè extructâ jam menſâ regalibus epulis aſſedit Rex, ad Regis dexteram Eſter, & ad ſiniſtram Aman. Locus iſte honoratior, Aman, funeſti eventûs augurium eſt. In menſa Regis convivando grana felicitatis jam habes, ſed ad ſiniſtram reſidere malum omen eſt, quòd naſcentur zizania odii & perſecutionum. Pleno jam convivio cœpit Eſther de novo ſupplicare. Cui Aſſuerus Rex: *Quæ eſt* (ait) *petitio tua, ut detur tibi? & quid vis fieri? Etiamſi dimidium Regni mei partem petieris, impetrabis.* Obſecro, mi Rex, & unicum hoc volo, ut Aman ille ſceleratiſſimus & ſtirpis meæ infenſus hoſtis, in patibulo pendeat, quod aliis erigendum curavit. *Appendite Aman in patibulo. Et ſuſpenſus eſt.* Ecce zizaniorum germen exortum *in medio tritici.* Amani Regales dapes infectæ mortis veneno. Et inde recordatus eſt, quia ſub favorum hujus ſeculi floribus fœtor malorum ſerpens lateret: ex convivio collegit funeſtum prologum tragœdiæ ſecuturæ; & parùm cogitabat ſplendidum hoc epulum eſſe præambulum tam vicinæ & certæ mortis. Hoc mercedis granum, quod ſuis ſervitoribus mundus pendit. Hæc via eſt quâ citatis paſſibus multi ad interitum currunt, & ſic in miſeriarum omnium profundiſſimam cadunt abyſſum. (Sanè nunquam in Aman ſævior, quàm cum illum excipit convivio: ineſcat illum, ut capiat; impinguat illum, ut mactet.] Adeſt Rupertus Abbas: *Vt tradat ad ſupplicium, allicit ad edulium.* Et D. Ambroſius: *Rogat ad jucunditatem, cogit ad mortem: invitat ad prandium,*

Did. Per. t 1 l 3 de Elia & jejun. c. 14.

*& ferre*

*& ferre vult ad ſepulchrum : cibos promittit, tormenta irrogat: vina præfundit, venena ſuffundit.*

Credite (NN) in hiſce inferioribus nil ita mellitum, quin amaritudinis non parum habeat immixtum Jonathas filius Saulis Regis Philiſtinorum caſtra, tunc & loci arduitate munitiſſima, & armatorum copiâ ſuperba evertere aggreſſus eſt, totam noctem manu forti contra confixit, proſtratoque Philiſtinorum ingenti numero victor triumphavit. Manè debilitato corpore & penè exhauſtis viribus, ad umbram quercus paululum ſubſedit : & in cælum ſuſpiciens. Deo gratias dicturus pro adepta victoria, apum examen in ramo vidit, favoque mellis allectus,

1. Reg. 14.

*Extendit ſumitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis & convertit manum ſuam ad os ſuum.* O Deus bone! Quanta eſt hæc dulcedo! Sentio reſtaurari vires, & qui ſtatim in mortis agone certabam, de novo jam reviviſco. Benedicta ſit cæli clementia, eroque pro ſingulari favore æternum gratus. Et ecce à caſtris ſubitò acceſſit miles, & ut aſpexit, cœpit altum vociferari, Ohe! Quid hoc agis generoſiſſimè Princeps; An te latet generale edictum Patris tui Regis; ſub pœna capitis omnibus edulium hoc die ſeverè prohibuit; & ſic primus tranſgrederis? Morte tranſgreſſionem hanc lues, & qui non timuiſti rigorem legis, experieris ſæviente ferro acerbitatem necis. O mi Princeps Sereniſſime! ex corde condoleo: unà cum grano dulcedinis contraxiſti zizanium amaritudinis; O quàm ſæva illa bonitas eſt & acerbus guſtus, ubi multi cum Jonatha inter auratos mellis favos mulctantur vitâ. (Guſtavi in ſummitate virgæ paululum mellis, & ecce morior.) Adnotat hujus ſæculi ſcriptor. (Ubi vitam ſperabat, mortem invenit, & in vitali ferculo lethale venenum hauſit; & in mellis dulcedine, fellis amaritudinem agnovit. Quis non miretur, ceu potiùs lamentetur, Juvenem ante mellis eſum inſolenter exultantem, poſt eſum mirabiliter flentem?) Et Sanctus Ambroſius: *In exigua delectatione perpetua amaritudo eſt.*

*Fr. Mend. in l. Reg. ibid.*

Qui in ſomnio libare viſus dulcedinem mellis, ſacchari &c. guſtandæ aliquando amaritudinis credat præſagium, interprete Artemidoro. *Dulcis cibus amaritudinem tibi indicat.* Et inde putem ita dixiſſe Senecam: (Adeò ſunt gaudia, ut ſæpè initia triſtitiæ futuræ ſint;) quia nemo guſtaverit dulcia, quin & amara. Mel ſine felle non datur, aut granum ſine zizaniis. *Unde ergo habet zizania?*

*Artemid. de interp. ſomnior.*

Emblemate res fiet clarior: depinxerat aliquis Cupidinem laſcivi amoris Deum, voluptatibus maximè allicientem, qui dextrâ roſam tenebat, ſiniſtrâ piſcem.

*Altera ſed manum flores gerit, altera piſcem.* *Andr. Alciat.*

Flores aut roſæ, mundi delicias indicant; piſces autem anguſtias, quod intus pleni ſint ſpinis & cordis puncturis. Hoc ipſo monſtratum eſt, inter voluptatum flores exoriri tribulationum ſpinas. Ut meritò interroget ſanctus Pater Auguſtinus: *Poteris te convertere ad aliquam voluptatem, ubi ſpinas non ſenſeris? In bonorum cupiditate, quantæ ſunt ſpinæ! Amores turpes quantas moleſtias habent!*

*In pſ. 93.*

Delectata eſt Rachel in flore pulchritudinis, ſed non ſine ſpina ſterilitatis. Liæ datum eſt granum fœcunditatis, at non ſine zizanio deformitatis. Cur pulchritudinem ſimul cum fœcunditate non conjunxit? *Quia Deus miſcet proſpera cum adverſis.*

*I. Haye auct: arbor vitæ in Gen. c. 19 n. 31. §. 153.*

Bona, fortunæque hujus ſæculi, Roſæ comparantur, non ideò ſolùm, quia luſit Poeta.

*Mitte Roſam, ut nôris fugitivæ gaudia vitæ,*
*Manè orta in tenebras languet eunte die,*

*Al. Novar. in riſu Sarden. c. 6.*

Verum etiam quod individuum habeat ſpinam, quaſi Roſa deliciarum eſſe non poſſit ſine mœroris ſpina *Mundani gaudii Roſa inſigne eſt, non ob brevitatem tantum, ſed quia ſpinis circumſepitur.*

Quàm recreatur papilio ad candelæ flammam, cùm toties circumvolitat ut lumen attingat, nec antè ſatiatur dulciter allectus ſplendoris decore, quàm ardore correptus crudeliter extinguatur. Unde Plautus Alcumenam Amphitrionis uxorem introducit ita loquentem: (Ita cuique comparatum eſt, ita Diis placitum, ut voluptatem mœror comes conſequatur.) Verè miſerabilis papilio, cum, propter apparentem ſolum pulchritudinem, delectamentum ſibi morte comparat, & ubi lux recreat, ardore conflagrat. *Tunc apparuerunt & zizania.*

*Plautus.*

Invitat mundus grano voluptatis ineſcans, at inde magis anguſtiat zizaniis adverſitatum diſcrucians. Blanditiis arridet quidem exterius, intus tamen procella deſævit. Hinc Iſaias presbyter meretricis habitu mundum repræſentavit: (Mundus eſt meretrix, quæ deſiderio pulchritudinis ſuæ ad concupiſcendum trahit videntes eã: qui autem paticulariter ejus amore deceptus, ipſum fuerit amplexatus, à manibus ejus non po-

*Iſa. presb. c. 2. de contempt. mundi.*

teſt evadere, donec ſpoliet eum, & cum expoliaverit eum omnibus, ejiciet eum de domo ſua.)

Nec facilè credendum, ſub coronato etiam capite granum felicitatis collectum ſine infelicitatis lolio reperiri. Et in Regum agris ſuccreſcunt abundè afflictionum zizania. Verum hoc fatebimini, ſi modo mentis aciem convertatis ad caliginem noctis fatalis, ubi Regi Balthaſari adeo opiparè apparatum eſt convivium, ut numquam ſplendidius potuiſſet. Convocati erant Regni proceres & quotquot venuſtiſſimæ matronæ, ut forte celebriores fierent exequiæ, tragico funeſtæ noctis eventu. Aula Regalis amicta tapetibus auro ſplendebat & margaritis: quicquid arte effici poterat, quidquid pretio comparari, videri ab omnibus poterat, ſed non ſine maxima admiratione. Nihil dicam de columnis marmoreis in cælum prominentibus, nil de menſis ex ebore artificioſiſſimè elaboratis. Tanta erat odorum incenſorum ſuavitas & fragrantia, ut Arabia credi potuiſſet. Menſæ ſaporatis ac exquiſitiſſimis ornatæ ferculis, & hinc illinc mille circumſtantes pediſſequi, omnes obſequentiſſimi, varia quiſque munia promptiſſimè obibat: fercula ferebant illi, reponebant iſti, alii coram Majeſtate Regia dextrè ventilabra agitabant: quid addam de obſoniis delicatiſſimis & gratiſſima ſymphonia? protrahitur convivium, iterantur tripudia, accenduntur lumina, eſtque plena lætis clamoribus & jubilis aula, cum ecce tempus ut funeſtiſſimæ ſcenæ daretur initium; ſat enim luſum à ridente fortuna.

In medio granorum conſolationis ubertimæ manus apparuit, quæ tribus verbis ceu tribus zi-
Dan. 5. zaniis *Manè Thecel Phares*, ſeminavit, jacturam Regni, perditionem Coronæ, & Regis interitum prognoſticando. *Tunc & in eâdem horâ*, hoc eſt, cum ſic affluebat deliciis & ſplendidè epulabatur, *facies Regis commutata eſt: cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur.* Ecce naſcuntur zizania, inter gaudia luctus, inter concentus muſicos lamenta, & inter tot ſigna lætitiæ planctus *Mane, Thecel, Phares*, Tu qui jam voluptati indulges, & ſcates divitiis; Rex ſuperbiſſime, hâc nocte morieris. Verum eſt, in hortis roſæ naſcuntur inter ſpinas, ſed in hoc convivio inter mundanæ proſperitatis roſas, infeli-
Hect. Pint. in c. 5. Dan. citatis ſpinæ oriuntur. (Perpende mundi vanitatem, rerumque humanarum commutationes, & quàm cito voluptas in mœrorem convertatur. Comedebant & bibebant opiparè, lætitiâ geſtientes & ad oblectamenta ſe ipſos excitantes, & repentè nova quædam mœſtitia eos perturbavit.)

Opportunè obſervat hic S. Joannes Chryſoſt. circa ſponſaliorum ceremonias, cum jam ſponſus & ſponſa in ſummis deliciis ſunt, in contractu apponi ſolent hujuſmodi conditiones aut cautelæ: Si contingat ſponſorum alterum mori ſine prolibus, aut certe proles moriantur ante parentes, &c. Quorſum iſta præcautio, quæ ad mœrorem provocat? *In ſponſalibus contractibus,* (verba ſunt S. Doctoris) *& Scripturis iſta condi* S. C
*tiones ponuntur ut plurimum. Si alter nubentium* hom.
*ſine filiis deceſſerit: Si filii priùs, quam parentes mo-* Fide
*riantur: Si maſculus primogenitus obierit.* Ah! ad Spons.
lætitiæ granum penetrat mortis zizanium, ut gaudium interturbetur vix inchoatum. Summatim ut dicam, mundus iſte non eſt florum ſeminarium, ſed campus in quo metenda quotidie adverſa & triſtia. *Tunc apparuerunt & zizania.*

Spiritu prophetico prædixit Elias, impiam Reginam Jezabel, quæ innocentem occiderat Naboth, perſecuta etiam Sanctos Prophetas, laniandam à canibus & devorandam in campo Jezrael. *Canes comedent Iezabel in campo Iezrael*
Quærit Abulenſis, quare Regina illa occidi de- 3. Reg.
buerit à canibus in campo Jezrael; cur non in proprio palatio, in civitate, in platea aut in loco patenti, ubi videri ab omnibus poſſit, dum meritum ſubitura erat ſupplicium. Et ipſe reſpondet ideo factum, quia in campo illo amœniſſimus erat hortus, quo Regina non raro divertebat ut tantiſper à gravioribus curis reſpirans, liberiùs genio indulgeret recreata florum variâ pulchritudine, herbarum viriditate, avium cantu, arborum umbrâ & grato rivulorum ſuſurro. Hic delectari ſolita & jucundari: ſed in hoc ipſo campo dilaceranda erat à canibus, ut inter deliciarum flores inveniret latitantem venenatum colubrũ infortuniorum, & ex volucrum ſuavi modulamine præſagium haberet latratûs canum, ſciretque in uno eodem campo colligi felicitatis granum & unà meti adverſitatis zizanium. (Illic erat hor-
tus amœniſſimus (loquitur Toſtat. Abulenſ.) in Abulen.
quo Regina maximè delectabatur: pêrinde ut ge- 3. Reg.
nialis locus feralis efficitur, & ubi anima jucundiſſimè trahitur, ibi miſerrimè exhalatur; & ubi voluptatis aucupia captantur, ibi mortis jacula infliguntur.] In maximos incidunt luctus, quibus nunc felicitatis aura favorablis ſpirat; quia riſus ille, amatiſſimi gemitûs plerumque eſt omen. *Tunc apparuerunt & zizania.*

Verum hoc, in mundi hujus campo vaſtiſſimo, quando minùs expectamus, excreſcere doloris zizanium, eoque ſuffocati voluptatis præ-

ſentis germinans granum. Si quando agrum vidiſtis, & in eo ſpicas velut auro coruſcantes, quæ verſus terram pendulæ fertilitatem oſtendunt, & quaſi agricolis innuunt, ut ad meſſem tam copioſam ſe parent, exuberantem lætitiâ. Intuetur agricola, & inenarrabili perfunditur gaudio, exultat interiùs & ex corde eructat : Benedictus Deus, qui hoc anno tam abundè compenſat ſterilitatem præteritam. Craſtinâ die, favente cœlo, colligam ſudoris mei primos labores, & implebo horrea. Nocte conturbatur aër, ſuboritur grandis tempeſtas, grandine flagellantur ſpicæ, conteruntur ſegetes, perit meſſis, & ſub inundanti diluvio grandinis ſepelitur non modo granum, ſed ſpes & lætitia agricolæ : & dum ſe divitem credit, ſubitò fit mendicus, non jam habens granaria onuſta frumento, ſed manus plenas vento. Ea eſt humana felicitas, quam bene depinxerat Ariſt. Ariſtoteles. *Homo eſt fortunæ luſus.*

Eam ob cauſam Iſaias Propheta flori æquiparat, ubi ſic ait : *Omnis gloria ejus quaſi flos agri.* Iſa. 40. Florem contemplemur prodeuntem ex terræ ſinu ; vix natus eſt & fit parens ſuaviſſimi odoris, Nil in mundo pulchrius aut venuſtius unquàm viſum : at ſub veſperum redeamus, & occidente jam ſole intueamur, ut ſubitò languet, ut expalleſcit, ut perit omnis ejus decor, & odore evaneſcit? *Nondum enim à florum collectione domum reverſi ſumus* (ſcribit D. Baſilius) *& ecce in ipſis adhuc manibus noſtris conſtituti marceſcunt.* S. Baſ. hom. de Parad. Alluſit Poëta.

Ovid.

*Quid lætare miſer? neſcis poſt gaudia vitæ*
*Perpetuos luctus mortis adeſſe tibi?*

Flori aut vernanti roſæ Sanctus Thomas à Villa Nova felicitatem juventæ virentis comparavit : *Videas puellam pulcherrimam & formoſam, quaſi naſcentem roſam; expecta modicum, & videbis eam vetulam, rugis aratam, deformem, turpem, abominabilem. O puella! dic mihi, ubi eſt illa tua pulchritudo, venuſtas, decor & lepos? Ubi illa rubedo faciei, ille color albus, illi nitores vivi; ubi illa jucunditas, lætitia, gaudium, illa ſenſuum vivacitas? Exſiccatum eſt fœnum & cecidit flos. Roſa illa pulcherrima cito emarcuit.* S. Thom. à Villa Nova in Dom. 3 Advent. Verè felicitas miſera, quæ vix dum nata expirat, & plangitur extincta.

Sejanus auctoritatem habuit maximam apud Imperatorem Tiberium, adeo ut hic ſine illo vivere non poſſe videretur. In menſa ad latus ſedit & in eodem curru triumphali. Quidquid Imperator ſcribebat, ſubſcribendum à Sejano. Mutua erat animorum confœderatio tanta, ut nemo non miraretur. Rexit Sejanus per annos ſedecim Tiberii imperium, & in tantum exaltatus eſt, ut Satrius & Pompejus cultum ei offerrent & humillima obſequia. Fortunam in manu habere videbatur. O falſam & volucrem fortunam! Qui fortunæ ludo, aut favoris artibus pervenit ad alta, non ſemel poſteris calamitatis reliquit exempla, dum qui proſpero aliquando volatu inſcenderat, caſu miſerabili præcipitatus eſt ad ima. Nihil minus Sejano evenit, cùm felicitatis pelagus navigans Cæſaris indignationem incurrit, & maxima cum ignominia & dedecore vitam finivit. Conjectura judicare potuiſſet ſerenitati tam diuturnæ ſubſecuturam eam tempeſtatem. Prius honoratur à mundo, & pòſt extremo afficitur ſupplicio, atque à proſperitatis throno excelſo, effertur ad tumulum. Quàm verè id aſſerit Sineſius (Felicitas onus quoddam Corn. Tacit. 5. eſſe videtur plumbo gravius; eum ergo ſubvertit, qui id humeris impoſuerit, niſi ſanè ſit robuſtus. Fortuna læta, ut plumbum quævis deprimit.)

Quid de Beliſario addemus? Et ipſe dignitatis culmen aſcendit, eoque elevatus, ut ſub imperatore Gratiano cuſa ſit moneta hâc inſcriptione, *Beliſarius Romanorum decus.* Sed ecce in agro zizania: ab Imperatore repudiatur, tandem oſtiatim mendicare coactus, & pudore ſuffuſus à tranſeuntibus humiliter petere. (Date obolum Beliſario, & quem antea vidiſtis imperantem, nunc aſpicitis mendicantem) *Georg. Cedr. apud Cæſar.* Itaque honoris adepti faſtigum erat minantis calamitatis augurium. Quo alludens Titelmannus hæc ſcribit : (Verè non niſi vanitas eſt illa apparens eorum felicitas neque ullam habet ſtabilem durationem ; ſed quemadmodum gramen vireſcens non diu ſuum virorem obtinet brevi exiccandum, ita & ipſi qui nunc vivere & florere conſpiciuntur, ſecundùm ſeculum mundi hujus, brevi, & citiùs quàm quis credat, ſuo privabuntur virore.) *Fr. Titelm. in Pſal. 30. v. 1.* Mundus felicitati noſtræ exequias parat.

Quis fortunatior Martiâ apud Regem Dionyſium? ob ſomnium ipſe tamen nocte habitum poſtero manè mortis pænam luit. Miſeremini (NN.) & mecum infelicium mundanorum ærumnas & infortunia deplorate. O quàm certè miſera mortalium conditio! Dominio ſubjacent ſævæ nimium felicitatis: quò plus enim elevat; quò blandior apparet, eò duriùs cruciat. Verè dictum ab Auguſt. *S. Aug. in pſ. 124.* *Dulcedo hujus ſeculi ad tempus fauces indulcorat, ſed in magnam amaritudinem poſtea convertetur.*

In

In ea felicitatis via gradiebatur Thomas Morus(Verum quidem eſt,quàm vana, jam ſatis inſpexerat & norat, non æſtimavit) quia noluit illi condeſcendere & annuere petitionibus Regis eò quod legi divinæ adverſarentur & conſcientiæ rectæ, zizania reperit & mortis ſententiam accepit. Lætus itaque & hilaris totus, quod ad mortis portum feliciter appuliſſet abſque animæ naufragio in procelloſo hujus ſæculi mari, cignum imitatus, dulciter ita canere cæpit.

*Labat. t. 2. Areſt.*

*Inveni portum, ſpes & fortuna valete:*
*Sat me luſiſtis, ludite nunc alios.*
*In porto ſon, ſpeme à fortuna addito,*
*Schernite altrui ſchernite aſſai ſon'io,*

Si Aſtrologus ego ſim & aſcenſum videam in linea humanæ proſperitatis, malum id omen exiſtimem, ſequendo doctrinam Hippocratis in Aphoriſmo ſic adaptato. *Habitus exercitatorum qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, ſi in extremo conſtituerint: neque enim poſſunt in eodem permanere, neque quieſcere; cum verò non quieſcant, neque poſſint proficere in melius, reliquum eſt ut decidant in deterius.* In culmine felicitatis tam elevati ſunt, ut altius erigi non poſſint, atque in eo ſtatu difficilè retinentur. Quid ergo? *Reliquum eſt, ut decidant in deterius.* Neceſſe eſt, ut miſerandis pateant ruinis. & ſic experiuntur quomodò in hoc mundo bonum ſemen ſemper comitentur zizania, eſſeque velut inevitabile fatum zizaniis interſeri & illorum moleſtiam pati. *Venit inimicus homo & ſuperſeminavit zizania in medio tritici.*

*Hippoc. l. 2. Aphor. 2.*

*Matt. 13.*

Si ita eſt (NN.) gratior erit deinceps fortunæ adverſitas quàm blandus favor; & plus me terrebit proſperitas quàm ſæva tempeſtas. Bene monet. Theodorus Abbas: *Faciliùs quis lædi poteſt proſperis, quàm adverſis.* Venerandus ſemper Elias ſicco pede flumen Jordanis tranſgreſſus, cum Eliſeo Diſcipulo inſtantem diſceſſum indicavit: Eliſeus hoc intellecto contriſtatus eſt vehementer, lachrymis mixtim & ſupiriis dolorem oſtendens. Miſeret me tui, Diſcipule mi chariſſime, (inquit Elias) ſenſibilis affectus te affligit, ut video, ſed luctui modum pone, & gratiã pete quamcunque velis, obtinebis. *Poſtula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Hoc oblato favore recreatus eſt Eliſeus, & dolore parum remiſſo hanc ſibi gratiam imploravit. *Obſecro, ut fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Ad quid tamen duplicem ſpiritum petit? an non jam ipſi ſufficeret, ut Eliæ ſpiritus unus & ſimplex? Videamus (NN.) quid Eliſeum moverit, ut duplicem ſpiritum rogaret, & fatebimur juſtam fuiſſe petitionem & meritò non contentum ſimplici ſpiritu, ut fuerat Elias. Ah! dixit Eliſeus, unus non mihi ſufficit ad reſiſtendum mundi adverſitatibus, fortunæ contrariis ventis, & impiæ Jezabelis perſecutionibus, facilè prævaluit unico ſpiritu Elias: at mihi reſiſtendum eſt gratiis ſeculi & humanis favoribus, undique aliquando exhibendis, ſaltem à Naaman Syro poſtquam ſuggeſſero modum, ut à lepra mundetur; ideo non ſatis, nec ſufficit mihi ſpiritus ſimplex, ſed duplici opus eſt: *Obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus:* alioquin non ſubſiſtam & periculum metuo. (Sciebat Eliſeus, Eliam inter labores vixiſſe, ſe inter favores virtutum: Eliam perſecutionibus Achabi vexatum, ſe donationibus Naamani honorandum. Et quia intelligebat, duplo graviora certamina à proſperitate quàm ab adverſitate, idcirco duplo majorem ſpiritum, quo illis reſiſteret, poſtulabat. (Exiſtimabat ergo duplo ſe infeliciorem inter favores, quam fuerat Elias inter perſecutiones, quas ab Achab & Jezabel patiebatur; atque ideo obſecravit: *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Nec eum fallebat iſta opinio, quia mundus eſt Python, aquam limpidam turbat alienæ felicitatis: & quanto altiùs *ad ſummum bonitatis attingit* in ſtatu proſpero, tanto profundiùs *decidit in deterius*, in calamitatis abyſſum: & ecce ſubitò *apparuerunt & zizania.*

*Thead. Abb. col. 6. c. 9. in Biblioth. vet. PP. l. 1. ſec. 5.*

*4. Reg. 1.*

*F. ... in l. ... t. 1 ... proz. ... 10. a ...*

Polycrates apud Hiſtoricos & opibus & omnigenâ felicitate inclitus nunquam in vita fortunam ſibi adverſam ſenſerat. Die quodam curioſitate impulſus, ut, quid ſit infortunium, experiretur, annulum incredibilis pretii ſibique chariſſimum digito detraxit, & projecit in mare. Videte quis hic fortunæ favor: piſcis annulum abſorpſit, captuſque à piſcatoribus, caſu venditus ſervo Polycratis, & in menſa ejus appoſitus eodem die; quem ut Polycrates aperuit, annulum intus invenit, & ſic illo caſu nondum fortunæ duritiam experiri poterat, ut intendit. *Ad ſummum bonitatis attingebat. Reliquum eſt ut decidat in deterius.* Traditur inimicorum manibus, & ignominosè ſuſpenſus, teterrimo mortis genere diem clauſit. (Proſpera ei cuncta ſucceſſerant: annulum etiam pretioſiſſimum data opera projecit in mare, ut aliquando adverſa experiretur, eundem tamen paulò poſt in piſce ante ſe poſito, qui annulum abſorbuerat, invenit.) Poſteà autem quid? (Captus ab hoſtibus, obſcuratâ amiſſâque gloriâ & Regno, in crucem &

*Valer. Max. l. ... Strab. l. 14 ... Pintian. ... Ezech. 51.*

*Ph. D... p. 2. de cont. mundi.*

patibu-

patibulum actus fuit, cadaverque ejus objectum avibus canibuſque dilaniandum ac devorandum.) Atque ſic evidenter patuit, quàm verè
Solon. dixerat Solon: *Nihil in mundo ex omni parte beatum.*

Credite (NN.) melius in hac vita miſerum
Anon. in Rythmis. Magna Bibl. eſſe quàm felicem, quia miſeriæ cùm primam habeant ſyllabam *Mi*; facilè convertuntur in mellis ſuavitatem: at verò felicitates, cùm ſit prima ſyllaba *Fe*, citò in fel mutantur. *Fel abſconditur ſub mellis cortice.*

Homo tamen ita perditè amat fortunam ſecundam, ut ſi totam poſſideat, ſolus frui continuò velit: quam ſi vel ſemel adverſam ſenſerit, ultrò eum omnibus dividere cuperet.

Redemptor noſter, præſentibus Apoſtolis reliquis. Petrum ad ſe vocavit, eique dignitatem Pontiſiciam contulit, & datis clavibus plenariam auctoritatem, Paſtorem gregis ſui conſtituendo.
Joan. 21. S.Chryſoſt. in c. 21. Joan. hom 87. *Paſce oves meas.* Ad hæc verba Sanctus Joannes Chryſoſt(o)mus: *Magna Chriſtus Petro communicavit, & orbis terrarum curam demandavit.* Et ſanctus Ambroſius ait: *Sui velut Vicarium relinquebat.* Petrus ſe inclinans, gratanter acceptat oblatam dignitatem, & tacet.

Proſequitur diſcurſum cum Petro Salvator,
D.Chryſ. ubi ſuprà. hæc ſubdens verba: *Cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, alius cinget te & ducet quò tu non vis, extendens manus tuas.* q.v.d. Petre, ſcire te velim, quod jam prædico, perſecutiones te manent propter nomen meum, martyria & cruces. [ Sicut ego pro
Lud.Card. p. 2. c. 79. te, ita & tu moriaris pro me. (inquit Ludolphus à Saxonia.) Sicut ego, tu in crucem aſcende; tu eandem, quam ego, mortem patere. (Advertite mecum (NN.) Vix Petro indicaverat Chriſtus adverſitates futuras, & ſtatim interrumpit diſcurſum, de Joanne interrogans: *Domine, hic autem quid?* Scire jam optem, cur Petrus à Chriſto petat de Joanne, ſtatim ac audit prognoſticari infortunia, martyrium & mortem. Quid hoc prætendit? Fortaſſis ex tunc exequi volebat munus ſibi commiſſum à Domino, de ovibus ſollicitè
Lud. ib. ubi ſuprà. indagando & curando: Reſpondet Ludolphus Carthuſianus: *Poſtquam Petrus audierat ſe crucifigendum, voluit etiam agnoſcere fratris exitum: ideò volebat eum in martyrio ſocium habere.*

Diez in Feſto S. Joann. Evang. conc. 1. Sed ut quid non dixerat: *Domine, hic autem quid?* Joannem ſollicitè curans, cùm jam reciperet dignitatem Pontificialem *Paſce oves meas?* Non videatur id mirum: Petrus cupiebat ſolus eſſe felicitatis poſſeſſor & dignitatis collatæ; ſed in adverſitate, in perſecutionibus, in martyrio, petit à Chriſto Joannem dari conſortem. Conceptus eſt Philippi Diez, verbis ex ipſo dicam. (*Paſce oves meas.* Quibus verbis ei ſummi Pontificatûs dignitatem tradidit, in qua nullum admittere ſocium Divus Petrus voluit. Quare tunc non dixit: Hic autem quid? At verò, cum dixit Dominus: Sequere me, ſcilicet per mortem, tunc interrogavit: Domine, hic autem quid? Ex quo videtur in labore ſocios voluiſſe, non in dignitate. Volebat ſolus eſſe in collectione granorum; ſed in meſſe zizaniorum exigebat Joannis conſortium.

Qui infelices ſunt, alienæ felicitatis volunt fieri participes, ſed ne vel minimæ adverſitatis. Salvator noſter Hieroſolymam petens, cum Diſcipulis conferebat de malis & perſecutionibus in urbe ferendis. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur ad crucifigendum, flagellandum, &c.* Matth. 20 Hæc illo dicente, acceſſit Zebedæi uxor cum filiis Jacobo & Joanne, beneficium poſtulans, ut dignaretur filios promovere, atque uni dare ſedem ad dextram, alteri ad ſiniſtram in regno ſuo. Hac ſupplicatione tria obtinere laborat, ut benè advertit Ludolphus Carthuſianus: Ludolph Carthuſ. p 2. c. 21. Tria autem petit, quæ deſiderant matres filiis ſuis; quietem, cum dicit: Dic ut ſedeant hi duo filii mei: honores, cum ſubdit; unus ad dextram tuam & alius ad ſiniſtram: divitias, cum addit, in regno tuo.) Adeſt ſanctus Joannes Chryſoſtomus & ait, Chriſtum de duobus locutum cum Diſcipulis, detitione Hieroſolymam ad ſubeundum paſſionem, perſecutiones & flagella, deinde de reditione in regnum gloriæ, poſt ſanctam Reſurrectionem. *Et tertia die reſurget.* Immediatè poſt illa verba refert Matthæus: *Tunc acceſſit Mater adorans & petens: Tunc*, quando ſcilicet diſſerebat de Reſurrectione, de gloria & regno, tunc petebat illa ſedem filiis in gloria, non Crucem in opprobrio, felicitatem in regno, & non adverſitatem Hieroſolymæ. Non dicit: Dic, ut etiam mei filii aſcendant Hieroſolymam ad flagellandum & crucifigendum ſed bene: *Dic ut ſedeant unus ad ſiniſtram & alius ad dexteram in regno tuo.* Particeps fieri quærebant grani beatitudinis, ſed partem nolebant in zizaniis infortuniorum. Quàm benè annotavit Chryſoſtomus: *Æſtimo quòd hi fratres, cùm audiſſent Dominum de Paſ-* D.Chryſ. in c. 20. Matth. *ſione ac Reſurrectione ſua prophetantem, cœperunt dicere intra ſe: Ecce Rex cœleſtis deſcendet ad regna tartarea, ut Regem mortis deſtruat; cùm autem victoria fuerit conſummata, quid aliud re-*

*ſtat, niſi ut Regni gloria ſubſequatur.* Ad rem Ovidius.

*Donec eris felix, multos numerabis amicos :*
*Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.*

At fortè veſtrûm aliquis dicat: Nunquid dari poſſet à Deo granum expurgatum & abſque zizaniis? ut quid dulcibus amara ſemper infundat? Reſponſum eſt à S. Auguſtino: *Si non miſceret amaritudinem felicitatibus ſæculi, obliviſcerentur ejus.* Verè equidem (NN) ſi fortuna ſemper læta affulgeat, ſine cura vivimus & quaſi non haberemus ſalvandam animam, aut Deum futurum judicem, bona opera negligimus: at ſi in agro iſto ſupercreſcant zizinia, mors ſubita filii eveniat, carcer premat aut perſecutio, ſtatim ad Deum refugium, pietatis exercitium diu neglectum reſumimus; votis & indictis jejuniis nos obligamus, de confeſſione ſeriò inſtituenda, de occaſione mali vitanda firmiter deliberamus, victuri impoſterum ut Chriſtiani, non more beſtiarum ut hactenus. Serite interim granum Eleemoſynæ in favorem pauperum, ut meritorum fructum ſine zizaniis colligatis.

D. Aug. in Pſalm. 39.

## PARS SECUNDA.

ALiud zizaniorum genus reperitur in bonorum terrenorum meſſe, magna videlicet eorum inſtabilitas, neque unquam firmo conſiſtunt gradu, eſtque granum quod putreſcit breviſſimo tempore & marceſcit. (Quemadmodum herbæ (ſcribit Titelmannus) latis foliis pulchrè virentes ad tempus aliquantulum brevi intereunt, ita illi (id eſt homines felices) brevi decident ab omni ornatu ſuo, quo nunc gloriantur. Sicut enim exardeſcente Sole, exardeſcit gramen, & decidit flos ejus; ita etiam dives marceſcit in itineribus ſuis.) Cùm Deus Adamo dabat bonorum terrenorum dominium, eum conſtituens omnium poſſeſſorem, uſus eſt hac verborum formulâ. *Dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Quid faciunt ad dominium piſces, quid volatilia, aut animantia ſylveſtria. Fortè per hoc innuit Deus, dominium labile eſſe ut piſces, volubile ut aves, & fugitivum ut indomitæ feræ. (Fors docere hoc Deus voluit, cùm hominem piſcibus maris præfecit & cœli volatilibus, hi ſignatè hominis imperio ſubjiciuntur, ut à piſcibus maris diſceret, imperia fluctibus & amaritudinibus non caritura; à volucribus volaticas dignitates. Dignitas in hoc ſolùm firma, quod nunquam ſiſtat, in hoc immobis, quòd moveatur ſemper.) Et quodidem ſonat

Fr. Titelm. in Pſal. 6. n. 2.

Gen. 1.

Nov. in ri- ſu Sardis 14.

*Altera ſtabilità non v' è nel mondo.*
*Che l' iſtabilità che mai non manca.*

Narrat Evangeliſta S. Lucas inimicum infernalem zizaniorum ſatorem elevâſſe Filium Dei ſupra verticem montis, eique oſtendiſſe omnia mundi hujus Regna, ſi vel ſemel flexo genu adorare voluiſſet. Obſervat tamen Sanctus Pater Ambroſius modum, quo omnes mundi principatus diabolus monſtravit. *Oſtendit illi omnia Regna mundi in momento temporis.* Quomodo poſſit unico temporis momento oſtendiſſe tot Regna, tot Provincias & Monarchias! Non hoc mirum, reſpondet Sanctus Pater, quia momentanea erant, adeoque tantum opus momento ut oſtenderentur. *Bene in momento oſtenſa dicuntur, quia momentanea ſunt.* Ecquid inſtabilius momento quod non durat neque permanet; *In momento temporis bene oſtenſa dicuntur, quia tam brevi tempore durant, ut oſtenſa magis, quàm data dicantur.*

Luc.

S. Am

Poſtquam ferialibus diebus laboraverat in Ægypto populus Iſrael, feſtis ad flumem Nili conducebatur, erantque ad manum inſtrumenta muſica: rogat illorum aliquis, ut cantarent ad modulos urbis Hieruſalem: *Hymnum cantate nobis de canticis Syon.* Se excuſebant renuentes & dicebant, prohibitum canere ſacros hymnos extra patriam. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Inſtrumenta muſicalia ſuſpendebant ſedentes ipſi ad ripam Nili, in triſtes erumpebant luctus, dum recordabantur perditæ tranquillitatis, divitiarum & deliciarum abundantiæ. *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus, dum recordaremur tui Syon.* Notate quandonam recordati ſint bonorum deperditorum, dum ſcilicet ſedebant ad ripam fluminis: videbant enim currentis aquæ rapidiſſimum fluxum eumque continuum, & ſtatim illis in mentem incidit talis conditionis eſſe bona illa, quæ reliquerant in Syon, ut aqua continuò eſt fluens, ita illa volubilia. Annotavit Sanctus Hieronymus: *Sicut flumen tranſit, & aquæ ſuccedentes ſibi venientes & recedentes pereunt, & iterum aliæ oriuntur & ipſæ pereunt, ita & in hoc mundo quoad momentum aut ad aliquod tempus,*

Fr. Ti inc. 4 Luc. not.

Pſal. 1

S. Hier. in Pſal. 136.

*aut*

*aut ditamur, aut fortes ſumus, aut pulchri, & poſt modicum tranſit ſicut aqua & perit.*

Hinc eſt quòd Herodes ſaltatrici leviſſimæ moribus, pro tripudio obtulerit medium Regnum. *Poſtula à me quod vis & dabo tibi, etiamſi dimidium regni mei.* An aliud non ſuppetit quod pro ſaltatione illa levi retribuat? Lege præſcriptum eſt, ut in præmiis & laboribus *ſervetur qualitas & æqualitas.* Et cum tripudium aliud nihil ſit quam actio tranſiens, & motus inſtabilis, non potuiſſet melius Herodes ſaltatrici ſatisfacere, quàm inſtabilitate alterà remunerando. *Dabo tibi, etiamſi dimidium regni mei.* Adeſt & ſubſcribit D. Ambroſius. *Vide quàm benè ſæculares de ſæcularibus judicent poteſtatibus, ut pro ſaltatione regna donentur.*

Marc. 6.
D. Ambr.

Conqueſtus eſt de mundi hujus inſtabilitate Propheta Regius: *Infixus ſum,* ait, *in limo profundi & non eſt ſubſtantia.* Quærunt multi Patres quid intellexerit Pſalmiſta hoc verbo *ſubſtantia.* Sanctus Auguſtinus de divitiis explicat, *Et non ſunt divitiæ.* Alius legit, *Et non ſunt bona temporalia.* Ego nondum capio, ſive in genere locutus ſit David, ſive in particulari de propria perſona. Quomodò enim verum ſit genericè dictum, *Non ſunt divitiæ. Non bona temporalia;* An fortaſſis divitiæ in mundo deficiunt aut bona fortunæ? ſi verò de ſemetipſo ita locutus ſit, quomodò ſic? an non Rex erat ditiſſimus & regni ampli ſupremus, ac potentiſſimus Dominus? Facilius intelligetur ex Felice Pratenſi, ubi legit. *Et non eſt ſtabile.* Accedit Genebrardus *Non eſt locus, in quo firmiter poſſim premere veſtigia, & pedibus conſiſtere.* Intendit ergo dicere Pſaltes: In divitiis & bonis his temporalibus nil firmum & ſtabile. (Res hujus vitæ (ait ſanctus Aſterius) mutantur; & qui hodie clarus eſt & illuſtris, cras miſeratione & ope dignus: qui in præſenti locuples & divitiis affluens, paulò poſt egere vixque domi panem ad victum habere deprehenditur)

Pſal. 68.
S. Aug. ibi. Michael à Bononia in Pſ. 236.
Felix Pratenſ. Genebrar.
S. Aſterius homil. de œconomq.

Romulus æternâ memoriâ dignus pro ædificatione almæ civitatis Romæ, quæ caput eſt mundi, & pro tot obtentis victoriis, ut gloriam nominis exprimeret, fieri curavit lanceam, in cujus ſummitate affixus penderet faſciculus fœni. Quid fœno cum gloria? Dionyſius Carthuſianus de fœno dicit: (Hodie floret, & cras marceſcet. Poſt ortum ſuum citò areſcit, & deſiccatur.) Ita ſentiebat de heroicis factis Romulus, ac ſi diceret:

Dionyſius Carthuſ. in Pſal. 36. 91. 71.

——— *Quid gloria? Quid laus?*
*Quid fama eſt? Quid honor? Vox eſt & opinio vulgi.*
*Omnia longa dies abolet, cum vivere ceſſas.*
*Omnia ſic abeunt, ut lux cum ſole recedit.*

Fœnum omnes Ægyptiorum honores & dignitates ſunt, ut teſtis eſt Philo Hebræus. (Fuit & Ægyptiorum perampla magnificaque potentia, ſed nubis in morem præteriit ea felicitas.)

*Philo Hebr.*

Quid niſi fœnum Rhodiorum Coloſſus, Ægypti pyramides, Mauſolæum Arthemiſiæ, templum Salomonis, ſtructura Babylonica, exercitus Xerxis, Aſſueri opes, Alexandri magnificentia, victoriæ Cæſaris & Cyri regnum? (Cæſarum lata potentia, Principum dominationes, Prælatorum gloria, qui ante nos fuerunt, quò pervenêre brevis lætitia, mundi potentia, magna familia ac ſæcularis pompa, quid profuêre? hæc omnia tanquam umbræ, veſtigium non habent, ac veluti navis fluctuantem aquam, celeriter tranſierunt.)

*Henr. de Aſca apud Duc t. 5. verbo gloria inan.*

*Omni gaudezza il tempo an fin reſolve.*
*In vento, è fummo, è polve.*

Fœnum humana felicitas eſt, ut propterea ab Ezechiele comparata ſit navi, munitiſſimæ quidem, ſed prorâ deſtitutæ, ſine quâ firmitatem habere non poterat nec unquam ſtabilitatem. *Meritò* (annotat hic S. Hieronymus) *anchoram amiſit, ut inde innoteſceret, eam felicitatem ſic deſcriptam, inſtabilem omninò fluctuantem & citò perituram.*

*D. Hier. in Ezech.*

Fœnum eſt juventus, aſſerit Nemeſianus.

*Nemeſ. Eclog.*

*Non hoc ſemper eris: perdunt & gramina flores:*
*Perdit ſpina roſas, nec ſemper lilia candent:*
*Nec longũ tenet uva comas, nec populus umbras.*
*Donum forma breve eſt, nec ſe tibi commodat annus.*

Fœnum pulchritudo & blanda vultûs muliebris forma, inanis gloriæ fomentum, ſanctitatis faſcinum & perfectionis incantamentum. Dicat Theocritus:

*Theocrit. Idyl. 28.*

*Et roſa pulchra eſt & tempus eam tabefacit,*
*Et viola pulchra eſt in vere, & ſtatim ſeneſcit.*
*Candidum eſt lilium, tabeſcit verò cum decidit.*
*Et forma puerilis pulchra eſt, ſed brevi tempore durat.*

Fœnum Alexandri magnanimitas. Teſtatum id legimus epitaphio in lapide ſepulchrali.

*En ego, qui totum mundum certamine vici.*
*Dictus Alexander, vincor & ipſe brevi.*
*Omne tenens regnum, cunctis dominabar in Orbe,*
*Nunc ego non teneor, nec mihi regna valent,*
*Reges ſternebam; me mors duriſſima ſternit;*
*Omnia mactabam; mactor at ipſe miſer.*

Aut certè (ut referunt alii) miſeriarum tumulo recluſa eſt omnis ejus felicitas.

*Aſpice me miſerum corpus, cui cuncta favebant,*
*Nunc brevis in ſtricto me tenetur na loco.*

O quanta eſt humanæ dignitatis fallacia! quanta fugacitas! En hîc ferarum domitor, terror hoſtilis exercitus, Orientis monarcha quàm citò extinguitur, & ætate florentiſſimâ, ô fluxa ſeculi felicitas! meliùs bracteatam proſperitatem oculis exprimam quàm linguâ: citiùs ubertìm lachrymis, quam calamo & attramento.

Dixiſſe cum Petro Cellenſi ſufficiat. (Currit, fluit, fugit, labitur & evaneſcit, quidquid unquam habere poteſt mundanus uſus.) Spernamus igitur ficta & vana fortunæ bona, cum non niſi vera ſint animæ mala. Quiſquis divitias æſtimat, ſupra caput exaltando, illarum pondere ad ima deprimetur: at ſi pedibus conculcat, gradum ſibi ſternit ad gloriam. (Quid ſuavius? quid glorioſius petit ſanctus Aelredus) quàm mundo contempto, mundo ſe cernere celſiorem, ac in bonæ conſcientiæ vertice conſiſtentem, totum mundum habere ſub pedibus? Ut quid ergo tam avidè inſudas accumulandis ejuſmodi granis, cùm non habeantur hic niſi zizania? Hortor, ô Chriſtiane! & hoc opportunè conſilium ſequere. *Deſpice quæ pereunt, fugitivæ gaudia vitæ.* Ite in pace.

S. Petr. Cellen.

S. Aelr. Abb. Specul.

D. Columb.

---

# DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

## ARGUMENTUM.

Homo vel minima tenetur vitare: quæ enim levia videntur, dum res imminuunt, ad majora diſponunt; &, quæ ſigillatim parvi momenti, conjuncta intolerandi ſunt ponderis. Cavendum ſollicitè à peccatis etiam venialibus, ne, dum indies conſuetudine excreſcunt, ad gravia pertrahant, & ſic non rarò mortalibus magna aperta ſit janua.

## THEMA.

*Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cùm autem creverit, factum eſt majus omnibus oleribus.*
S. Matth. cap. 13.

PEritus ille Scriptor Publicus Syrus; ut eos de incuria argueret, qui defectus exiguos & leves non curant, utile hoc omnibus monitum ſcripto reliquit: *Inimicum, quamvis humilem, docti eſt metuere.* Hominis prudentis factum eſt, timere, & timendo hoſtem cavere, quantumvis ſit imbecillis & debilis. Huc facit emblema cui inſcriptum: *A minimis eſt timendum.* Nec alia dari poſſit hujus ratio, quam quod *minima non minimè nocent.* Ad rem noſtram ſolitus dicere Theon Abbas: *Scientibus perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo*

Publ. Syrus.

Alciat. Emblem.

Labat. in verb. P

*tudo graviſſima eſt.* Et, ſi bene recordamini, accommode ſcripſit Poeta:

*Abb O-vidius.*

*Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum,*
*A cane non magno, ſæpè tenetur aper.*

Et ſi à prophanis ſcriptis ad ſacra eamus, evidentior erit veritas. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, hoc eſt, explicat Rabanus, *omnem maſſam farinæ conſperſam corrumpit, & ad ſuum acorem trahit.* Nonne clarè ſatis inſinuat Eccleſiaſticus, dicens: *Qui ſpernit modica paulatim decidit*; ut proinde mirari ſatis non poſſim ita temerè dictum: *De minimis non eſt curandum.* Annon ſæpè ſæpius experientia docuit, ex fuſo fieri lanam, è palea trabem, & à formica minima penetrari elephantem? Quis neſcit à Remora, quantumvis exigua ſit; retineri in curſu permagnam navim? Lapillo in terram dejicitur ingens Statua Nabuchodonoſoris. Scintilla inextinguibile parit incendium, ut advertit ſanctus Valerianus Epiſcopus: Scintilla, quamvis parva, flammas evomit, & ex nihilo exorta; magna frequenter movet incendia) Et addit Ovidius:

*1. Cor. 5. Raban. Maur. ib. Eccleſ. 9. L. Scio. ff. in inſt. reſt. c. ad noſt. de reb. Eccl. non alien. Baſil. Ponte Dom. 1. Quadrag. Plin. Nat. hiſt. l. 8. cap. 2. Dan. 2. D. Valer. Ep. Ovidius.*

*Vi pœnè extinctum cinerem, ſi ſulphure tangas,*
*Vivet, & ex minimo maximus ignis erit.*

Subdit ſanctus Adelhelmus:

*S. Adelhelm in Biblioth. vet. PP. t. 18.*

*Parva mihi primo conſtant exordia vitæ:*
*Sed graciles grandes ſoleo proſternere letho;*
*Nam ſaltus nemorum denſos, pariterq; fruteta,*
*Piniferoſque ſimul montes cum molibus altos,*
*Truxque, rapaxque, feroxque ſub æthere ſpargo:*
*Et minor exiſtens, gracili quam corpore cynips.*

Ex ſolo fructu arboris vetitæ ab Eva decerpto, nunquid toti mundo exitium, ſicut ex projecto tribus Deabus diſcordiæ pomo ſecutum eſt Trojæ excidium?

Deus bone! Poſſitnè dari minutius aliquid ſinapis grano? *Minimum quidem eſt omnibus ſeminibus.* Seratur modò, brevi præter modum excreſcet. *Cum autem creverit, factum eſt majus omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cœli habitent in ramis ejus.*

*Matth. 13.*

Scio quidem ab Interpretibus ſacris granum iſtud multifariam intelligi. Ludolphus Eccleſiam eſſe interpretatur, Paulus de Palatio Virginem Beatiſſimam & Dei ſervos, Hilarius & Gregorius Verbum incarnatum, Auguſtinus fidem, Theodoret. doctrinam Evangelicam; Chryſoſt. cum Hieronymo Verbum Dei. At ſi illorum & veſtrâ veniâ liceat, ad animatum profectum, per granum dictum, hodie peccatum veniale repræſentabo, quod etiam licet exiguum ſit, ſi tamen ſatum frequens agat radices, mirandum in modum citò excreſcit. *Cùm autem creverit, factum eſt majus omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cœli habitent in ramis ejus.* Et ſi leve ſit, ad grave & mortale diſponit, ideoque timendum & ſollicitè cavendum. *Qui peccata minima devitare negligit?* monet S. Gregorius) *à ſtatu juſtitiæ non quidē repentè ſed partibus totus cadit. Admonendi ſunt qui in minimis frequenter excedunt: quia nonnunquam in parva deteriùs, quam in majori culpa peccatur. Unde fit plerumque, ut mens aſſueta malis levibus, nec graviora perhorreſcat; & tantò in majoribus contemnat pertimeſcere, quantò in minimis didicit non timendo peccare.* Videndum hoc in præſenti diſcurſu breviter: attendite & favete.

*Paul. de Palat. Hilarius Gregor. Auguſt. Theodor. Chryſoſt. Hieron. Matth. 13. D. Greg. 3. part. curæ paſtor. monit. 34.*

## PARS PRIMA.

M*Inimum quidem eſt granum ſinapis omnibus ſeminibus; cum autem creverit, factum eſt, &c.* Peccata venialia leves ſunt infirmitates animæ: unde ſicut interdum infirmitas corporis, quæ periculoſa non reputatur, non rarò ingraveſcit fitque incurabilis; ita & infirmitates animæ quantumcumque ſint parvæ, ſi diſſimulentur, non rarò inſanabiles & mortiferæ fiunt. Scribit in Theologia morali Prædicator & Religioſo habitu & munere. Licet à peccato hoc, quia veniale eſt, non tam ingens impendeat periculum, quàm à mortali, & dictum ſit tale, quòd ab eo facilè ſperetur venia, neque occidat animam, quemadmodum facit mortale, ideò ſic dictum; tamen non parum etiam nocet; & quamvis animam non trucidet, lædit tamen, leviùs aut graviùs pro peccati malignitate. Si conſideretur intra latitudinem ſuam, per ſe non privat Divinâ gratiâ, ſed ad perdendam ſemper diſponit; & cùm toties iteratur, aperit facilitatque ad mortale viam, non ſecus ac aqua guttatim per rimam penetrans, paulatim magis navim gravat ad ſubmergendum.

*Aug. Moroſch. de monte Ilic. in Lever. animæ de peccatis venialib. c. 1. § 7.*

Neque ab hac opinione receſſit Beatus Simon de Caſſia. (Multa, quæ venialia ſunt ex genere, fiunt ſæpè mortalia ex peſſima intentione. Nemo autem de ipſorum levitate præſumat, quoniam deprimentia onera ſæpè fiunt ex rebus levibus aggregatis. Et guttæ plurimæ ſæpè conve-

*B. Simon de Caſſia l. 8. de vitiis c. 43.*

niunt in torrentem, & tranſvadari non poſſunt ſine periculo mortis, & levia vulnera iterata intulerunt viventibus etiam)

*Dionyſ. Carthuſ.*

Conſentit Dionyſius Carthuſianus expreſſis his verbis: (Cùm venialium culparum frequentia ad mortale diſponat peccatum, verendum eſt valdè, quod tam negligenter & intimoratè agendo, in mortale ſæpius ruamus. Hinc cum ſumma humilitate & ingenti ſollicitudine admonemur, ut non ſolum peccata criminalia caveamus, ſed & parvas negligentias quotidiè quaſi venena diaboli reſpuamus.

*D. Cæſar Arelat. Homil 32.*

Obſervatu dignum eſt, nec ſilentio prætereundum, quod Monachis inculcavit Cæſarius Arelatenſis. (Quo modo navis, poſteaquam pelagi fluctus evaſerit, ſi in portu deſtituta fuerit, minutiſſimis guttis impletur & mergitur; ſic & Monachus, devictis & ſuperatis ſeculi tempeſtatibus, & mundi hujus, quaſi periculoſis fluctibus, cùm ad portum monaſterii venerit, ſi minuta, & quotidiana peccata de animæ ſuæ ſentina exhaurire neglexerit, in ipſo portu naufragii diſcrimen incurrit.)

*S. Aug. de decem cordis. Et Amb ſpira de contam. conſc. f. 3. col. 2. concl. 1.*

Solus hic ſufficeret ſanctus Pater Auguſtin. & doctrinam ejus præ cæteris venerari par eſt. *Nolite* (inquit ipſe) *contemnere venialia, eo quod minuta ſunt: ſed timete eò quod plura ſunt: plerumque enim beſtiæ minutæ nocent. Nunquid minutiſſima ſunt grana avenæ? ſi ea navim mittantur, mergunt illam, ut pereat. Quàm minutæ ſunt pluviæ guttæ: nonne flumina implent, & domos dejiciunt? timenda eſt ergò ruina multitudinis, etſi non magnitudinis.*

*S. Aug. tract. in c. 1. Ioan.*

Idem ſanctus Pater appoſitè novum hic dubium excitat. Locutus itaque de peccatis venialibus, ait: *Multa levia faciunt unum grave.* Cui doctrinæ contrarii mihi videntur omnes Theologi: quia in æquilibrio ponantur, una parte cuncta venialia præterita, præſentia, futura & poſſibilia; altera verò peccatum unum mortale, hoc indubiè præponderabit. Quo igitur fundamento dixiſſe potuit Theologorum Coriphæus: *Levia multa faciunt unum grave*? Et ſententiam à paritate indiſpoſitionum corporis confirmat: ita enim, quantumvis ſint leves & corrigibiles, graves fieri poſſunt & incurabiles.

*D. Tho. 2. p q. 88. a 3. & 4.*

Directè oppoſita hic videtur doctrina Sancti Thomæ Doctoris Angelici; aſſerit enim: *Veniale & mortale differunt, ſicut finitum & infinitum.* Si finitum non poſſit reddi infinitum, quomodò veniale unicum, quod peccatum finitum eſt, fiet mortale quod eſt infinitum: Cui ergò credendum hic? Sancto Auguſtino, an Divo Thomæ? unus Theologorum eſt princeps, alter inter Doctores Aquila æſtimatur; utrique aſſentiendum, eâ tamen diſtinctione, ut *multa levia fieri unum grave integraliter* neget Angelicus Doctor: quia levia etiamſi plurima nunquam pertingent ad gravitatem peccati mortalis. At verò Auguſtinus intelligit, *multa levia fieri unum grave, non integraliter*, ſed *diſpoſitivè*, id eſt: Multa peccata venialia, ſi neglecta ſint & ſæpius iterata, ad mortale diſponunt: unde multoties experimur è grano ſinapis minutiſſimæ culpæ excreſcere abominandam arborem lethalis offenſæ. Hic verus eſt ſenſus, in quo cum Sancto Patre Auguſtino convenit Doctor Angelicus, ita verba exponens: *Non quod multa venialia faciunt unum mortale; ſed quia, ſi contemnantur, diſponunt ad lapſum peccati mortalis.* Accedit Cajetanus ſic expreſsè confirmans: (Peccans in eo, quòd conſuevit non ſubjicere voluntatem ſuam debito ordini in minoribus, diſponitur tanquam removendo prohibens ad hoc quod non ſubjiciat eam debito ordini etiam in majoribus.) Atque ita quod eſt peccatum (ſecundùm quid & præter legem, fit peccatum ſimpliciter, & contra legem.]

*D Th... ſupra*

*Cajet.*

Mellifluus Doctor de peccato veniali diſſerens, ſententiam protulit non parum etiam intellectu difficilem. Attendite, obſecro: *Veniales culpas nemo contemnat: impoſſibile eſt cum eis ſalvari.* Neſcio quomodo hoc verum, & quis intelligat, ſiquidem. *Veniale eſt illud, de quo facilè venia habetur.* Ratio evidens eſt petita à Divo Thoma, quia *per veniale non avertitur mens à Deo, ſed retardatur affectus hominis, ne promptè feratur in Deum.* Quid ergò Bernardus intendit dicens: *Cum veniali impoſſibile eſt ſalvari?* Si *cum mortali* dixiſſet, facilè aſſentiremur.

*S. Bern. cœna Dom. Dur. l... de 4. q... n. 10. D... Tom. 3... 87. a. 1.*

Videamus an ex Evangelio S. Joannis haberi poterit lumen aliquod ad clariorem intelligentiã. Quando renuit S. Petrus, noluitq; permittere ſibi pedes lavari dicens: *Non lavabis mihi pedes in æternum;* Dominus reſpondit: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum, id eſt, in beatitudine,* ait Ludulphus Carthuſianus. q. v. d. Ni permiſeris lavari pedes, non eſt quòd ſperes mecum habere partem in æterna beatitudine, non ſalvaberis. Sed quid tam ſordidum & enorme habere poterat in pedibus, ut propterea excluderetur à gloria? Per immunditiam in pedibus (ait Albertus Paravinus) intelligebat Chriſtus peccata venialia. (Qui lotus eſt à Baptiſmo non indi-

*Ioan. 13. Ludolph. Carth. ibid.*

*Alb. Pa...*

*tuo ſer. 5. major hebd.* indiget niſi ut pedes lavet, id eſt, animæ extremos affectus à pulvere venialium. ) Non potuiſſet ergò ſalvari Petrus ob iſta venialia? hoc eſt, quod dictum à D. Bernardo: *Impoſſibile eſt cum venialibus ſalvari*, ſic ut locus ille ſacræ Scripturæ de Sancto Petro, non ſolum non tollat dubium, ſed confirmet magis, & augeat difficultatem, ut proinde hic in me dictum cadat, *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.*

Ad diſſolvendum hunc nodum Gordium in Sacra Pagina, nil melius quam ad doctrinam S. Auguſtini refugiamus. Intendit itaque Chriſtus Petro ſuadere, ne leviter ſperneret immunditiam pedum, per quam intelligebat peccata venialia, quia aperiunt viam ad mortalia, quæ impediunt habere cum Deo partem in beatitune, redduntque impoſſibile conſequi ſalutem. Ut proinde meritò D. Bernardus affirmet: *Impoſſibile eſt cum eis ſalvari.* Audite iterùm lubet loquentem Auguſtinum: *D. Aug. l. de Cant. nov. c. 2. q. 4. L. Iuſt. c. de prob.* *Non negligamus noſtra peccata, minuta ſunt, ſed multa: fluctus unus validus irruens obruit navim, minaturq; naufragium.* Et quis neget id verum quòd *multa pauca faciunt unum ſatis?*

Sponſa ut erat vineæ ſuæ amantiſſima, hortum ingreditur, viderque multis in locis vulpeculas foſſiſſe & vineam devenuſtaſſe. Hortulanum accerſit, jubetque ſtatim laqueos extendi capiendis nocivis iſtis animalculis, ne brevi tempore tota vinea defloretur & pereat. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Quaſi dicat, ne noſtræ, quod aliorum vineis, accidat, parvulas vulpes diligenter abigite, aut, ſtudioſè apprehendite: peſtilenti namque ore arrodunt pampinos, corrumpunt flores, faſcinant fructus. Profectò, Sponſa melius erga vineam affectum oſtenderes, ſi vulpes jam adultas grandeſque capi imperares; illæ enim corrumpunt & devaſtant in horto quæcunque obvia. *Aloyſ. Legion.* Non inquit ipſa, non: *vulpes parvulas*, dico, iſtæ *demoliuntur vineas. A quibus metuit Sponſa? à parvis vulpibus. Quæ porrò vulpes iſtæ ſunt?* Reſpondit Ægidius Colomna Hæreticos intelligi. *Ægyd. Colom. in Cant.* ( Quia quando Hæretici incipiunt pullulare, & ſunt parvuli, tunc capiendi, id eſt, ſunt convincendi per doctrinam ſanam: quia poſtquam confirmati ſunt in errore ſuo, non ita de facili convertuntur.)

Attamen dicit citatus Author Legionenſis; intelligi peccata venialia, quæ diaboli technæ ſunt, quibus Religioſos ac integræ vitæ viros circumvenit; quos, cùm ad graviora flagitia exhorteſcant, per minuta ſenſim obruere tentat, & in mortalia præcipitat. ( Diabolus recti ſpecie decipiens, & in peccata levia, ac vix eo nomine digna, bonos, ſed non benè cautos viros inducens, eos in exitium tandem præcipitat: dumq; ipſos imprudentes leviorbus peccatis implicat, viam ſibi munit ad inferenda majora damna. ) Viam dæmoni ſternunt, quâ ad animæ noſtræ vinea ingreditur, occupat & malè tractat. ( Jure optimo (dicit Geslerius) parvularum meminiſſe vulpecularum, earum potiſſimùm, quæ juxta vineam naſcerentur, parvulorum ac venialium peccatorum, ab iis potiſſimum tanquam à prima cauſa vinearum ac Religionum dependere demolitionem. *Gisler. ibid. exp. 32.* ( Quaſi velit inferre Spiritus Sanctus, quòd plus animæ noceant vulpeculæ multæ peccatorum venialium, *ſaltem diſpoſitivè*, quam vulpes una major peccati mortalis. Capite ergò vulpeculas illas malignas & occidite, quia illæ ſufficiunt ad inficiendam vineam animæ, ne ſperatum proferat fructum. *Capienda ſunt vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas; quia non captæ creſcunt, & nocumenta ingerunt multa.* *Lobez. ibi.* Solida ergò & ſana doctrina eſt Sancti Patris: *Levia multa faciunt unum grave*

Pace tuâ, ſancte Pater, dixero, melius ſinapis naturam & qualitates expreſſiſſes dicendo: *Non multa levia, ſed unum leve facit unum grave.* Pro ſimilitudine faciet, quod relatum eſt in Geneſi: *Gen. 40.* Menſæ aſſederat Pharao, & cùm jam panem frangeret: capillum in pane reperit & iratus erumpit: Qualis iſte panis; quis fecit & appoſuit menſæ? Piſtor (aiunt) Regiæ Tuæ Majeſtatis. Vocetur ipſe. Tune confeciſti hunc panem? vide bene, non fallor, capillus injectus eſt. Apage ad carcerem, morte delictum hoc lues. Servi nequam in ſordibus enutriti, malè nati, malè creati, veſtro jam malo diſceris quanta ſit adhibenda in obſequio Regis ſolertia & circumſpectio. Date potum. Adeſt pincerna, vinum in ſcypho offert, & caſu muſca inciderat. Quid hoc? iterum clamat! ſiccinè aſſervatus eſt potus Regis? in pane capillus, in vino muſca? Inepti vos meliùs beſtiis ſerviatis quàm Regi. Itane curatis quæ Regis ſunt? non impunè id factum, juſtas dabitis pœnas. Trudantur in carcerem, nec ſub ullo prætextu audeat aliquis pro illorum libertate ſupplicare. Quid hoc (NN.) quòd ita conturbatus ſit & indignatus Pharao pro capillo uno, pro muſca? [ Hoc communiter ſervis Principum evenire ſolet (ſcribit Oleaſter) ut propter facilem cauſam detrudantur in carcerem, & unâ horâ perdant, quod totâ vitâ ſuâ meruerunt. *Oleaſt. ibi.*

Varia

Varia & injuſta res Principis animus, ut qui pro re minima hominem ſummè evehat, & pro nihilo deprimat.) Nunquid leve aliquid capillus, aut certè exigua res eſt muſca? cauſa tamen ſunt cur gratia Regis exciderint, in carceres detruſi ſint, & alter mortis ſententiâ mulctatus. *Propter facilem cauſam*, pro tantillo, *unâ horâ perdunt, quod totâ vitâ ſua meruerunt*. Muſca in carcerem deturbat & longùm detinet: capillus pani inſertus, hominem ad mortis coegit ſupplicium. Nimis delicatus & faſtidioſus Pharao ob leviſſimos defectus immodicâ efferbuit irâ; nobis tamen hinc Spiritus ſanctus utiliſſima inſtillat documenta: ut ſcilicet à defectibus etjam minimis caveamus, cùm ex illis non rarò gravia pullulent mala. *Propter facilem cauſam* (Ecce quid faciat venialis culpa) perditur Divina gratia, & conſequenter omne acquiſitum meritum, cùm & diſſimultatis quotidiè venialibus facta eſt diſpoſitio, ut ad mortale deveniretur. *Vnum leve facit unum grave.*

Cùm degeret in ſolitudine populus Iſraeliticus, homo occurrit ligna minuta ſabbatho colligens ad ſtruendum ignem, quo ſe calefaceret. Videntes Iſraelitæ, in carcerem detrudi curârunt, & accuſarunt apud Moyſen & Aaron.
*Num. 15.* *Invenerunt hominem colligentem ligna Sabbathi.* Et ut delicti meritas pœnas lueret, ad Deum recurrerunt pro mortis juſtæ ſentẽtia, acceperuntque reſponſum: *Morte morietur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba.* Quomodò? tantillo delicto tam gravis ſit pœna? hoccine mirum, lignorum aliquot fragmenta Sabbatho levare de terrâ? ſi arborem aſciâ dejeciſſet, aut horas integras die feſto laboraſſet, tantùm & ampliùs meritus diceretur, & tranſeat: ſed quia ligni particulas colligit ad accendendum ignem, neſcio quâ lege ſit condemnatus. Certum eſt (NN.) hujuſmodi lignorum collectio non erat peccatum, aut ſaltem vix veniale: quia tamen *unum leve facit unum grave*, diſpoſitio fuiſſet, ut alias ſibi licitum crederet, diem integrum laborare;
*Fr. Mend. 1 Reg 3. n. 9. an. 2. ſec. 1.* atque hoc peccatum foret mortale, idque graviſſimum. Juſtè ergò lapidatus eſt, *ne ex tranſgreſſione, ut ſæpe fit progrederetur.*

*Pſal. 16.* Mira videri poſſit, meo judicio, ſereniſſimi Judææ Regis petitio, cùm ſic Deum orabat: *Cuſtodi me Domine, ut pupillam oculi.* Utinam me Divina tua Majeſtas à peccato præſervet eâ diligentiâ & ſollicitudine, quâ cuſtodit homo oculi pupillam. Scio cuilibet curæ eſſe, ut ſingula corporis membra conſervet; cur igitur non æque dixit: Cuſtodi me ut caput, ut linguam, ut vultum, ut pectus, aut ut aliam aliquam partem corporis? Ah! magna diſparitas eſt, ait Propheta Regius: oculus ita delicatus eſt, ut etiam à minutiſſimis lædatur, puta crine, pulvere aut atomo, & non ſolùm in grandioribus & gravioribus. Volebat ergò David ſic Domino ſupplicare: Obſecro. Deus bone, ut me tuearis, nedum à magnis & gravioribus, ut ſunt peccata mortalia, ſed & à minimis atque leviſſimis, ut ſunt venialia. *Eſt oculus nimis delicatus, cui non ſolum magna, ſed etiam parva nocent.* Ideò ſedulò monet Divus Ambroſius, ut internis oculis omni ſtudio ſubtilem pulverem culparum venialium excutiamus. *Ideò proſpiciendum, ne quis pupillam pulvis erroris oblimet, aut nulla vexet feſtuca peccati.* Trepidat Sanctus Rex, ne à grano ſinapis infelix arbor peccati mortalis excreſceret, altè retinens, quia *Vnum leve facit unum grave.*

Peccatum Evæ, quod fuit omnium generaliſſimum, unde creditis habuiſſe originem? è grano ſinapis, ex actione aliqua, quæ vix materia ſit culpæ venialis. Invidebat illis dæmon felicitatem, qua in Paradiſo terreſtri Adam & Eva fruebantur.

*Vidit ut iſte novos homines in ſede quieta*
*Ducere felicem nullo diſcrimine vitam,*
*Subjectiſque frui placida inter gaudia rebus:*
*Commovit ſubitum zeli ſcintilla vaporem,*
*Excrevitque calens in ſæva incendia livor.*

Tortuoſi ſerpentis pelle larvatus mille flexibus & amplexibus ſtringit arboris vetitæ ramos, & blandis perſuaſionibus mulierem invitat ad tranſgreſſionem præcepti. Vide, Eva, quàm pulchri ſunt fructus, ac ſi dicat: O ſi ſcires quam grati ſint ſaporis & quantæ dulcedinis! Scio, cogereris fateri verum, te nuquam ſapidiores comediſſe fructus nec ſuaviores. En ramus iſte ſponte inclinat & ad colligendum allicit. Non faciam (ait Eva;) Deus enim prohibuit, ne tangerem, nolim hic Domini mei violare præceptum. *Præcepit nobis Deus, ne tangeremus.* Dicite vos Sancti Patres; quia penitus ignoro, cur dixerit, Deum prohibuiſſe, ne tangeret. Sacram paginam revolvite, nullibi reperietis hujuſmodi prohibitionem. *Ne tangas*: benè quidem *Ne comedas.* O Deus! Eva nunquam poterat loqui meliùs. *Gen. 3.* Ad Legiſperitos hic recurrendum, ut clara ſit propoſitæ difficultatis ſolutio. Fortaſſis veſtrum nonnemo reſpondeat,

dixiſſe

dixiſſe *explicitè* quidem, *ne comedas*, ſed *implicitè* inſuper, *ne tangas*, juxta legem, quæ habet: *Tacitum idem operatur, quod expreſſum:* & quod idem eſt, *Taciti & expreſſi idem eſt judicium.*

L. Quid ff ſi certum petatur.

Reſponſum hoc placet, ſed magis adhuc Baldi veſtri ſententia, quæ plus ad rem noſtram accommoda: *Cùm aliquid prohibetur, videtur omne illud eſſe prohibitum, per quod pervenitur ad illud.* Undè quia à tactu veniretur ad collectionem, & à collectione ad eſum, prudenter eſt dictum, *Præcepit nobis, ne tangeremus.* Confirmari denuo poſſit aliâ lege: *Aliquo conceſſo, ea omnia intelliguntur conceſſa, ſine quibus eo commodè uti non poſſumus.* Ita ut conceſsâ gratiâ, ſubintelliguntur conceſſæ illæ omnes circumſtantiæ, ſine quibus commodè haberi non poteſt. Sic contrà (ſiquidem *Argumentum à contrariis valet, quia oppoſitorum eſt eadem diſciplina* (argumentabor in hunc modum: *Aliquo negato, ea omnia intelliguntur negata, cum quibus eo commodè uti poſſimus.* Ea etiam eſt opinio Oleaſtri. (Pius Pater præcepit non tangere, licet ſcriptum non ſit; ne contingeret edere. Solet Dominus vias ad peccandum ceu initia præcludere, ne contingat peccare.)

Bald. in l. Gratis. 16. ff. de Sponſal. l. Verbo virtus. ff. de verb. ſignif. leg. ff. de alt. leg. cum ſuis conc. L. 1. ff de iis qui ſunt ſui vel alien. jur. §. 1. inſ. eod. Oleaſt. in c. 3. Gen.

Nihilominùs Abulenſis exiſtimat Deum non prohibuiſſe, ne tangerent, ſed ne comederent. *Deus ſolùm guſtum prohibuit, non tactum.* Sic ut manum extendere & tangere, malum non foret, vel, ad ſummum veniale. Benè itaque ſerpenti reſponſum eſt: *Præcepit nobis Deus, ne tangeremus.* Quaſi dicat Eva: ſi veniale peccatum hîc committam tangendo, viam aperuero ad mortale graviſſimum, comedendo, ut factum eſt. O maledictum ſinapi, ex quo tam infelix eſt arbor! *Ideo nolebat tangere, ut magis elongaretur à guſtu,* ſcribit Abulenſis. Et ne fortè quis objiciat, *Dictum unius eſt dictum nullius*, ulterius confirmo: *Præcepit nobis Deus, ne tangeremus.* (interpretatur noſtri temporis accuratiſſimus Scriptor) Ne fortè movendo manum, ut tangerent, deinde etiam gliſcente appetitu ad edendum pomum procederent) Aut, quia ut alii.

Abulenſ. ibi c. 3. quæſt. 5.

L. Inſtur. c. de teſt. I. Hayi ibi.

*Subjiciunt epulis oculi venerabile lignum.*
*Inſpiciunt dapes, contactuque omnia fœdant.*

Jobus patientiæ exemplar propoſitionē hanc ſcripſit, quæ in ſe quidem facilis apparet, redditur tamen intellectu difficili, eò quòd lectionem varient Septuaginta. *Tygris periit, eo quod non haberet prædam.* Septuaginta legunt, *Mirmicoleo*, alii *Formicoleo periit.* Quodnam hoc animal mediâ parte formicam referens, mediâ leonem? quomodo in ſe admiſtum aliquid habeant quæ ſtaturâ, proprietatibus & membrorum diſpoſitionibus maximè diſparia. De Centauris legiſſe memini, conſtare partim eos humanis membris, partim equinis: de Sirenibus referunt, ſuperiori parte virgines videri, inferiori piſces: at verò animal eſſe, quod mediâ ex parte leo, mediâ ſit formica, incredibile videtur, nec putem hujuſmodi repertum temporibus Jobi. Non tamen arbitror chimæram eſſe, cum apologicè deſcribat S. Althelmus in ſuis Poeticis.

Lib. 4.

S. Odo. Abb. Clun. l. 5. in Iob. in Bibl. vet. PP. t. 10.

*Dudum compoſitis ego nomen geſto futuris,*
*Vt leo, ſit formica vocor ſermone Pelaſgo.*

S. Althel. in l. ænig. pent. n. 2. in Bibl. vet. PP. T. 8.

Bene locutus eſt Job, neque potuiſſet meliùs, cùm & noſtro ævo adhuc reperiatur. Quid iſta formica? Peccatum unum veniale, quod neglectum paulatim, *Saltem diſpoſitivè* fit leo ferociſſimus, dico, peccatum mortale. Teſtis hic mihi S. Nilus: (Impetus cupididatum ab abjectiſſimis cogitationibus incipiunt, & formicarum in morem ſenſim repunt; paulatim autem in eam creſcunt magnitudinem, & cuilibet, non minus quàm leones, timorem atque periculum afferunt. Unum leve facit, &c.)

S. Nilus in Aſcet.

Videte interim ne deterius eveniat; ſiquidem non rarò *Vnum leve facit unum graviſſimum.* Sanctus Præſul Auguſtinus in hæc verba Sancti Joannis Evangeliſtæ. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* narrat ſtupendum hunc caſum. Catholicus diſputabat cum Manichæo negante Deum eſſe omnium Conditorem. Catholicus ſolidis rationibus Manichæum convincere ſatagebat, & cum in fervore diſputationis, caſu muſca circumvolitat, & Catholicum continuò infeſtat, jam in fronte mordet, nunc in ore, in oculis modò ac naribus, & quò plus abigere manibus nititur, eò crebriùs revolat, ut affligat. Vidente Manichæo Catholicum iraſci, indigneque ferre unius muſcæ inſolentiam, factus impatiens dixit: Muſcam hanc vides, quàm mihi moleſta ſit, credine poſſit productam à Deo, eumque illius Authorem? Verba ſunt D. Auguſtini; *Quia tædio affectus eſt à muſca, & quia oderat eam, non auſus eſt dicere. Deus illas fecit, ſed credo quia diabolus fecit muſcas.* Optimè reſpondiſti, inquit Hæreticus Manichæus, & verum eſt: *Deus non fecit muſcas* & conceſsâ iſta propoſitione, ulterius induxit ad aſſentiendum, quòd neque

Ioann. 1.

D. Aug. tract. 1. in Ioann.

cætera animalia forent à Deo producta, *Cum non eſſet major ratio de muſca ac de ape, de ſerpente, leone, equo, vulpe, &c.* Atque hoc etiam admiſſo, eo uſque deduxit, ut fateretur neque hominum, nec Angelorum Deum eſſe authorem; atque ita conceſſis illis præmiſſis, coactus eſt Catholicus negare Deum Creatorem animalium, hominum, Angelorum, cæli terræque, & ex perfecto Catholico factus eſt propter muſcam unicam, impius & perverſus hæreticus. Quid muſcâ vilius? Poſſitne tamen dari lapſus gravior quàm in abominandam hanc hæreſim? *Ita miſer ille* (ſobdit Sanctus Pater] *qui tædium paſſus eſt à muſca, muſca factus eſt, quem diabolus poſſideret, qui eſt Princeps muſcarum.* Atque hinc fit magis adhuc manifeſtum, & hoc verum: *Vnum leve facit unum graviſſimum.*

Neque hic audiam qui dicat: *Parum pro nihilo reputatur & ſemper habetur:* Per experientiam enim contrarium evincitur. Quid enim in impreſſo volumine minutius puncto aut commate? Unum vix videatur, aliud indiviſibile mathematicum dixeris. Ex puncto tamen hæreſis oriri poſſit; & hac, quid enormius? De facto oſtendã. Aſſumamus ex Sacra pagina Angeli verba quibus Marias alloquitur, cum veniſſent ad Chriſti ſepulchrum: Salvete, mulieres, quem tam ſollicite quæritis; *Ieſum Crucifixum*? (Marc. 16.) Nolite expaveſcere, quinimo lætamini, quia dilectus veſter quem in ſepulchro non invenitis, glorioſè reſurrexit jam factus immortalis. *Surrexit non eſt hic.* Optima ſanè Angeli propoſitio, vera & Catholica. Si velitis, oſtendo ſtatim, quomodo ex unico puncto ſequatur aperta hæreſis. Ponite punctum medium inter *non* & *eſt*, & legite ſic? *Surrexit non. Eſt hic,* hoc eſt Chriſtus non reſurrexit, ſed adhuc jacet in ſepulchro, quod hæreticum eſt & fidei noſtræ omninò repugnans & deſtructivum. (Cor. 5.) *Si Chriſtus non ſurrexiſſet, inanis eſſet fides noſtra.* Itaque ſi ex puncto, quod grano ſinapis longè minutius eſt, & minimum quid in libro, ſequatur tantus error, facile eſt conjicere, quod ex leviſſimis putà culpis venialibus, naſcantur defectus enormes, peccata mortalia & hæreſes abominandæ. Eò dictum eſt, ni fallor, à S. Ephrem Syro. (D. Epher. Syrus de vicita Spirit n. 36.) *Præceptores non ſolum elementorum ſcholaribus oſtendunt figuras, ſed & minima quæque puncta, & diſtinctiones proponunt. Atque ſic oportet prælatum nihil quantumvis minimum, quod ad ſalutem pertineat, omittere.*

Hyperbolicè aſſertum quis putet, quod jam dicam, ſed tamen re attentiùs inſpectâ, puram eſſe & ſimplicem veritatem fatebimini. *Vnum leve facit plura graviſſima, & maximas;* Atque ea ſunt peccata idololatriæ, de qua docet expreſſe Sanctus Thomas Aquin: *Graviſſimum peccatum eſt; quia quantum eſt in ſe, facit alium Deum in mundo, minuens Principatum Divinum.* (D. T 2.q. a. 3.) Prætereà demonſtrat idololatriam eſſe principium, & eſſe finem cæterorum peccatorum, neque dari peccati genus aliquod, quod ab idololatria aliquando non traxerit originem. *Dicitur autem idololatria eſſe cauſa, initium & finis omnis peccati: quia non eſt aliquod genus peccati, quod interdum idololatria non producat, vel expreſſe inducendo per modum cauſæ, vel occaſionem præbendo per modum initii, vel per modum finis.* (Idem ar. reſp.) Dicite (NN.) Arbor illa infauſta tamque pernicioſa; quæ ramos in ſecunda mundi ætate tam variâ ſpecie in tot Provincias & Regna extendit, unde habuit initium à grano ſinapis, à culpa leviſſima, quæ vix ad materiam venialium pertingere videbatur. Legite & in libro Sapientiæ invenietis, quomodò Pater extincto filio, unico ſuo ſolatio, cum jam diutiùs ferre acerbum dolorem non poſſet, ad mitigandum (Sap. 1) mandaverit fieri imaginem emortui nati. *Acerbo luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem.* Bene quidem uſque modo, neque malum ſubeſſe poſſit, niſi affectus erga filium inordinatus, & immoderatus dolor, idque veniale dicatur: ſed tamen diſpoſitio fuit ad idololatriam, quia (Sap.) *Tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, convaleſcente antiquâ conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta.*

Idem præſtitiſſe referunt Ninum Aſſyriorum Regem Belo patri defuncto, ejuſque ſimulachrum erexiſſe, cui cultum deberent omnes, venerando & adorando in tantum, ut diabolus ſub involucro hoc ſtatim loqui cœperit, dareque reſponſa ad interrogationes ſingulorum. Inde factum, ut imitati ſint alii etiam Reges: atque ita (Viterb. lib. D tom. 1 6. c. 2. mur c. Valen in pſ. Augu Trium in Cant. B. M.) (*Vnum leve facit multa graviſſima, & maxima quæ non, cum Ninus Rex Aſſyriorum fecerit fabricare ſtatuam Beli patris ſui, & fecerit ipſum ab omnibus venerari, in tantum quod diabolus intravit ſtatuam & cœpit loqui & dare reſponſa in ea. Et ſic omnes Reges fabricaverunt ſtatuas filiis & patribus defunctis, in tantum quod idololatria diffuſa & multiplicata fuit per totum mundum.* Idcircò advertit Hippocrates. *Cum morbi inchoant, ſi quid movendum videtur, move.* (Hipp. l. Aphor.)

Ea dæmonis fallacia eſt, ut ad mortalia hominem permoveat, prius (quod ex Philoſophis obſervat) diſpoſitiones venialium introducit: ut catenam gravem collo injicat, ante digitum tenui filo illaqueat. Dum ſatagit inducere ad peccandum mortaliter in materia detractionis, proximum lædendo graviter in honore, prius ad leviter maledicendum inſtigat. Ut ad tranſgreſſionem operis præcepti impellat, ante ad negligendum quæ conſilii ſunt, invitat. Ut ab auditione Miſſæ feſtis diebus abſtrahat, etiam ad non frequentandum Eccleſiam diebus ferialibus, tentat. Omni ſtudio allaborat, ut unum illud non cures, quod ex pio erga Deiparam affectu obſervare fideliter hactenus ſolitus, ut deinde ad violandum jejunia ſub mortali præcepto, incliner. Diabolicum hoc ſtratagema detexit Jacobus de Voragine, ubi ſic ait: *Diabolus in tentando homines incipit à minimis, ut procedat ad majora.* Eò denique omnis infernalis agricolæ labor & induſtria, ut ſemen culpæ venialis in cordis noſtri fundum jaciat, ex quo, ſucceſſu temporis malignitate ſuâ arborem peccati mortalis enutriat. *Tentationum diabolicarum initia fragilia ſunt* (loquitur S. Iſidorus.) *quæ ſi non caveantur, ſed per uſum in conſuetudinem tranſeant, in noviſſimis fortiter convaleſcunt, ita ut nunquam aut cum difficultate vincantur.*

*De ſumm. bono.*

Non temerè nimis ſtandum propriis viribus; quiſquis nimium ſibi fidit, plerumque decipitur. Hinc Dacrianus Abbas ad Odonem Monachum ſcribens, feriò hortatur; *Quantumlibet parva videantur vulnera; quia tamen nec cavent, ut ea ſuſcipiant, nec poſtquam ſuſceperint, debitam curam adhibent, omnino mortifera redduntur.* Hoc præcipuè illis contingit, qui poſt profeſſionem ſtatus perfectionis, ſibi ipſis gigantes videntur & in ſanctitate firmiter radicati, quos diabolus per culpæ venialis tantillum paulatim abducit & in ima deturbat (De quantumlibet, celſo veſtigio [ait Richardus Victorinus) facilè poteſt in ima corrui, vel in profundum demergi)

*Dac. Ab. in ſpecula Monach. in bibl. vet. PP. T. 8.*

*Richard. Victor. de trad. inter. hom. c. 13.*

Quare attendendum, quod obſervat Angelicus Doctor, cùm dictum de peccato veniali, illud eſſe diſpoſitionem ad mortale, bifariam poſſe intelligi: *Vel ut ſit cauſa diſpoſitiva ad effectum directè, vel indirectè.* Cauſa diſpoſitiva directè ad peccatum mortale eſt, exempli gratiâ, actus levis tendens ad libidinem, cui ſi acceſſerint plures & plures actus libidinoſi, ſenſim augetur iſta diſpoſitio eò, ut pertingatur ad commiſſionem actus ceu peccati mortalis ſimilis diſpoſitioni *ſecundum ſpeciem.* Unde diabolus cum te videt addictum ſuperbiæ, terminum directum ut medium aſſumit, putà ob oculos ponendo, ſi nobilis ſis, ſanguinis tui nobilitatem; ſi in dignitate conſtitutus, præ cæteris eminentiam: ſi dives, quod non tibi opus ſit aliorum auxilio: ſi virtuoſus, quod nulli cedere debeas, parem in ſanctitate non admittendo; atque illa via ad ſuperbiæ lapſum pertrahit, utendo pro cauſa diſpoſitiva directè, opinione iſtâ inordinatâ, quam de te ipſe concipis.

*D. Th. 1. 2. q. 88. art. 3.*

Quod ad cauſam diſpoſitivam indirectè attinet, illa eſt, quæ *movet removendo prohibens* ut v. g. columna, dum ſuſtinet templum, prohibet ne cadat: Sampſon amplexu & fortitudine inſolitâ ſibi ingenitâ columnas de loco movit, ſicque fuit cauſa, *tanquam removendo prohibens,* quod templum ſit collapſum. *Concuſſiſque fortiter columnis cecidit domus.* Quomodo aggreditur dæmon, ut quempiam in mortalem noxam protrudat? ſecundum adhibet ſtratagema *removendo prohibens.* Vidit Sathan per exercitiorum ſpiritualium continuam obſervantiam retineri hominem illum à lapſu in delicta mortalia; quid facit? tentat ut modò hoc, modò iſtud pietatis officium negligat, *removendo prohibens.* Carnem domare jejuniis & abſtinentiâ incipis, atque ſic à libidine abſtrahis; & infernalis hoſtis titillat, ut lautiùs vivas, jejunia & abſtinentias contemnendo, & *removet prohibens.* Sic ut ad venialia primum diabolus hominem moveat, quò faciliùs ad mortalia perpetranda convincat; putà ad omiſſionem piæ actionis, lectionis, &c. abducendo. Supereſt ut videamus quid opus facto, ut arborem infelicem lethalis culpæ ex agro animæ noſtræ extirpemus, quod alterâ parte jam dicam. Interim, ut Evangelicum Satorem imitemini, ſerite non ſinapis granum, ſed divitem eleemoſynam in ſinu pauperum, ut vobis ingens excreſcat meritum.

*Iudic. 16.*

## PARS SECUNDA.

NIl melius nec ſecurius ut vitentur peccata mortalia, quàm ut exactè caveantur venialia, etſi exigua ſint & nullius conſiderationis. Strictè prohibebatur Hebræis, ne Sabbatho unquam conferrent acum, ne ſi fortè vidiſſent diruptas veſtes & laceras, acu reparare protinùs voluiſſent, filo uno ſaltem leviter conſtringendo. Atque inde ſic facilè aſſuevisſent paulatim, ut ſibi crederent licitum, veſtes integras reſarcire,

*Navar. Schedia. l. 8. c. 2. n. 9.*

Sabbathum non curando. (Præcipiunt ne quiſquam in die Sabbathi acum deferat, ne ſcilicet delatione, aliquâ aſſueſcendi occaſio adſit, & Sabbathum violent.) Ita Novarinus.

*D. Th. 2.q.110. a. 4.*

O quam benè & ſalutariter monet Doctor Angelicus: *Quilibet debet potiùs mori, & eligere omnem pœnam in generali, quàm peccare non ſolùm mortaliter, ſed etiam venialiter.* Confirmat Subtiliſſimus Doctor Scotus: *Mortem potiùs quis debet eligere, quam minimum veniale, peccatum committere.* Nec aliud movit, opinor, ut tam rigidam contra peccata venialia dicerent ſententiam, quàm quod illis Speculativa Theologia dictaret, illa diſponere ad mortale. Initio, cum cœpit Judas emere & vendere, in corde ſenſit affectum erga nummos immoderatum; ſcintilla modò erat parvæ cupiditatis, ex qua ortum incendium inextinguibile, ex, quo ad furtum inducitur, ad ſceleratam vitam, ad Dei ſui proditionem, ad venditionem ſpe lucri, ad mortem denique corporis infamem, & animæ æternam damnationem. Si modò ſcintillam iſtam priùs extinxiſſet, nunquam eò perfidiæ & nequitiæ deveniſſet Adeſt Joannes Caſſianus (Judas nequaquam eſſet ad tam ſceleſtum proditionis facinus devolutus, ſi non Philargyriæ morbo fuiſſet infectus: Nec dominicæ negationis reus ſacrilegus extitiſſet, niſi prius ſolitus fuiſſet creditos ſibi loculos compilare.

*Scotus in diſt. 22. q. 1. a. 4.*

*Ioan. Caſſian de ſpiritu Philargiæ. l. 7. c. 23.*

Sanctus Abbas Dorotheus narrat, Monachum quendam, cum audiret ſe laudari, ut Religioſum vitæ purioris & irreprehenſibilis, ita reſpondiſſe: Nemo hoc mihi perſuaſerit, niſi Macharius unus, qui ſolus pietate excellit & bonus eſt. Sed quid de Machario? Nemo ſimilis Baſilio & Gregorio. Atque horum etiam ſingulas actiones ſi quis penitius rimetur, & in ipſis defectuoſum aliquid reperietur. Si quis Apoſtolos Petrum & Paulum commendet, ut Sanctitatis exemplar, non contradicam. Imò ſi & hic liceat facere ſcrutinium de vita & moribus, deprehendi poſſit verum hoc: non omne quod lucet, aurum. De facto nemo abſolutè & perfectè bonus niſi ſolus Deus, qui unus in eſſentia, trinus in perſonis, ſolus ſine defectu. Neque hic adhuc finis malitiæ ejus, ſubdit S. Abbas, ſed ulteriùs perrexit, & in Deum ipſum & Sanctiſſimam Trinitatem impegit. (Eos ſprevit: nihil eſſe in pretio, præter Trinitatem aſſerere cœpit: Statimque in Deum quoque factus eſt inſolentior, exarſit, intumit.) Deinde ad mores ita concludit: (Nobis igitur luctandum eſt cum prima, ne paulatim in ſecundam labamur ſuperbiam.)

*S. Doroth de hum. doctr. 2. in Bibl. vet. PP. T.*

Cavendum igitur à defectibus venialibus ut ab hoſte infenſiſſimo, nec refert quod in ſe quid exiguum ſint, & parum læſiva, quia veneno ſuo quantumvis modico ſufficiunt ad contaminandum animam & occidendum. Monitum utile eſt, ad rem noſtram, quod adfert Eccleſiaſt. *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Ut ſerpentem noxium, peccata devita. Quomodo, nunquid animalia ſunt ferociora ſerpentibus? an non magis timendi ſunt urſi, lupi, tygrides, pantheræ & leones? ſerpens non lædit, ſi non exacerbetur, imò ad ſolum aſpectum, trepidus aufugit, ſeque recondit. Unde ergo non potiùs dictum: *Quaſi à facie Vrſi, Lupi, Leonis, &c.* Illa ſolo viſu terrent, ſi fugis, inſequuntur; ſi reſiſtis, diſcerpunt in mille partes. Dicam ego, ait Eccleſiaſt. magna certe differentia eſt, quia animalia reliqua ſe defendere non poſſunt, niſi jam magna ſint; ſed ſerpens, quamvis etiam minimus, tam virulentus eſt, ut ſtatim ac natus, mortem inferre queat. Ideo bene Galfridus: (Parum eſt, ſerpentem non ſentire contiguum, periculoſum eſt vel habere vicinum.)

Salomon Rex ſapientiſſimus monet, ut ad formicam eamus inſtructionem accepturi: *Piger vade ad formicam.* Quaſi dicat: Laborem & greſſus formicæ obſerva, & multa non parum utilia addiſces. Sed quid boni à tam vili animalculo? Dicam: Sæpe attentiùs mecum quæſivi, quare granum, quod à villico ſatum eſt in agro, autumnali tempore, primo vere vireſcat & germinet, & non, quod à formica in æſtate congeſtum in horrea ſubterranea? an non idem granum eſt & eadem terra? unde ergo creſcit unum, non alterum? Reſpondet S. Pater Baſilius & hanc profert rationem; quia ſcil. agricola granum uti reperit, ita & ſeminat; formica autem, priuſquam ſub terram avehat, ab una parte corrodit & demordet filum aliquod, in quo conſiſtit virtus generativa, ipſoque ſublato, granum germinare nunquam poterit. *Secat dentibus fructus medios, arroſoſque condit, ne rurſus in fruges exeant à terra, atque inutiles inde ſibi ad uſum alimoniæ fiant.* Diſce à formica (ait Sapiens:) ſi nolis, ut ſubtile filum levioris peccati mortaliter germinet, formicam imitare, *Seca dentibus.* Sic & in anima non creſcet maledicta arbor lethalis peccati, ſi non ſeminatum ſit ſinapi venialis offenſæ.

*S. Baſ. hom. 9. Exam.*

Cui chara eſt vita & cordi, non ſolum cavet à morte, ſed ab omni etiam infirmitate liber eſſe ſtudet, ſic ut ne vel levem dolorem capitis volens admittat. Ut evitetis mortem æternam, quo-

modo

modo non omni diligentiâ tueamini animam ab omni quamvis etiam minima diſpoſitione noxæ venialis? *Qui vitam diligit* (ſcribit Chriſtophor. Brugenſis) *non ſolùm mortem, ſed etiam morbos ſtudioſè fugit. Et qui lethiferi peccati mortem odit, venialia quoq; peccata, quæ velut ægritudines animæ ſunt, diligenter vitare ſtudet.* Atque inter defectus iſtos veniales frequentiores illi ſunt, quos locutione committimus, verba ſcilicet otioſa. Linguam ergo frænare quilibet ſtudeat, quia inde plurima oriri ſolent mala; inſinuat B. David [Verba otioſa ubicumque ſint, fuge: quia licet non gravia eſſe putentur, tamen eorum conſuetudo generat continuò profectui detrimentum: & ſæpe quando libenter relaxamus linguam in verba otioſa, delabimur paulatim ad nociva, ex quibus oriuntur detractiones vel diſſolutiones, vel graves conſcientiæ corroſiones. Contra tamen facimus, dum in proferendis vani toti ſimus, quia forte damnum inde imminens non perpendimus, & ſæpe æternam damnationem: aut certè nimium de divina miſericordia præſumimus, ut optimè indicat Petrus de Aragonia. *Quia peccator non habet actualem conſiderationem gehennæ, vel quia præſumens de divina miſericordia, ita confidit in illa, ut nullam habeat de juſtitia memoriam.* Omni igitur ſollicitudine, & ut peſtem exitialiſſimam fugite, altè retinentes Gregorii Nazianzeni documentum.

*In Matth. c. 5.*

*In formula Novit. c. 29. in Bibl. vet. PP. t. 11.*

*q. 7. in expl. ar. 2.*

*Ergo cave ne vel labes tenuiſſima mentem.*
*Inficiat, minimasq; etiam procul abjice noxas.*

---

# IN FESTO PVRIFICATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

## ARGUMENTUM.

Sanctiſſima Virgo MARIA, licet Purificationis legi non eſſet ſubjecta, implere tamen voluit, ut ſuo nos doceret exemplo promptam in omnibus obedientiam. Et Simeonis Sacerdotis manibus JESUM conſignavit Mater pignus ſibi chariſſimum; ut diſcamus hinc, quod habemus pretioſius, Deo lubenti animo conſecrare: homines namque Numini applicare ſolent abjecta, cum ſeculo dicarint pretioſa.

## THEMA.

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis MARIÆ, tulerunt JESUM in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, &c.* S. Luc. cap. 2.

INter alia quæ præceperat Deus populo Iſraëlitico ſtrictè obſervanda, unum hoc in Libro Levitici ſpecialiter mulieribus parturientibus. *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus,* & eo tempore elapſo purificanda; Legem hanc implevit MARIA:

*Levit. 12.*

*S. Method. de*

 [Aſcen-

*Simeone & Anna in Bibli. vet. PP. T.*

[Aſcendit igitur in templum (inquit Sanctus Methodius) templo ipſo ſublimior, duplicem gloriam induta, intemeratæ, inquam virginitatis, & ineffabilis fœcunditatis.] Ut lege illâ, ad Purificationem MARIA non tenebatur; ſiquidem peperit *non ſuſcepto ſemine, ſed virtute Spiritûs ſancti*. Atque idcirco Pelbertus ait: [Lex non obligat Matrem, quæ non ſuſcepto ſemine, ſed Spiritûs ſancti ſpiramine conceperat.] Nec immunditiam in partu contraxit, ob quam purificari deberet. *Unde ſordes in Virgine Matre*, (dicit Sanctus Auguſtinus) *ubi non eſt concubitus cum homine patre?* Sanctus Fulgentius: *Crevit partûs integritas.* Et Petrus Chryſologus: *Partus ejus, Matris integritatem non minuit, ſed ſacravit.* Certiſſimum hoc: qui culpâ vacat, purgatione non eget, ſicut nec medicinâ, qui non eſt infirmus: MARIA ergo nec Purificatione indiguit, utpotè quæ (ut ſcribit doctiſſimus aliquis) mulierum pulcherrima, nive candidior, roſâ intactâ rubicundior. Quomodo purificetur ipſa puritas, lux clarificetur, candor niveus dealbetur, & pulchritudo ipſa adornetur? Verba ſunt Hiſpani Scriptoris: [Las muger mas limpia que la nieve no piſada, y que la roſa no to cada de ottas manos, que de la naturale ça? No tiene eſſa obligation. Come puede purificarſe la pureça? eſclare cerſe la luz? blanqueare la blancura? harmoſearſe la bellezza?] Confirmat Sanctus Abbas Odilo: [Non indigebat Dei Genitrix Purificatione carnali, quæ concepit, non operatione virili, ſed virtute Altiſſimi, & virtute Spiritûs Sancti.]

*Pelb. l. 2. p. 2. art. 1.* — *S Aug. l. de leg. ad Manich.* — *S. Fulg de laud. B.V. Maria.* — *Chr. Fonſ. c. 15 de vita Christi in Purif. B. V. M.* — *Serm. 3. in Bilb vet. PP. T. 10.*

Lege divinâ præceptum eſt, & cælum jubet; vult obedire MARIA ſine ulla diſcuſſione: (Non quod aliquid eſſet purgandum in ea, (ſcribit Hugo Cardinalis) ſed ut faceret ſecundum conſuetudinem legis.) Aut, ut cum D. Thoma loquar, *MARIA voluit purgari poſt partum, non quidem propter aliquam immunditiam, ſed propter humilitatem & obedientiam, & ut approbaret legem & vitaret calumniam.* Accedit Haymon Epiſcopus Alberſtatenſis: MARIA Virgo legi ſubjici voluit, abſtinendo ſe ab introitu templi per quadraginta dies, non neceſſitate cogente, ſed propriâ voluntate, juxta id quod Scriptura dicit: Quantò major es, humilia te in omnibus.

*In c. 2. Luc.* — *3. p. q. 37.* — *In Feſto. Purific.*

Optimè Mellifluus Doctor, qui omiſſis reliquis, duas adfert rationes Purificationis, quarum, prima hæc eſt, ut obedientiæ nobis exemplum daret: *Purificatur MARIA in cumulum obedientiæ.* Et expreſſius Ludolphus Carthuſianus: [Ut exemplum obedientiæ nobis daret. Huc voco ad confirmandum, quod ait S. Epiſcopus Fulbertus. MARIA non indigebat legali purificatione, quia munda erat & ſancta: humilitatis tamen & obedientiæ causâ legi ſe ſubdens, obedire voluit legi, quamvis non indigeret, obtulit in templo Dei, filium ſuum cum hoſtiis quadrageſimo die nativitatis. Secunda eſt ratio ut perficeret opus ſupererogationis implendo legem, ad quam non obligatur. *Et plus fecit* (ait Bernardus) *quam facere tenebatur.* Et cum in templo obtulit filium ſuum unigenitum, quo nihil habebat in vita charius, nil pretioſius: *Tulerunt IESUM in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* Ad inſtructionem noſtram ſic fecit, ut diſcamus Deo conſecrare, quod in mundo hoc magis charum & magis pretioſum poſſidemus. Atque tria hæc puncta in præſenti expendam ſingula, & dum Virgo Mater dilectiſſimum uteri ſui pignus Domino offert, exhibebo ipſe diſcursûs mei fœtum; at quia par columbarum non mihi ſuppetit. *Par turturum, aut duos pullos columbarum* concedite, ſilentium, inquam, & attentionem.

*D. Bern. 1. p. c. 12.* — *De P[ur.] in Bibl. vet. P[P.] T. 1.*

## PARS PRIMA.

POſtquam impleti ſunt dies, &c. Sancta hæc virtus obedientiæ, quam ita ferventer cælorum Regina nunc adimplevit, è cælo eſt, & comitata duabus individuis ſociis, promptitudine ſcilicet & ſpontaneâ alacritate, ſic ut vera obedientia ſemper implenda ſit promptè & lubenter. *Fidelis obediens* (inquit S. Bernardus) *neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, prævenit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum ſe colligit, ut imperantis colligat voluntatem.*

*Serm. [de] virtut. obed.*

Sponſus cæleſtis munus aliquod pretioſum date ſponſæ meditabatur, atque ita obteſtatus eſt. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Monilia tibi reſervo, dilecta mea, arte & pretio excellentiſſima. O quàm pulchra ſunt! *More ruralium Virginum* (ſcribit S. Thom. à Villa Nova) *aures tuas murenulis aureis decorabimus.* Sed nunquid magis honorificum ſit, ſi vel catenam auream offeras, aut margaritas exquiſitiſſimas ad colli aut capitis ornamentum? Volebat dicere ſponſus: Quidquid eſt bonitatis in vultu tuo formoſiſſimo expreſſum id lego: comæ tibi aureæ ſunt, ſanctæ videlicet cogitationes: oculi turturum propter modeſtiam: genæ columbinæ propter dulciſſimam affabilitatem,

*Cant. 1.*

& la-

& labra purpurea propter ardentem charitatem:
In c. 1. Cant. unicum deeſſe video, ad aurium decorem: *Mure-*
Septuag. *nulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*
Interpr. Legunt ſeptuaginta: *Vermiculatas in punctis ar-*
& apud *genteis.* Aures, quibus appendi ſolent iſtæ gem-
Hebr. mæ, januæ ſunt, per quas ſonus mandatorum
Dei excipitur. Vermiculatæ ſunt in punctis, ut
diſcamus illo ipſo temporis puncto, quo juſſa au-
dimus, exprompte obſequi; ita ut in eodem in-
diviſibili puncto, auris excipiat mandatum, &
D. Chryſ. voluntas obtemperet. *Talem quippe à nobis obe-*
*dientiam Chriſtus efflagitat,* (ut aſſerit Chryſoſto-
mus) *ut neque punctum temporis differamus, et-*
*iamſi nos aliquod neceſſarium urgere videatur.*

Sponſa Spiritûs ſancti Virgo MARIA hoc et-
iam decorata eſt ornamento, quia ultimum in-
ſtans præcepti purificationis mulierum, primum
De præc. fuit obedientiæ ejuſdem. Unde Bernardus? *Verus*
& diſp. *obediens mandatum non procraſtinat, ſed ſtatim*
*parat aures auditui &c. & totum ſe intus colligit,*
*ut mandatum peragat imperantis.*

In Epiſt. Sanctus Ignatius Societatis Jeſu Inſtitutor, ad
ad Part. Religioſos ſuos epiſtolam ſcripſit & in ea perfe-
Luſit. ctæ obedientiæ modum. *Obediendum eſt modo*
*ſimili, quo ſolemus credere in rebus fidei.* Sed quid
fidei cum obedientia? una eſt in ordine ad cre-
dendum, altera ad exequendum. Joannes Cli-
macus ait, cum de fide agitur, firmiter tenendum
id ſine vacillatione eſſe verum, quod creditur: ſi
& obedientiam adimpleri oportet ſine replica
I. Clim. aut dilatione fieri debet: ideoque eam nominati
Scala Pa- *Inexaminatum atque indiſcuſſum motum* Quis
rad. gra- tamen neſciat, quia *Fides eſt ex auditu & de non*
du 4. *viſis?* Unde accinit Poëta:

Joan. Bapt. Mart. *Fede è ſoſtanza di ſperate coſe,*
*E delle non viſibili argomento,*
*Reſti l'orecchio in aſcoltar contento*
*Quel ch'oſcuro velame à gl' occhi aſcoſe.*

Sic & in obedientiæ executione ſemper pate-
re aurem par eſt, & oculum claudi: ut quemad-
modum fides eſt de non viſis, ita & obedientia
cæca ſit. (Obediendum eſt modo ſimili quo ſo-
Didac. lemus credere in rebus fidei. Et ratio eſt illa, quia
Celada in Deus præcipiens non quærit ſcrutatores, ſed ob
Iudith c. temperatores: non curioſos, ſed Religioſos: non
2. v. 1. ſ. rhetores, ſed obedientes)
25. n. 133. Altera obedientiæ ſocia eſt noſtra voluntas,
ut ſciamus parendum non coactè, ſed ſponte &
libentiſſimè. Teſtis hic mihi ſit Beatus Humber-
c. 8. de o- tus ita loquens: (Voluntaria quoque ſit obedien-
bed. tia, quæ non virgâ, nec calcaribus indigeat, ſed
moveatur ſibilo dulciori: multum enim lauda-
bilis eſt obedientia, quæ præceptum ſervat; lau-
dabilior quæ conſiliis & admonitionibus ob-
temperat: ſed omni laude digniſſima, quæ præ-
cipientis animo ſe conformat.) Quiſquis invitè
obedit, quaſi non obedit. Quis ille ſit, qui verè
de facto portavit noſtræ redemptionis crucem
ad montem Calvariæ, non videtur ſatis clarè di-
ctum ab Evangeliſtis. Sanctus Lucas Simonem
Cyrenæum fuiſſe inſinuat: *Impoſuerunt illi por-*
*tare crucem poſt IESVM.* At vero Sanctus Joan-
nes, ut certum de Chriſto affirmat: *Et bajulans* Luc. 2.
*ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ, lo-* Ioan.
*cum.* Utri ergo credemus? unus Chriſtum tuliſſe
crucem ait, alter Simonem Cyrenæum.

Ex eo, quod refert ſacer Evangeliſta Matthæ-
us, facilius intelligemus: dicit ille Simonem to-
tis viribus reſtitiſſe, ut foret liber à ferenda cruce,
ad quam proinde cogere oportuit, ut urgente
juſtitiâ, invitus obtemperaret. *Angariaverunt*
*Simonem quemdam Cyrenæum, ut tolleret crucem*
*IESV.* Quia non lubenter tulit, cenſendus eſt
non tuliſſe, notat ſanctus Auguſtinus: atque
iſto ſenſu ſcripſit Joannes non bajulaſſe crucem:
reputatur enim quaſi nihil feciſſe, quoad morale
& meritorium, quia invitè. Verba ponam ſan-
cti Patris: *Qui bona faciunt coactè, Deo non ſunt*
*accepti, & Simoni Cyrenæo, quem Iudæi angaria-* S. Aug ſer.
*verunt, ut crucem Chriſti portaret, optimè compa-* 3. ad Fra-
*rantur. Ecce enim Simon Cyrenæus portat cum do-* tres in Ere-
*lore, quia non libenter portat, angariatur invitus,* mo.
*eſt coactus, non autem libens & volens illud operis*
*& oneris ſubivit: nam ubi deficit voluntas ope-*
*randi, omnia operum merita deperduntur.* Quo-
ties ergò actum obedientiæ perficis voluntate
reluctante, in vanum facis & opus hujuſmodi
pro non facto reputatur.

Lege ſimiliter definitum eſt, *Ea quæ fiunt vi* L. Metum.
*vel metu, per exceptionem regulariter irritantur.* §. Sed quod
Sub violentiæ cortice qualiſcumque fructus diu ff. met. cau.
conſervari non poteſt, & ſemper in amaritudi-
nem deſinit.

Quantum Chriſtianus odit diabolum, tanto
plus erit ſollicitus, ne ab impletione Divinorum
mandatorum & obedientia declinet: ſufficit
namque ſola inobedientia, ut in dæmonem
transformet. Deliciis affluebant in Paradiſo ter-
reſtri protoparentes, ſed ut dominium in illos
Deus oſtendat, præcepto obligat, ne ad pomum
quod ſibi reſervabat, ullo modo manus exten-
dant, ut appetant. *De omni ligno Paradiſi comede;*
*de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Gen. 2.

Væ vobis, ſi vos abduxerit cupiditas ad transgrediendum. Si quod mihi placitum eſt, & jubeo, ſervaveritis, manebitis totius univerſi domini: at ſi contrà faciatis, peccati ſervitutem incurretis, & mortis fauces. *In quacumq; hora comederis ex eo, morte morieris.* Promulgatâ hac lege, longius ab eis receſſit Deus: ſed hoſtis infernalis, humanæ felicitas ſemper invidus, ut hominem ad inobedientiam alliceret, & ſic de throno gloriæ deturbaret in miſeriarum abyſſum, habitum induit veneno ſi ſerpentis, & armatus haſtâ, mentitis inquam perſuaſionibus, ad arborem vetitam proceſſit, ibique delegit conflictûs locum, ubi ſe munit ramorum foliis, ut victoriam obtineat. Videte diabolicum ſtratagema. Abſit (ait vafer) Domina venuſtiſſima, ut felicitati veſtræ invideam, quin imò ſummum hoc mihi gaudium videre vos in deliciis terreſtribus fortunatiſſimos. Omnia ſubjecta ſunt pedibus veſtris, ut video, reverentur feræ, recreant flores & odorum incenſo perfundunt, fluminis hujus piſces decorem veſtrum præconio efferrent, ſi non deeſſet loquela, quotquot in loco hoc amœniſſimo videtis arbores, ramos inclinant, ut poma aurea ad guſtum & libitum colligatis. Ecce arbor hæc fructus habet longè ſuaviſſimos; & cùm nec ego ſciam maturiores deligere, vos ipſi accipite & probate.

*Gen. 2.*

Caveo (reſpondet Eva) fructus hi prohibiti ſunt, eoſque Deus ſuis deliciis reſervat, ut ſolus ſit ipſe Dominus; ideo nec maritus, nec ego eum ad immortalitatem aſpiremus, & mortem formidemus, hos fructus comedemus: arbor hæc intacta ſit & ſoli Deo conſecrata. *Præcepit nobis Deus, ne tangeremus, ne fortè moriamur.* Atque ita dextrè, ſcuto reverentiæ præceptis divinis debitæ, arma fatalia propulſavit.

*Gen. 3.*

Quomodo? (ſubdidit dæmon) hoccinè poſſibile ſit, & credatis, ex deguſtata pomi dulcedine mortis amaritudinem exoriri? Contra profiteor & ultrò polliceor, ſi de fructibus his comederitis, in Deos transformabimini. *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Noſtis (NN) quia diabolus mendax eſt, nil tamen hic verius & ſincerius dixiſſe potuit. At ubi dictum aliis, *Latet anguis in herba.* Dicam ego: *Latet anguis in verbo.* Quid ergo hoc promiſſo intendit, *Eritis ſicut Dii? &c.* An ignorabat, Deum eſſe unum ſolum? dixiſſet igitur, *Eritis ſicut Deus.* Quantumvis enim tres perſonæ divinæ realiter ſint diſtinctæ, & quælibet ſit Deus; non tamen tres Dii ſunt, ſed unus ſolus Deus. Quid ergo volebat dæmon dicto. *Eritis ſicut Dii?* Malitia aliqua latet.

In ſcriptura ſacra communiter ubi de Deo in plurali numero ſit ſermo, intelliguntur Angeli. Ita Regius Propheta David ait: *Deus Deorum* (id eſt Angelorum) *locutus eſt. In medio annorum Deos* (id eſt Angelos) *dijudicat. Videbitur Deus Deorum* (id eſt Angelorum) *in Sion.*

Textus Hebræus habet, *Eritis ſicut Elohim,* id eſt *ſicut Dii* in plurali, quia *Elohim* in ſingulari dicitur *El* vel, Eloa. Lipomanus hic confirmat: *Eritis ſicut Dii,* id eſt, *ſicut Angeli.*

Idem aſſerit Angelicus Doctor, in hæc verba, *Non eſt ſimilis tui in Diis Domine,* ita ſcribens: *Sciendum, quod licet ſit tantum unus Deus naturaliter, participativè tamen & in cælo & in terra ſunt Dii multi: dicuntur enim Angeli Dii.* Et paulò infrà. *Angeli autem dicuntur Dii propter abundantiſſimam refulgentiam divinæ claritatis.* Ita ut Adamus (promittebat Serpens) poſt eſum pomi foret in Angelum transformandus. *Eritis ſicut Angeli, ſcientes bonum & malum.* Verè dixit.

At Angelorum alii boni ſunt, alii mali. De quibus intelligendum eſt, cùm dixit coluber: *Eritis ſicut Angeli?* De iis qui *ſciunt bonum ſpeculativè tantum, & malum practicè,* & illi ſpiritus ſunt infernales. *Omnes Dii gentium dæmonia.* Volebat ergo dicere antiquus ſerpens: Si præceptum Dei tranſgrediamini, facti inobedientes, comedendo fructum hunc prohibitum, ſtatim eritis Dii, id eſt Angeli, ſpiritus inquam diaboli. Ita Rupertus Abbas interpretatus eſt ſequentibus verbis: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum, falſis utique Diis, id eſt, ſibi ſuiſque ſequacibus Angelis apoſtaticis ſimiles facere intendebat.* Et tandem ita concludit doctiſſimus Tuitienſis: *Adam penè factus eſt ſicut diabolus.*

Idcirco dicebat Stobæus: *Nullum eſt majus malum, quàm inobedientia.* Quocirca ad obedientiam quemlibet hortatus eſt Seneca, ut quantocyùs juſſa impleantur, juſta ſint aut injuſta. *Æquum atque iniquum Regis imperium feras.*

Quis vilioris eſt conditionis (NN.) diabolus, an petra? quantum ad entitatem moralem, pejor eſt diabolus; ſed quantum ad phyſicam, deterior petra, quia inſenſibilis hæc eſt, & non vivens. Si modò demonſtrem per inobedientiam mutari hominem in petram, annon ſufficienter probavero inobedientem eſſe pejorem diabolo? In memoriam revocate civitatum Pentapolis cladem funeſtam: tanta enim erat incolarum malitia, ut in cælum clamare viſa & Deum ad ultionem provocare. Refertur enim in Sacra

Scriptu-

Gen. 19. Scriptura: *Peccatum eorum aggravatum eſt nimis.* Priuſquam Deus ulciſceretur, Angelum legavit, qui Loth moneret ut cum domeſticis ſuis feſtinanter civitatem deſereret. *Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere civitatis.* Hoc tamen altâ mente retineas præceptum & ſerves. *Noli reſpicere poſt tergum.* Quidquid eveniat, cave ne retrorſum aſpicias, ut videas civitatis deplorandam ruinam. Morem gere, & ne vel tranſverſum unguem à mandato iſto receſſeris. Exit cum familia Loth, & vixdum civitatem egreſſus, ecce ſubitò cælum obſcuratur denſis nubibus; fulgura & tonitrua horrendum in modum exterrent, ex ſulphure mixtum & pice maximum incendium, abſumit omnia, ſternuntur turres, altiſſima corruunt ædificia, abſorbentur vivi homines, & beſtiæ ſunt etiam duriſſima conteruntur. Unde miſericordiâ partim & curioſitate commota eſt uxor Loth, neque diutiùs continere ſe potuit, quin retroſpiceret, ut oculis intueretur tam triſte excidium, quod in corde jam ſentiebat. Sed ô inauditum prodigium! ô quàm ſubita & ſtupenda metamorphoſis! ſiſtitur in terra immobilis, toto corpore rigeſcit: lapideſcunt membra, ſanguis in amaram ſalſedinem vertitur, ſenſim à capite ad pedes albeſcit: vellet movere labra ad implorandum mariti auxilium, ſed hæret lingua immobilis & labia abrupta voce. Ecce mulier in petram ſalis inſenſibilem converſa, *Reſpicienſque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Sed unde tam (Dicz. in conc. D. Math.) infelix & miſeranda transformatio mulieris in ſaxum? ab inobedientia (Ea, quæ præcepto non paruit, tanto affecta eſt ſupplicio, ut in ſtatuam ſalis converſa ſit.)

Virgo Beatiſſima, illa es, quæ tantum actibus heroicis veræ obedientiæ meruiſti, quantum alii demeruerunt non obtemperando. Et ſi uxor Loth per inobedientiam facta ſit conditione inferior (Apud Phil.) ipſo dæmone (*Oppoſitorum eſt eadem diſciplina:*) tu legem purificationis implendo, cui tamen ſubjecta non eras, dignitate ſuperiorem Angelis te reddidiſti. Sciebat Virgo benedicta obedientiæ paſſibus, ceu totidem gradibus, rectà ad cælum aſcendi. Qui ſine mora divinæ Legis præcepta exequitur, alas ſibi parat, quibus elevetur ad gloriam: ubi econtrà qui ſegnis & tardus in obediendo, amovebitur ille, & fruſtra ſperet pervenire citò ad perfectionis apicem.

Laudabilis eſt, & majoris meriti obedientia, (D. Bern. ubi ſuprà.) cùm in executione limites juſſionis excedimus: Talis fuit Mariæ obedientia. *Quæ plus fecit, quàm tenebatur facere.* Diſcat hic Chriſtianus non ſatis eſſe, ſervare tantùm, quæ lege præſcripta, ſed ſuperogandum eſſe ad cautelam, & ultra obligationis metam alloborandum. Exemplum in Job habemus. Voluit Deus ſervum ſuum probari & graviſſimè à diabolo tentari. A Sabæis primum auferuntur armenta, dein Chaldæi abducunt Camelos & Paſtores excubantes malè excipiunt. Modò ignis è cœlo cadit, conflagrant greges, pecora & ſegetes: inde vento rapidiſſimo domus evertitur, & filii in ipſa ſuffocantur, & ſic Job ſolus eſt miſer, & ab omnibus derelictus.

Auditis his triſtibus, quid faceret Job? Surrexit: *Et ſcidit veſtimenta ſua.* Ergone factus impatiens, ab hoſte Tartareo hic ſuperetur? Nudi hunc mundum ingredimur (ait ipſe) à Deo eſt, quidquid poſſidemus *Si Domino placeat ſua repetere, non debemus nos indignari.* An non tibi incidit, bone vir, Deum probare adverſitatibus tuam virtutem, & malleorum ictibus patientiam perficere? (*Auguſt. Stenth. in c. 1. Iob.*)

Non capitis, inquit Job patientiſſimus, Deus bonis omnibus fortunæ ſpoliat, & ad tantam compellit inopiam, ut nihil mihi jam reſtet, niſi ſola hæc veſtis, quâ ſum indutus. Ego autem, ut me totum divino placito conformem, ne ipſam hanc veſtem retinere velim, hoc ſolo contentus, quod ad majorem adhuc paupertatem redactus ſim, quàm certè à me Deus requirat, *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* (*Iob. 1.*) Auferat, obſecro Deus, & hanc veſtem, quam libens dabo & ultrà quàm à me velis. *Etiam hanc veſtem trado tibi* (dicit Origines) *ut nihil remaneat mihi ex his omnibus, quæ tradidit mihi Deus.* (*Orig. hom. 1. in Iob.*)

Quod ſpontè plus facimus, non ſolum acceptum eſt Deo, ſed & abundè remunerat. Perambulabat Salvator Noſter Jericho, & quia jam percrebuerat ſanctitatis ejus fama, confluebant undique, ut viderent & agnoſcerent: ſed reliquis in hoc ferventior Zacchæus ſtaturâ minor, fide maximus, qui omni viâ præ cæteris contendebat, ut Jeſum videret; præcucurrit & in arborem ſycomorum aſcendit. Tranſiens Salvator advertit & parùm intuitus ad ſe venire juſſit. *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* (*Luc. 19.*) Sed quæ virtus in Zachæo, ut tanto haberetur honore dignus? forte ne quia uſurarius erat, & bonis pauperum ipſe dives? an quia Publicanorum Princeps quo non poterat dici pejor? quid bonitatis in homine illo ita movit, & placuit Salvatori, ut ad ædes ejus divertere ſit dignatus?

Præviderat Chriſtus, quia, vixdum ingreſſus eſſet in ejus domum, Zacchæus ſupererogaret, volens non ſolum implere legem, quæ tantum jubet reſtitui, quantum ablatum eſt, ſed plura præſtare, dum promittit non modò reſtituere, ſed quadruplum reddere. Et ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Lex ei, qui, quod fraude aut furto abſtulit, adhuc habet in manibus, duplum tantùm reſtituere præcipit: (ſcribit Janſenius:) Hic autem, ſi quid aliquem defraudavit, illud adhuc penes ſe habuit, nempè pecuniam. Verùm, quo fraudis perfectam faceret ſatisfactionem, & non tantùm reſtitueret malè ablata, ſed etiam damna, quæ fraudati poterant incurriſſe, reſarciret abundè, ſuumque peccatum in ſe ipſo plenè puniret, quadruplum ultrò ſe redditurum promittit.)

*Janſen. in Concord. Evang. c. 106. in c. 19. Luc.*

Aliter Beda in hunc locum, ubi dicit Zachæum à Chriſto ſic honoratum, eò quòd eſſet filius Abrahæ, non quod re ipsâ Zacchæus ſit Abrahæ filius, aut ex ejus ſanguine oriundus, ſed quia virtutum ejus ferventiſſimus imitator: fuerat enim S. Patriarcha hoſpitalis & benignus erga pauperes, libenſque hoſpitio peregrinos excipiebat. Hanc ergo virtutem imitari ſtuduit Zacchæus. *Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Quis verò neſciat, eum, qui reſtituit, implere quod lex præcipit? at qui pauperibus dat, non modò facit opus præcepti, ſed ſupererogationis & conſilii. Quaſi ſic loqui voluit Chriſtus: Video Zacchæe, te futurum Abrahæ imitatorem, qui, cùm dares pauperibus, plus præſtitit, quàm per legem obligabatur. Ideò meritus es, ut te viſitem, poſſiſque meâ præſentiâ recreari. *Filius Abrahæ dicitur,* (concludit Beda) *non quia de ejus ſtirpe ſit ipſe genitus, ſed quia ejus eſt fidem imitatus: ut ſicut ille terram domumque paternam deſeruit, ita ipſe bona ſua partiendo pauperibus relinqueret.*

*Luc. 19.*

*Beda.*

*D. Tho. ad liter.*

Sanctus Evangeliſta Matthæus refert, quomodò Salvator de gratia ſpeciali tres Apoſtolos exaltare dignatus ſit ad cæleſtis gloriæ contemplationem. *Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus & duxit eos in montem excelſum.* Atque illis (ut expoſuit S. Leo) *Claritatem ſuæ gloriæ demonſtravit.* Quærunt hic Sancti Patres, cur tribus iſtis ſolùm favor ille conceſſus. Non ſine myſterio Apoſtoli omnes ad parendum Chriſti juſſis obligabantur, & pro fide mori ſinguli erant parati: at verò tres iſti ad ulteriora ſe offerebant, quàm obedientia exigebat: optabat enim S. Jacobus ante omnes vitam exponere, eſſeque martyr antequam Chriſtus ſic mandaret. Deus nemini legem poſuit de virginitate ſervanda; unde Sanctus Paulus. *De Virginibus* (ait) *præceptum Domini non habeo; conſilium autem do.* Sicut S. Joannes conſervando florem virginitatis illibatum, plus præſtitit, quam cæleſtis magiſter præcipiebat. Divus Petrus, intellecto Domini juſſu cùm in itinere non procul ab urbe Roma occurreret dicens: *Eo Romam iterum Crucifigi.* Statim ſubdidit Petrus, Capio, Domine, quid velis: non modò Romam ego revertar, ut in cruce ſuſpendar, plus faciam: hoc enim jubes, hoc ſolum cupis, ut crucifigar, verum eſt; ultrà conabor, & in cruce pendebo elatis cælo pedibus, capite in terram diverſo. Unde Sanctus Ambroſius: *Crucem Petrus reſupinus aſcendit, ut ſibimet exacerbaret ſupplicium.*

*Matth. 17.*

*D. Leo. hom. de transfig.*

*1. Cor.*

*D. Am*

*Hiero.*

*D. Am*

Vos igitur Diſcipuli mei chariſſimi, qui præ cæteris, in præceptorum meorum executione fuiſtis exacti, plus etiam meremini à me amari, adeoque mecum venite, (qui ſingularis eſt favor) in montem Thabor, ut cæli gloriam prælibetis.

Deus non antè Abrahamo promiſit Sanguinis propagationem, quàm dum immolavit arietem. *Quia feciſti rem hanc, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* An non majus ergo, voluiſſe ſacrificare unigenitum filium, quam immolâſſe arietem? quis dubitet? etſi non fuerit completum ſacrificium in Iſaac, non defuit Abraham, nec ipſe in cauſa, ſed Deus, cum ulterius progredi non permiſit. Remunerare itaque debuerat Deus & ſeminis exaltationem addicere, ſtatim ut erat paratus unicum natum ſuis ipſe manibus occidere. Non ſic, ait Deus, ſed: *Quia feciſti hanc rem:* quia nempè arietem immolâſti, ſic abundè remunerabo. Obſervat id Lucas Burgenſis, ubi ſic loquitur: (Notandum quòd non fuerit factum juramentum Divinarum promiſſionum uſque tunc, ſcilicet poſt immolationem ſecundam, id eſt, arietis,) Primum ſacrificium præcepti fuit. *Tolle filium tuum, quem diligis, Iſaac, & offer illum mihi in holocauſtum.* Secundum verò conſilii, quod ſponte & ultrò obtulit ante ullam Dei juſſionem. Et hinc concluſit Burgenſis. *Gratior fuit gratuita arietis immolatio, quàm iſta unigeniti filii oblatio.* Atque propter hanc meruit Sanctus Patriarcha tam largam cæli retributionem.

*Gen. 22*

*Luc Burg. in addit. ad liter.*

Sed quo animo (NN.) vos ad opera ſupererogationis jam horter & excitem, cum ne quidem ea, quæ legis divinæ ſunt, impleatis? ſi quotidie, quæ præcepti ſunt, tranſgredimini, fruſtra quæ conſilii, proponam. Nomen Dei in vanum aſſumere, blaſphemare, pejerare, loca ſacra temerare in ſæculi vanitatibus & carnis ſenſualitatibus vitæ partem meliorem tranſigere, odium in corde fovere, in ſtatu damnationis annos plurimos contumaciter vivere & à confeſſione Sacramentali abhorrere: vivere, inquam, ſic, quaſi non ſit infernus, qui deterreat, aut Paradiſus, qui ad bene operandum invitet, aut Deus, qui judicet, ſed non ſecus ac ſi anima eſſet æternum victura. Eſte vos judices, an non ea omnia directè legi divinæ oppoſita & maximè contraria.

Obſecro, mi Chriſtiane, exemplo tibi ſit Maria: & ſi plura facere non vis, quàm ex præcepto teneris, cave ſaltem ea contemnere, ad quæ ſervanda te leges obſtringunt. Sancta Eccleſia ſolemne Purificationis feſtum inſtituit, ut ſatagatis omnes Mariam imitari, purificando animas veſtras à peccatorum ſordibus; atque ita eritis divinæ legis fideles obſervatores. Quod ſi præſtetis, ut piè confidere par eſt, etiam Deo offerre jam non turturem, non columbam, ſed largam eleemoſynam, ad pauperum refocillationem.

## PARS SECUNDA.

Luc. 2. TUlerunt Ieſum in Hieruſalem ut ſiſterent eum Domino. Ibat Maria ad templum comitante
Th. Beaux. l. Com. Evang. ſponſo ſuo Joſeph, & conſecrârunt Sancti Simeonis manibus filium, cordis ſui delitias & theſaurum pretioſiſſimum. *Vt ſiſterent eum Domino.* Explicat Ordinis Carmelitici doctiſſimus interpretator: (Hoc eſt, ut offerrent & præſentarent, ſeu conſecrarent eum Domino.) Id legis præceptum: *Omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur, id eſt, conſecrabitur Deo.* At quorſum illa ceremonia? ut diſcamus & nos offerre Deo, quod in mundo chariſſimum & optimum poſſidemus. Verbis
Ludolph. Cart. p. 1. c. 11. dicam Ludolphi Carthuſiani: (Deus voluit ſibi offerre primitias fructuum, ita & primogenita hominum, ſed quare hoc, niſi ut omnia prima, & maximè omnia meliora & cariora Deo offeramus?) Unde Prudentius de Abrahamo ſacrificante ita canit:

Prudent. in præfat. Pſycom.
*Senile pignus, qui dicaret victimæ,*
*Docens ad aram cum litare quis velit,*
*Quod dulce cordi eſt, quod pium quod unicum,*
*Deo libenter offerendum credito.*

Deo offerre nos oportet argentum, non ſpumam, aurum, non lutum, granum, non paleam, roſam, non ſpinam. Maria nil habebat charius in vita, quod offerre poſſet, quàm filium ſuum unigenitum. (Sacratiſſima Virgo ob paupertatem Petr. de
ſuam non agnum obtulit, ſed par turturum aut Arag.
duos pullos columbarum: imò dicere poſſumus, 2. 2. q. 86.
quòd obtulerit agnum illum immaculatum, de ar. 4.
quo Joannes Baptiſta dicebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.)

Poſtquam Rex David feliciter armis ſubjugaſſet Philiſtæos, ſudore nimio & labore exhauſtus, paulatim receſſit & ſub papilione tantiſper reſpirans, Duces exercitûs convocavit. Adeſte, ait, generoſi & fideliſſimi milites; totus ſum languens & ſenſim morior ſiti, neque diutiùs ferre poſſum ardorem iſtum intenſiſſimum quo intùs uror. Credite, non tantâ ferebar aviditate, ut ſanguinem Philiſtinorum effunderem, quàm modò ad aquæ frigidæ potum anhelem. *O, ſi quis mihi* 2. Reg. 23.
*daret potum aquæ, quæ eſt in ciſterna Bethlehem juxta portam!* Tres Capitanei reliquis promptiores. Ecce nos, inquiunt, Rex potentiſſime, ut deſiderio veſtro ſatisfaciamus, currimus, & aquam dabimus aut noſtram vitam. Avolant ocyùs, & cito reverſi aquam deſideratiſſimam Regi propinant; Quàm grata oblata hæc unda? quis explicet aut concipiat? dicentem audire videor: nectareus hic liquor, vinis Engaddi ſapore & dulcedine præſtantior: jamjam præſentio in inteſtino hoc incendio refrigerium, & cordis languidi refocillationem. Sed quid? ubi ſcyphum labris admovit & nondum guſtavit, invertit verſus terram, & aquam effudit. Quis non miretur? Rex ita anhelavit ſitiens, & aquam propinatam non bibit. Certè parvi nimis æſtimat aquam illam, quam pretio vitæ (ut ita dicam) milites illi audaciſſimi compararunt. Habet Sacer Textus: *Noluit eam bibere, ſed libavit eam Domino.* Deo 2. Reg. 23.
itaque offerre volebat. Quæ iſta oblatio eſt, Regem offerre Deo pauxillum aquæ? ah! inquit Propheta Regius, Novi quid divino palato ſit gratum, quid ſapidum, & quid à nobis velit oblatum, quod videlicet habemus in vita chariſſimum; at modò nihil mihi in mundo charius eſſe poterat, quàm aqua iſta, quæ mihi præ deliciis omnibus grata, hanc offerre jam lubet. *Libavit eam Domino* (ſcribit Sanctus Pater Ambroſius) D. Amb.
*ut illa aqua, quæ erat vividæ virtutis, inſigne eſſet* in Apol.
*pietatis Sacrificium.* Dan. c. 7.

Magno applauſu Chriſtus loquebatur de Magdalena, cùm pedes lavit, lachrymis abſterſit &

Matt. 26. Marc. 14. unguento perfudit. *Amen dico vobis: ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dicetur quod hæc fecit in memoriam ejus.* Benè factum à Magdalena, laudo, & volo in Evangelio exactè deſcribi. Dicito, Magiſter bone, an non conveniebat potiùs ita Simonem à te laudari, utpote qui tam benevolè excepit hoſpitio, & opiparè tractavit? non. Unicè placet, quod Magdalena præſtitit, idque mihi longè gratiſſimum, tria ſiquidem dedit, quæ mulieribus amara & chariſſima, monilia lachrymarum exhibuit, aurum crinium, & unguentum odoriferum, idque pretioſiſſimum.

Apul. l. 5. Lachrymas apud mulieres in pretio eſſe, ſatis probavit Pſiche, cùm illis incantare & maritum rapere potuit, ut narrat Apuleius, quod tametſi fabuloſum ſit, oſtendit tamen quantæ ſit efficaciæ lachryma muliebris. Tanti fiebant crines Steph. Guaz. l. 4. anteactis ſæculis, ut cùm ſemel in anno tonderetur Abſalon, capillos abraſos ducentis ſiclis 2 Reg. 14. mulieres Hebrææ redimerent. Vix crederent hujus ævi puellæ, cum non jam communiter ſoleant alienis & falſis crinibus caput adornare. Ideo de Magdalena etiam dicitur: *Capillis capitis ſui tergebat*, ad illarum mulierum differentiam, quæ mutuatis fictiſque crinibus comptæ incedebant. Et unguentum chariſſimum eſſe præſertim mulieribus, cùm nimirum odoriferum eſt, ex Sacra Pagina demonſtratur. Cum Propheta Eliſæus divertiſſet ad viduam, ibique hoſpitaretur, neceſſitates illa expoſuit, quomodò ſcilicet ab obitu mariti plurimis debitis gravata, creditoribus univerſa, quæ poſſidebat obligaſſet. Inquiſivit Propheta, utrum non ſaltem aliquid ſibi 4. Reg. 4. domi reſervaſſet. Cui illa: *Non habeo* (inquit) *niſi parum olei quo ungar.* Atque illud, ut mihi chariſſimum, abſcondi, ne una creditores auferrent. Quid igitur fecit Magdalena? Ad pedes Chriſti ceu altare provoluta, ſacrificium litavit, & quo ſibi charius in mundo nihil, immolavit, D. Paulin. apud Aud. Pint. Ramirez in Cant. l. 3. cap. 7. v. 4. §. 1. n. 165. D. Greg. de Magd. lachrymas nempe, unguentum & capillos. [Ipſos ſibi pedes ſacrarium (ait Sanctus Paulinus) & ut ita dixerim, altare inſtituit, in quibus libavit fletu, libavit unguento, ſacrificavit affectu.] Ut meritò applauſerit Chriſtus: *Amen, dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dicetur quòd hæc fecit in memoriam ejus.* Adeſt S. Gregorius: *Quod ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat: oculis terrena concupierat, ſed his jam pœnitentiâ conterens flebat: capillos ad compoſitionem vultûs exhibuerat, ſed jam capillis lachrymas tergebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot in ſe invenit holocauſta.*

Fateor quidem, poteſt offerre homo quod ſibi viſum eſt, acceptat tamen Deus, quod placitum & gratum. Sacrificabant Deo Cain & Abel; placuit ſacrificium unius, & non alterius. *Reſpexit Dominus ad munera Abel, ad munera Cain non reſpexit.* Gen. Quid hoc? Deus juſtus eſt & æquus remunerator: *Non enim reſpicit perſonam hominum.* Variè reſpondent Sancti Patres; ut brevis Matt. ſim, tranſeo, & hanc unam exiſtimo rationem potiſſimam, quòd videlicet ſelegerit Abel de grege ovem optimam, eamque Domino obtulerit; q. d. [Sacrum, pingue dabo, non macrum ſacrificabo. Idcircò *reſpexit Dominus ad munera* Corn. Lapid. Gen. v. 3. *Abel.* At verò Cain, qui agricola erat, fructus pejores ſegregavit, corruptos ſibique inutiles quos potius abjeciſſet & pede protriviſſet, illos inquam Domino exhibuit, q. d. *Sacrificabo macrum, non dabo pingue ſacrum*, Atque ideo *ad munera Cain non reſpexit.* Idem supr. Cyril. Alexandr. Benè annotavit Cyrillus Alexandrinus: *Quæ ex tempeſtivis frugibus excellentiores eſſent ſatis deliciis reſervabat; quæ verò deteriores haberentur, Deo maximo offerre non erubeſcebat.* Adſtipulatur doctiſſimus Abulenſis: [Ob hoc dicitur ſacrificium Cain non fuiſſe à Abul. Deo acceptum, quia de pejoribus offerebat; A- Idem belis autem ſuſcepit munera, quia de bonis pe- Gen. c. coribus ſuis ad Dei ſacrificium eligebat.] Idem Deuter. alio loco confirmat: [Obtulit Cain de fructibus terræ, ſcilicet de frugibus, ſed de pejoribus, de 12. q. corroſis, de putrefactis. Obtulit Abel de primogenitis gregis ſui; quia primogenita ſunt pinguiora & meliora aliis.

Et tamen innatum hominibus videri jam poſſit; quod ſemper abjectiora conſecrent. Ibat ad conflictum Jephte contra Amonitas, & quò foret certior de obtinenda victoria, ad Deum refugit imploraturus opem, eique vovit offerre in holocauſtum, quod ſibi primum occurreret, caſu quo devictis hoſtibus in civitatem rediret triumphans. *Si tradideris filios Ammon in manus* Iudic. 11. *meas, quicumque prius fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti, eum holocauſtum offeram Domino.* Aſſequitur intentum, domumque victor reverſus, primam omnium obviam habuit filiam. Ut vidit ipſe, indoluit, & triſtè ſuſpirans ſcidit veſtimenta ſua & exclamavit dicens: *Heu filia mea! quoniam decepiſti me.* Quid triſtaris, Jephte? nunquid ergo voviſti liberè? ſciebas autem domi manſiſſe & uxorem & filiam, quarum alterutra eſſet occurſura: ut quid jam occurrente filia ingemiſcis

miſcis & ais : *Heu filia mea , quoniam decipiſti me.*

Decipi quis cenſetur , cum aliquid præter ſpem evenit;at ubi vovit Jephte , ita infra ſe dixit : Uxor mea adventum meum præſtolabitur momentis ſingulis, moræque impatiens obviam excurret, ut me reducem excipiat & amplexetur; atquia non multum afficior, ne diutiùs eam oculis invitus feram, præſtat ut eam Deo ſacrificem, eritque mihi ſuperſtes filia quâ in mundo charius nil habeo: Unde filiam intuitus , lamentatus eſt, *Heu filia mea, quoniam decepiſti me :* fefelliſti me, chariſſima. Advoco teſtimonium Hugonis de ſancto Victore : *Sed quam potuit cogitare priùs occurrentem? Conjugem cogitavit.* At verò quia homo proponit, Deus diſponit, propoſuit Jephte dare quod habuit pejus , Deus autem diſpoſuit, ut optimum acciperet, miſitque in occurſum filiam, quam ſacrificare deberet , retentâ ſibi uxore, Gloſſa ordinaria ſic habet: *Non tamen fortaſſe unicam filiam voluit offerre , quamvis in tanta patris gloria, quis eum poſſet anteire , niſi fortè uxor?*

*Hugo de S Victore de Iephte.*

*Gloſſ. Ord. t. 1.*

Deplorabat hoc pauperum Pater S. Thomas à Villa Nova. *Non offertur Deo niſi inhabilis & inutilis. Si quis eſt in filiis ignavus, claudus, luſcus, atque deformis, hic Domino dedicatur , Propheta reclamante atque dicente : Maledictus doloſus , qui habet in grege ſuo maſculum , & votum faciens, offert debile Domino.*

*S. Th. à Villa-Nova conc. 3. de S. Aug.*

Non aliter agunt hujuſmodi homines, quam Prometheus , qui Jovi pellem offerebat bovis & oſſa, retinens ſibi carnem ; adeoque pari ſunt ultione digni : non à Cinico differunt qui inventâ nuce , Jovi putamen dabat , ſervato ſibi nucleo. Non ſic Romani veteres , qui de ſingulis fructibus primitias conſecrabant , utpote delicias gratiſſimas. Teſtis eſt Alexander ab Alexandro : (Romani Adoleſcentes magnæ indolis, primæ lanuginis barbam Diis conſecrare uſurpârunt.] Sic fecit Nero, Suetonius & alii. At nunc exclamare liceat: (O tempora! ô mores! Nunc ſtipulæ, palea & tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ, Deo offeruntur. Periiſſe putant , quæ Deo obtulerunt in Miniſtrorum aut Templi uſum.)

*Nat. Com. in Mythol. 4. c. 6.*

*Alex. ab Alex. l. 5. Gen. c. 18.*

*Th. Beauxamys t. 1. Harm. Evang.*

Nihil dignius , charius aut pretioſius habuit Maria quam puerum Jeſum & hunc in templo obtulit, & Simeonis ſacerdotis manibus conſignavit, qui accepit eum in ulnas ſuas, & læto corde gratias Deo egit pro ſingulari iſto favore. Sed cur non dicit, quod accepit Jeſum in manus ſuas, ſed in ulnas? (Verba ſunt Pelbarti ) *Quia in ulnis ſeu brachiis amplexando , propinquiùs cordi ponitur.* Quaſi voluiſſet Jeſulo cor ſuum offerre, quod inter humani corporis membra, nobiliſſimum eſt & chariſſimum.

*Pelb. l. 2. p. 2. a. 2. c. 3.*

Nec alia de cauſa voluit, credo, mori, cùm jam Salvatorem teneret manibus, dicendo : *Nunc dimittis ſervum tuum Domine , ſecundùm verbum tuum in pace,* niſi quia deſiderio ardebat, ut Domino victimam velut Magdalena litaret, cor ei donando, ſpiritum & vitam; tria ſibi longè chariſſima; O felix Simeon! O ſenex beatiſſime!

*Cantic. Simeon.*

*Coſi felice ſete*
*Nel fin de gl' anni, che cantar potete,*
*E col voſtro gioire*
*Non ſentir' il morire;*
*Mala vita abbraccitate*
*E pur morir bramate.*

*Bart. Barc. Mant.*

# DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

## ARGUMENTUM.

Pondus diei & laboris æſtum in hac vita ſuſtineat, quiſquis ad æternam quietem aſpirat: non enim ſine magnis exantlatis laboribus cæleſtis gloria poterit obtineri. Otium criminum parens eſt, & errorum omnium receptaculum, ideoque omni ſtudio fugiendum, & ex animo deteſtandum.

## THEMA.

*Quid hic ſtatis totâ die otioſi? Ite & vos in vineam meam.* S. Matth. cap. 10.

*D. Baſil.*

VErum eſt (NN.) non datur in hoc vaſtiſſimo orbis theatro præmium ſine meritis, roſa ſine ſpinis, nec beneficium ſine penſione. *Quæ nos affligant* (ſcribit S. Baſilius) *præcurrunt, beneficium pœnâ eſt poſterius.* Coronam recuſat, qui fugit prœlium, ait D. Gregorius: *Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum. Non coronabitur niſi qui legitimè certaverit. Et ad magna præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores.* Et ſeculi hujus lege receptum eſt. *Ad honores ſine labore non pervenitur.* Et pridem eſt promulgatum: *Honorem habere non poſſumus ſine labore.* Non invenitur triumphantium laurus in amœnis vallibus, nec victorum palmæ, ſed in arduis montium verticibus.

*D. Greg. hom. 37. in Evang.*

*L. 1. c. de excuſ. artif. lib. 10. Cod, de ſtat & imag. l. & virt. & in auth. conſt. de dign. col. 6.*

*Qui laurum, & palmam victricem carpere gaudes,*
*Montis (ſi neſcis) ardua ſcande prius:*

Romani duo templa erexerant, honoris unum, virtutis alterum. *Hæ ergo ædes taliter erant diſpoſitæ & continuæ,* (ut refert Guilhelmus Pariſienſis, S. Auguſtinus & alii) *ut ſolum per ædem virtutis pateret ingreſſus ad ædem honoris.* Unde Lycurgus juvenibus præcipit, ut otium vitantes, ſemper & quovis anni tempore exerceantur, dicens. *Iuſtus labor honoribus, præmiis & ſplendore decoratur.* Hoc indicare voluit, eum, qui laboribus aſſiduis incumbit rectà properare ad mundi gloriam: Unde Ovidius:

*Guil. Par. fer. 4. Quadr. S. Aug. l. 5. de Civit. Dei c. 12.*

*Liv. Val.*

*Ardua per præceps gloria vadit iter.*

Subſcripſit Horatius:

*Ovid. Horat.*

*Nil ſine magno*
*Vita labore dedit mortalibus.*

Euripides ait: *Fortunas ex laboribus venari oportet.* Epicarmus: *Laboribus omnia nobis Dii venditant bona.* Et concludit Sophocles: *Labores ſubire oportet eos, qui ſibi fœliciter eſſe volunt.* Fatetur Philemon hac viâ perveniſſe ad felicitatis apicem. *Niſi enim tunc laboraſſem, nunc minimè gauderem.* Unde alluſit ingenioſus aliquis.

*Euripid. Epicar.*

*Non ſotto l' ombra in piaggia molle,*
*Tra fronti, è fior, tra Ninſe, è tra Sirene.*
*Ma in cima, à Petro è faticoſo colle*
*De la virtu ripoſto è il noſtro bene.*

*Torq. Taſſ.*

Nec minùs hoc verum eſt in cæleſti curia, & æquè ac in mundo obſervatum. Deus vult, ut præceſſerint ſudores, ubi largiuntur præmia. Cælum tenax eſt, nec coronas dimittit, ſi non terra præmiſerit merita, nec tribulationum antè dederit fructus. Sub climate Divinæ providentiæ non prodibit remunerationum ſeges, ſi non prius inter paſſionum tribulos pullulet meritum.

*Non vult felices abſque labore Deus.*

Quibus Deus gloriæ mercedem promittit, ad vineam vocat, ut prius laborent. *Quid hic ſtatis totâ die otioſi: Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis.* Ante ſeminandæ ſunt lacrymæ, quam potiri liceat jucunditatis meſſe: ſpargat dolorum tribulos, qui deſiderat gaudiorum dulcedinem. *Sine labore* (ait piiſſimus Scriptor) *non tenditur ad requiem; nec ſine pugna pervenitur ad victoriam.* Quàm bene addit S. Bernardus: *Non rectè planè; ſed perverſi eſt animi, antè quærere gloriam, quàm exercere virtutem; & velle coronari, qui non legitimè certaverit.* Videndum hoc breviter noſtro diſcurſu. Attende.

Matth. 20.
Thom. à Kemp. de Imit. Chr. l. 1. c. 21.
S. Bern. in Nat. S. Vict. Conf. ſerm. 2.

PARS PRIMA.

*Ite & vos in vineam meam.* Virtutum germen non excreſcet, nec dabit præmiorum fructum, ſi non aſſiduè cultivetur, & ſudoris aquâ irrigetur. Non reſplendet humana gloria, ſi non prius expurgata ſit magna patientia. *Hic enim nobis propoſita ſunt certamina*, (loquitur Sanctus Auguſtinus) *ſed in futuro ſæculo certaminum præmia reſervata. Hic ergò laboremus, hic ſerviamus Deo, & mandata ejus ſervemus, ut in cœlorum Regno æterna præmia capiamus.* Quàm longum iter confecit Abraham, antequam ad terram pervenit à Deo promiſſam? quot annos ſervivit Jacob, priuſquam in ædibus Laban ſpretus frueretur divitiis & voluptate? per quot naufragia jactatus eſt Joſeph, antequam in Ægypto honoratus à Pharaone? per quot anfractus & adverſitates ivit David, antequam pacificè dominaretur in regno? quàm diu peregrinati ſunt Iſraelitæ, priuſquam obtinerent terræ promiſſionis delicias? Ipſe Dei Filius quantum ſudavit, quantum paſſus, quantum ſanguinis fudit antequam intraret in gloriam? (Et Chriſtus omnium Sanctorum exemplar, & caput (ſcribit: hujus ævi commentator) jejunavit, eſurivit, ſitivit, triſtatus eſt, ſanguinei ſudoris grumos toto protulit corpore, raptus, ligatus, flagellatus, ſpinis coronatus fuit & cruci affixus, priuſquam gloriâ reſurrectionis & honore coronaretur.)

S. Aug. in Mill. verbo Spei.
Ferrard. in Ruth. c. 1. n. 5.

S. Auguſtinus Chriſtum in cruce contemplatur, ut præceptorem cæleſtem è ſuggeſtu dicentem: *Lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, cathedra fuit Magiſtri docentis.* Si quid docuerit, ſcire velimus, ad S. Joannis Evangelium recurramus, ubi dicit Chriſtum eſſe viam: *Ego ſum via.* Quiſquis cæleſtem patriam meditatur, hanc teneat viam ubique refertam ſpinis, clavis, lanceis, flagellis & reſperſam ſanguine. *His itur ad aſtra.* Unde alluſit Ovvenus.

S. Aug. t. 119. in Ioann.
Ioann. 10.

*Ad cælos vis ſcire viam, tibi qua ſit eundum?*
*Ad te deſcendit cælitus ipſa via.*

Ovenus. l. 3. n. 101.

Itaque in Crucis pulpito diſcimus, quomodò nos oporteat per clavos, ſpinas, lanceam, vulnera & ſanguinem tendere ad ſupernam gloriam. *Nullus ergo poteſt ingredi in Paradiſum* (inquit Albertus Patavinus) *ubi eſt vita æterna, niſi tranſeat per gladium.*

Alb. Pat. ſer. 5 fer. 5. Doct. 1. Quadr.

Deliciæ terræ promiſſionis per lac & mel in Sacra Pagina à Deo repræſentantur; ubi ait: *Dabo vobis terram fluentem lac & mel.* Quis non miretur inuſitatum loquendi hunc modum? quis unquam vidit terram ſtillantem mel & producentem lac? congruè magis dictum videatur. *Dabo vobis terram producentem poma, fructus &c.* Lac enim à pecoribus datur, mel ab apibus. Quod ad mel attinet, apum aculeo armatur & conſervatur, ita ut, ſi capere tentes, periculum incurras puncturæ & maximi cruciatus, antequam obtineas. Quoad lac, docent Philoſophi. *Lac ſanguis eſt colore mutato.* Priùs ſanguis eſt, poſt in lac convertitur. Hac ergo metaphorâ innuitur, qui frui deſiderat dulcedine lactis & mellis, in terrâ promiſſionis, opus eſſe, ut tranſeat per medias adverſitates, etiamſi effundendus ſit ſanguis. Proinde Mellifluus Doctor: *Donec in carne eſt anima, inter ſpinas profectò verſatur, & neceſſe eſt, patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos.* Et fuit meditatio illius qui Chriſtum in horto Gethſemani ſudantem ſanguinem contemplatus, ita cecinit:

Exod. 3.
S. Bern. ſerm. 48.

*Sangue chè ſparſo in rivi.*
*L' Anime noſtre auvivi.*
*Torna queſt' alma in vita*
*Che contro il ſuo fattor, s' è fatta ardita;*
*Sò ben' che ſciolto dal corporeo velo.*
*Più non ſi và per via di latte al ciele.*

Bart. Manti.

Ea eſt Salvatoris noſtri liberalis conditio, ut ultrò largiatur; & quodammodo impellitur, ut poſtulantibus deſiderata concedat. Vix dum rogatus, leproſos mundat, cæcos illuminat, infirmos ſanat, dæmones fugat: at ſemel difficilem ſe exhibuit, neque tum precibus annuit, cùm

ſcilicet

ſcilicet pro filiis Joanne & Jacobo interpellaret
*Matt.* 20. Zebedæi uxor, ita ſupplicans : *Dic ut ſedeant hi duo filii mei unus ad dexteram , & unus ad ſiniſtram in Regno tuo* Certè exaudiri merebatur, tum propter conſanguinitatem , tum quia pro diſcipulis petebat, & quidem cæleſtia bona : jure meritoque pateretur repulſam, ſi pro terrenis inſtitiſſet.

Reſpondet Baſilius Seleucus eſſe favores inter ſe multum diverſos: quos enim facillimè conceſſiſſe, jam dictum eſt, meræ gratiæ erant , ſed quos Apoſtoli cupiebant, præmia erant, ſedes in cælis, & corona gloriæ , quæ non niſi à violentis & ſtrenuè certantibus impetrantur per enſem
*Abulenſ.* & vulnera. Reprehendit ergo : *Neſcitis quid petatis.* Et poſtea interrogat : *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Abulenſis hic: (Accipitur calix pro amaritudine tentationum , & bibere calicem , eſt tolerare tormenta. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus : *Ideo Dominus interrogat. Poteſtis bibere calicem , ut omnes audiamus , quia nemo poteſt cum Chriſto regnare , niſi paſſionem Chriſti fuerit imitatus.* Hoc ſatis inſinuat, non pr[æ]parari coronas iſtis, qui *Stant totâ die otioſi* , ſed qui in vinea Domini deſudant & aſſiduis laboribus fatigant , adverſa quælibet æquo animo ſuſtinentes. Sanctum Baſilium di-
*Ser.* 24. cendem audite & credite : *Si leproſus curationem quærit, virtutem exero : ſi mortuum è tumulo reſurgere neceſſarium eſt, poteſtatem exprimo , at ſi quis regiam poteſtatem petat , fuſi pro pietate ſudoris teſtes repoſco.* Et Cajetanus confirmat, di-
*In c.* 20. *Matth.* cens: (Rationem, quare neſciant , quid petant, inſinuat eſſe, quia neſciunt quid ſibi immineat, poſt Chriſti reſurrectionem , ac ſi apertè diceret: Ideò neſcitis quid petatis in mea reſurrectione, quia putatis vos perventuros ad Regnum meum, ſic viventes, cum ego ſurgam à mortuis; ſed longè aliter eſt ; quia modus perveniendi ad Regnum meum, eſt per paſſionem & mortem : & propterea examinate , ſi poteſtis bibere calicem paſſionis & occiſionis )

Poſtquam ſatiâſſet Dominus turbam tam copioſam quinque panibus & duobus piſcibus, juſſit ut diſcipuli transfretarent ad alteram partem maris Tiberiadis, donec omnis turba receſſiſſet. Ita factum, ſed ecce ſubitò horrenda tempeſtas, adeò ut navicula jam penè abſorberetur. Circa quartam noctis vigiliam venit ad illos Salvator ſuper aquas, illi autem credentes phantaſma videre, exterriti ſunt. Petrus aut audivit loquentem,
*Matth.* 14. ex voce agnovit, eumque precatus eſt ; *Domine jube me venire ad te ſuper aquas* , Cui Chriſtus ſtatim conſenſit. *Veni.* Petrus, ut erat lætus, & ad difficilia magnanimus, à navi proſilit, & maris fluctus greſſibus celerrimis calcat, ſed cum acrius ad ſpirantis venti agitatus flatibus naufragatur, exclamat: *Domine, ſalvum me fac.* Nam, ut notat Cajetanus : (Petrus conſiderans imminentem ex valido vento procellam , actualiter dubitare cœpit, & timere ſubmerſionem.]

At in quem finem permiſit Chriſtus Petrum in tanto verſari periculo; favere videbatur, cum ad ſe venire ſuper aquas jubet : at quis favorem dicat, ita periclitari ? ſi nolebat ut Petrus ad ſe accederet, quare igitur mandat, *Veni?* & ſi volebat ut ſuper aquas graderetur , oportuit ferre ſubſidium , non ſubtraxiſſe manum , erat enim impoſſibile propriis viribus incedere ſuper undas. Doctor citatus ita reſpondet: (Tam diu ſiquidem ſcribitur ambulaſſe ſuper aquas , quouſque non perdidit ſecuritatem timendo, & fidem dubitando : Statim enim ut dubitavit & timuit , cœpit mergi. ) Optimè reſponſum : ſed aptiùs ad rem noſtram.

Attendite ad id quod dixerat Petrus : *Domine jube me venire ad te.* Ad Chriſtum ire volebat, & manere cum illo. *Venire ad te.* Ex alio Scripturæ loco capiemus myſterium, & mentem Petri. Promiſerat bono Latroni crucifixus in Paradiſum hoc die ingreſſum. *Hodie mecum eris in Paradiſo* Itane factum; omninò: impletum eſt promiſſum quoad effectum , quia paradiſum obtinuit ; ſed non videtur ſervatum addictum tempus: dixerat enim: *Hodie* tibi dabo Paradiſi gloriã. Quomodò hoc verum ſit, cum illo die deſcenderit Chriſtus ad limbum, nec ad cælum aſcenderit niſi poſt quadraginta dies ? Quid ergo promittit *Hodie*, cùm poſtea non impleat ? Scire hic velim (NN.) quid per Paradiſum intelligatis ? an fortaſſis cælum empyreum quod materiale? non ſic, ſed quia in eo vident Deum Beati & amant. *Paradiſus non dicitur cælum empyreum , ſed participatio beatificæ viſionis* , aſſerit Dionyſius Carthuſianus. Et ſi hoc modo in inferno videretur, infernus jam Paradiſus eſſet. Si ita dixerit Caſſandra. *Vbi Helena eſt, Trojam puto.* & commune hoc ſit: *Vbi Papa eſt , ibi Roma.* Cur non æquè liceat aſſerere : ubi Deus eſt , ibi Paradiſus ? Stetit ego promiſſo Salvator noſter etiam quantum ad tempus, quia dicendo : hodie mecum eris , & videbis humanitatem meam glorioſam , ſimul ac Divinitatem , idem eſt, ac ſi dixiſſet : Hodie eris in Paradiſo. Neque

que deſunt hujus opinionis Authores, qui prohent: quorum unus Innocentius Pontif. Maxim. [Inn. 1. ſer. 1. de S. Laur.] qui ſic ait. *Hodie mecum eris in Paradiſo, ac ſi dixiſſet apertius : Hodie mecum eris, quod eſt eſſe in Paradiſo.* Subſcribit Cardinalis Vigerius. [Viger. 2. p. codic.] Eris mecum in paradiſo. Neſcio ego, quis melior paradiſus inveniri poſſit, aut quæri debeat, quàm ſimul eſſe cum Domino Jeſu Chriſto jam glorioſo, & Deitatem ſimul cum humanitate monſtrante. Quare in paradiſo die promiſſa veriſſimè fuit. Et alii in hunc locum, confirmant. [Mich. de Med. ſer. 6. in Paraſc.] *Hodie mecum eris &c.* (Non accipitur hic paradiſus pro cælo empyreo, quia ad illud ante Chriſti Aſcenſionem nullus ingredi poterat, ſed accipitur hic pro eſſe cum Chriſto, ejuſque Divinitatem videre; & ſic dici poteſt, fuiſſe illo die in paradiſo. Idem ergo dictum : eſſe cum Chriſto, ac in paradiſo. Hoc voluit ſanctus Petrus, cum dixit : *Domine, jube me ad te venire.* Sed cum priùs ſubivit periculi, & naufragium imminens, apertè indicat, hac eundum eſſe ad Deum & paradiſum. Audite Ambroſium. [S. Ambr. in c. 16 Matt.] *Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, ſi pervenit ad Dominum, oſtendens nobis, quod non niſi per pericula properatur ad Chriſtum.*

Poſt ardentiſſimos ſolis æſtus, poſt duriſſimos gelu rigores, poſt inſomnes noctes, expertus Jacob avunculum Laban ingratum, cogitavit de reditu. Terram ergo nativitatis repetit, & in via Angelum obvium habuit, qui ut ejus animos probaret & vires, ad luctam provocavit. Acceptat certamen Jacob, & ilicò brachia conſerunt & pectora luctatores fortiſſimi jungunt, adeoque valenter contendunt, ut victoria non exiguo tempore fuerit dubia. Quid hic ageret provocans Luctator? [Gen. 32.] *Cùm videret quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit.* Vicit tamen Jacob, eique palmam ceſſit Angelus & præmii loco nomen indidit novum, ſublato antiquo *Quod nomen eſt tibi? Reſpondit Iacob: at ille nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.* Subintulit hinc Hugo de S. Charo. [Hugo de S. Charo in Gen.] *Qui non fuerit Iacob, non erit Iſrael.* Quid ita intendit oratus Doctor?

*Iacob* idem eſt quod *ſupplantator*, & *Iſrael, videns Deum.* q.v.d. Qui ante non eſt Jacob, id eſt, qui non pugnat, non ſtrenuè laborat, nec fortiter patitur, non erit videns Deum, *non erit Iſrael*, non videbit Deum in cœleſti aula. *Qui non fuerit in labore certaminis, non erit in requie æternæ viſionis.*

Sponſam invitabat ad cæli coronam ſponſus: *Veni coronaberis, de capite Amana.* Audite quibus verbis ipſa reſpondit *Vadam ad montem myrrhæ.* [Cant. 4.] Antequàm ingredi velit cælum, proponit aſcendere montem, ubi creſcit myrrha. Quid tamen cælo cum monte? quid coronæ cum myrrha? quæ eſt illa connexio montis cum paradiſo, myrrhæ cum corona, & amaritudinis cum gloria? ſciebat utique ſponſa cœleſtis, quia

*Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.*

Ad paradiſi dulcedinem invitat me ſponſus? Benè eſt, *Vadam* igitur *ad montem myrrhæ.* Gregor. Nyſſen. affirmat, ita hunc locum exponens. *Per quod oſtenditur, quòd qui cum Chriſto fuerit myrrhæ particeps, omninò erit etiam particeps thuris : nam qui fuerit cum eo paſſus, ſimul etiam glorificabitur.*

Non ſemel tantùm expertus ſanctus Petrus Apoſtolus, teſtis ſit hujus veritatis: Thaboris vertice Dominus gloriæ ſpectaculum edidit, ibi formam demutat, & illuminatam veſtem induens ſolem radiorum luminibus longè vicit. Petruſq; viſionis oblectatus gaudio, in has voces importunus erupit : [Matth. 17.] *Domine, bonum eſt hic eſſe : faciamus hic tria tabernacula*, in quibus poſſimus commorari & perfrui cælico hoc bono. Et cui non arrideret iſta felicitas, aut veram gloriam non percipit, aut certè mente captus eſt. *Montis hujus culmina ſtabiles teneamus* (ſcribit ſanctus Thomas à Villa-Nova) [De transfigurat. Chriſti.] *quæ enim infra, ſunt & amara peſtiferaque omnia, lethalique tincta veneno : hîc pax, hic ſecuritas, hic ſalus, hic requies, & ſi quid veri boni in vita eſt, in hoc ſolo monte plenius poſſidetur* Vix Petrus hunc ſibi favorem petiverat à Chriſto (*Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos*) & ita gloria abſcondebatur. Et quidem Petrus ab Evangeliſtis arguitur, quaſi foret temerè & inſenſatè locutus. *Neſciebat quid diceret.* Quid autem mali dixerat Apoſtolus? dono prætendebat gloriam iſtam cælicam, quæ non niſi ſudoris nummo ab aliis comparatur; ſciebat utique, quia *honos* ſine aſpiratione non ſcribitur, benè autem *onus*; aſpirabat ad honorem, non ad onus, non ad labores. Sed non jam ſolus ipſe, ſi verum Poeta cecinit.

*Aſpiratur honos, ſed non onus; optat honorem.*
*Quilibet ingratum non amat ullus onus.*

[Hofmeiſt. in cap 8. Marc.] Ideoque *adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, apertiſque oculis nihil viderunt.* Meritò

ritò repræhenſus eſt Petrus. *Neſciebat quid diceret.* Gloria namque otioſis non datur, ſed gnaviter laborantibus. (His ergo revelationibus (concludit ſanctus Leo) Petrus Apoſtolus incitatus, mundana ſpernens & terrena faſtidiens, in æternum quoddam deſiderium rapiebatur exceſſu, & gaudio totius viſionis impletus, ibi cum JESU optabat habitare, ubi manifeſtâ ejus gloriâ lætabatur.) At Chriſtus non conceſſit hic gratiam: *Vt oſtenderet prius eſſe poſtulandum tolerantiam, quàm gloriam.*

*D. Leo ſer. de transfig. Dom.*

Sancta Eccleſia Salvatorem noſtrum ob oculos reponit in monte Oliveti valedicentem Apoſtolis atque ita loquentem introducit: Diſcipuli mei chariſſimi, filii, inquam, dilectiſſimi, quos gratiæ genui, tandem advenit tempus, ut ad cælum jam eam: affectus, quo vos intimè proſequor, non finit abſque dolore ſenſibili hanc ſeparationem: ſed tamen quia jubet Pater æternus, lætè ac alacriter eſt parendum. Amor paternus ad cælum vocat; ſed amor, quo erga vos feror, ſiſtit & retinet; ibo corpore, ſed remanebo vobiſcum affectu: faciam, ut acerbitas doloris ex meo diſceſſu, mitigetur miſſione Spiritus ſancti paracliti; non tamen ad conſolationem faciunt hæc mea verba, ut video, ſed lacrymas provocant: vado igitur; valete, pacem meam retinete, laborate pro fidei augmento, ſitque vobis omnibus fidelium meorũ unicè cura. Atq; ita ſubitò nube coruſcante, circumdatus, ſed tamen *elevatis manibus benedixit eis & ferebatur in cælum.* Ut quid elevatis cælo manibus? an fortè ut oſtenderet ſolutum in menſa crucis debitum, quod ab homine veniens in mundum, contraxerat expiandum, pendendo monetam ſanguinis, & recepiſſe teſtaretur? Hebræi, in manuum charta ſubſcripſerant, atque ideò, ut Patri eas monſtraret, & in eis legeret ſatisfactionem; *Elevatis manibus ferebatur in cælum.*

*Luc. 4. v. 2*

Aut dicamus etiam Chriſtum in cœna humilitatis manibus laviſſe Diſcipulorum pedes, atque ita conformiter ad doctrinam Evangelicam, *Qui ſe humiliat, exaltabitur,* expediebat eas reliquis citiùs, in cælum efferri. Cajetanus ait, elevatis manibus inſtruit Apoſtolos, ut ſurſum corda ſemper elevarent, & in neceſſitatibus ad cælum ſemper refugerent. *Vt exteriori ad cœleſtia mentes diſcipulorum erigeret.*

*Matth. 23. Cajet. in c. 24 Luc.*

Sanctus Bernardinus Senenſis profundiùs rimatur, ut myſterium latens aperiat, dicitque ſic Chriſtum indigitâſſe nobis viam, quâ veniamus ad cœleſtem patriam. Ad paradiſi introitum, poſiti ſunt cuſtodes Angeli, neque ulli permittunt ingreſſum qui non in terra diuturnis laboribus anteà defatigatus. Cum itaque manus elevavit, vulnerum cicatrices oſtendit, quibus gloriam promeruerit, ſuntque tam gloriæ plagæ teſtes acerbiſſimæ paſſionis, quam pro mundo redimendo ſuſtinuit. *Vt oſtenderet* (ſcribit Sanctus ille) *quod vulnera portabat ad cælum, ut qui ſanguinem pluerat per vulnera illa in ſupplicio crucis, per ipſa eadem, tamquam per meritoria inſtrumenta, abundantiam Spiritus ſancti effunderet ſublimatus in cælis.* Et S. Bonaventura: *Elevatis manibus, quaſi diceret. Si ad hanc immortalem gloriam, in qua ego ſum, venire vultis, exemplum dedi, quanta pati debeatis.*

Ab æſtu ſolis parumper reſpirabat Moyſes ſub arboris vireſcentis gratiſſima umbra, & cum oculos conjiceret in Oreb montis cacumen, mirabile prodigium! *Videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Cupiditate permotus eò ipſe aſcendere meditatus eſt. *Vadam & videbo viſionem hanc magnam.* Ut propius acceſſit, audivit vocem, *Moyſes, Moyſes,* ſubſtitit, & arrexit aures, ut diſtinctè perciperet, & ecce è medio flammarum vox erumpens: *Ne appropies huc. Solve calceamenta de pedibus tuis.* Cave ultrà hic progredi, ante calceos exue.

Subintrat S. Noſter Thomas à Villa-Nova, & quærit rationem, cur antequam permittatur Moyſes ad rubum accedere, jubeatur calceis denudari. Ex ſacra Scriptura eruitur, quod Deus in rubo continebatur. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis in medio rubi.* At cur in Dei conſpectum venire prohibetur calceatus? præcepiſſes potiùs caput nudare, flectere genua, in terram proſterni, & alia ejuſmodi vera cultûs & honoris Deo debiti ſigna.

Ea quorundam opinio eſt; (exuere calceamenta eſt deponere ſive ablegare omnes impuros affectus, ac renunciare omnibus ſæcularibus negotiis.) Amalarius Fortunatus, Treverenſium Antiſtes, ad mores ita factum exiſtimat, ut diſcamus, qualiter nos oporteat in locis Deo ſacratis converſari. *Intrantes nos ad ſancta loca, ubi Dominus & Angelus ejus eſt, exuamus nos hic calceamentis.*

Aptiùs ad rem noſtram Valentiarum Archiepiſcopus ait, montem Oreb fuiſſe quaqua verſum reſperſum ſpinis & tribulis: atque adeò omninò erat neceſſarium, ſi volebat Moyſes ad montis faſtigium pertingere, ibique Deum contemplari, calceos extrahere & denudatis pedibus

bus per ſpinas & tribulos ire, eaque rectiſſima eſt ad verum paradiſi verticem, Deumque videndum via. *Moyſes cum ardentem & incombuſtum rubum accederet, Divino eloquio prohibitus eſt: Ne appropies huc: Solve calceamenta de pedibus tuis. Et quid ad locum ſanctum calceamenti ſolutio? quid ſanctitati cum calceo? dicas potiùs: Tolle pileum, genua flecte, proſterne te coram Domino, quæ inſignia ſolent eſſe cultûs & reverentiæ. O magnum ibi latens Sacramentum! locus ſpinoſus erat, ideò calceamenta deponere jubet.*

S. Th. à Villa-Nova conc. 2. de Nat. Dom.

Scribit Rabanus Maurus Romanos olim milites gloriari tum maximè ſolitos, cum in ſcutis ac in inſignitis actum aliquem belli heroicum præferebant: unde ea erat Senatoribus conſuetudo, dare militibus ſcuta raſa, nihilque pictum in medio, ut ſi honorem & gloriam quærerent & ſcuta inſignita, magnis animis in conflictu pugnarent, & ſtricto gladio decus & inſignia compararent. Quidquid honoris & gloriæ Joſeph filius Jacob in Ægypto accepit, non aliis mediis acquiſivit. Si catenâ aureâ à Pharaone circumdatur, ante compedibus ferreis ligabatur: ſi honoratus ſit veſtitu Regio, prius chlamyde ſpoliatus eſt, quam in manibus Dominæ calumniantis reliquit; non ante gerit annulum Regis & ſceptrum, ut imperet, quàm venditus ut mancipium, & obtemperans ut ſervus in aula; non antè ſedet exaltatus in throno, quàm innocenter detentus in carcere. Adduco verba Ruperti Abbatis: *Pro compedibus, in quibus humiliaverunt pedes ejus, torquem auream ſuſcepit: pro pallio, quo in manus adulteræ relicto, nudus effugit, ſtola byſſina, Deo judice, indutus eſt. Pro ſervili nomine Regium geſtat annulum, & pro carceris humilitate, ſuper altum ſedet imperii currum.*

Apud Laur. Zan. en monar. myſt. l. 3. d. 56. §. 3.

Tribulationes & paſſiones in vita, certiſſima ſunt conſequendæ ſalutis æternæ ſigna. Qui cum Deo cenſum conſtituit, exponendo tolerantiæ monetam, non poterit amittere cœleſtis gloriæ fructum, & certum proventum. Devota eſt & pia Melliflui Doctoris meditatio in hæc Salvatoris noſtri ad latronem conſolatoria verba, cum jam in cruce pendens ultimum ſpiritum daret. Audite obſecro, & intelligite myſterium. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Ediſſere Redemptor piiſſime, inquit Bernard. cuinam dicta ſint tam conſolatoria verba? non enim capio, quo referendum ly *Tibi*: fortè ad latronem, qui rogaverat, *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quomodò tamen ita ſit, ſi fuerit tam ſceleratus ille & impius, ut millies infernum ſit meritus; paradiſus ſolis bonis patet, non malis: præmium reſervatur iis, qui multis exantlatis laboribus & continuo virtutum exercitio acquiſiverint meritum. Omninò contrarium egit latro; quomodo ergo verè de eo ſit dictum, *Tibi, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo?* Ah reſpondet ſanctus Pater, perpendite attentiùs voculam *Tibi*, ejuſque virtutem. Quaſi ergo dicebat Crucifixus, *Tibi*, qui mecum in tormentis pendes. *Tibi*, qui in iiſdem cruciatibus, *Tibi*, qui eaſdem pœnas ſuſtines & crucis opprobrium, *dico, hodie mecum eris in paradiſo*: non jam attendo, an fueris latro, nequiſſimus & ſceleratiſſimus: ſed modo tuos dolores intueor & acerbiſſimas pœnas, quibus tibi cælum comparas, & impelli me ſentio ex juſtitia, ut ſine replica concedam. Ideò, *Amen dico tibi, qui me confeſſus in cruce tormentorum, eris mecum in paradiſo deliciarum.* Adeſt Cardinalis Vigueris, & eodem ferè modo diſcutrit: *Hodie eris in paradiſo. Cui dicitur? Latroni: quare? quia patienter ſuſtinuit crucem. Nullum aliud opus feciſſe legitur, aut cogitaſſe, unde tantum præmii aſſequi debuerit, niſi quod patienter ſuſtinuit pœnam crucis.*

Luc. 23.

D. Bern. de bon. latrone

Vigueur. 2. p. Codic.

Credite (NN.) tribulationes *ſunt media ad ſalutem, ſine quibus non.* Ita ut, ſi quis ſe dicat ad patiendum inhabilem, cœleſti gloriâ declarat indignum & totaliter incapacem. Ut meritò dictum ſit ab Abbate Pachomio, *Salus in tempore tribulationis acquiritur, & Apoſtoli tribulationum paſſiones excipientes, ad promiſſa præmia pervenerunt.* Nemo in cælo reperiatur, qui non in hac vita per tribulationes ante probatus. Sanctus Evangeliſta Joannes ſemel videre meruit Sanctorum omnium in cælo Societatem. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis.* Et interrogatus, ut diceret, quinam illi ſint, & quomodo ad tantam felicitatem perveniſſent. *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis qui ſunt, & unde venerunt?* Joannes pudore ſuffuſus, plenuſque timore reſpondit. *Domine mi, tu ſcis.* Audiam ergo: & reſponſum eſt. Quotquot in cælo vides, beatorum animæ ſunt, eoque per multas tribulationes appulerunt. *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.* Quaſi dictum ſit: Nemo beatus, qui non per laborum & pœnarum januam tranſivit: & fallitur, quiſquis aliam meditatur viam. Verba ſunt S. Archiepiſcopi Valentiarum. *Cùm Ioannes Apoſtolus vidiſſet eos in gloria, & interrogaſſet Angelum: Qui*

In monitis 4. Bibl. vet. PP.

Apoc. 7.



*ſunt*

ſunt iſti, & unde venerunt? dictum eſt ei: *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione. Et tu putas, quòd tibi ſoli dabitur privilegium, ut ex deliciis vivens, regnum cælorum poſſideas? non credas: erras, erras, non fiet iſtud.* Confirmat Hiſpanus Author.

*Hernaud. de Æarai p. 1. de pat. Chr. l. 3. d. 4.*

*Hagote ſaber Iuan, que ninguno ay de quantos vees aqui, que la gloria que tiene, no lo aye ganado con grandes tribulationosy trabajos.*

O quantùm aberrat, qui ſine laboribus ad æternam felicitatem anhelat. Inſenſatos illos exiſtimat Propheta Regius, qui ſibi ipſis abblandiuntur & jactant. *Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Quid hoc eſt, velle prætendere jure hæreditario ſanctuarium Dei? quod hæreditamus, ſine labore acquirimus, & ſine ullo noſtro incommodo, ſudoribus aliorum recreamur. Qui hujuſmodi ſunt, ut ſic æterna tabernacula poſſidere præſumant, confundantur illi, Domine, & de rotâ tantæ præſumptionis in infernum præcipites ruant. *Deus meus, pone illos ut rotam* & à dæmonibus ut ſtipula arida in ignem æternum rapientur, & ſpes illorum vana diſſipetur ut folium à vento. *Et ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Videant ultionem tuam & conterantur.

*Pſalm. 82.*

Cælum non hæreditatur, ſed fatigatione & ſudore accipitur. Lex eſt, *Benè merentibus præmia tribui oportere.* In cælorum granario non reponitur frumentum, quod priùs in mundi horreo non ſit flagellis excuſſum. Et tu, inquit S. Pater Auguſtinus, *avidus es ad mercedem, & piger ad laborem.*

*L. Virtut. præm. cum ibi alleg. c. de ſtat. & imag. In Mill. verbo Labor.*

Qui vult aſſequi intentum, non parcit ſumptibus, non timet incommoda, nec ſubterfugit labores *Nec ratio, nec tempus curari debet, dummodò effectum habeamus.* Nos ergo in hunc mundũ ingreſſi ad conſequendum æternam gloriam, otio torpentes & deſides obtinere ſperemus.

*L. Hom ſylvar. §. habere ff. de V. ſign.*

*Si te delectent æternæ præmia vitæ,*
*Magna quidem; ne te terreat ergo labor.*

Quàm benè & congruè aſſerit ſanctus Petrus Chryſologus: *Vivi lapides, qui ponendi ſunt in illa cæleſti Heruſalem, quæ ædificatur ut civitas, variis infortuniorum concuſſionibus poliuntur priuſquàm in ædificio cæleſtis habitaculi collocentur.*

Eja igitur fratres, ad vineam Domini properate, ad laborem, ad ſudores: *Ite & vos in vineam meam.* Si patiatur caro flagrorum ictus, delectabitur anima cæleſtibus gaudiis. Non eſt quòd ſupernam ſperet ſine fine lætitiam, qui momentaneam in terris ſubterfugerit paſſionem. Anima, quæ in mundi hujus agro fuerit inter ſpinas roſa, erit inter flores lilium in paradiſo. Unde dictum à pio Dei ſervo.

*El che chiſiere en Chriſto conſolarſe*
*Ygozar de ſu eſſenza verdadera,*
*Su Cruz ha de tomar, y ha de negar ſe*
*Que no ſellega Dios d' otra manera.*

Et ſi tempus vitæ tuæ nubilum fuerit, & ab adverſitatis tempeſtate obſcuratum, recordare, quod contingere ſolitum,

*Venit poſt multos una ſerena dies.*

Et quò plura & graviora tormenta, eò glorioſiora ſecutura trophæa. *Pretioſa corona per agonem à nobis acquiritur* (ait S. Irenæus) *& quantò per agonem nobis duriorem evenit, tantò eſt pretioſior.* Res tua agitur cum Deo, qui benignus eſt & fidelis remunerator: *Dabit tibi quod juſtum fuerit.*

Atque ideò ſervis Dei tribulationes ſunt auguria oriturae felicitatis. (Gloriamur in tribulationibus (ſcribit Ægidius Columna) conſiderantes nobis ex hoc præparari præmium æternæ hæreditatis. Gloriamur in tribulationibus, id eſt, lætamur, ſi preſſuram patimur in hoc mundo: operatur enim in nobis expectationem futuræ gloriæ. Dictum ſatis pro prima parte, ad alteram venio.

## PARS SECUNDA.

QVid hic ſtatis tota die otioſi? Dixit Philoſophus aliquis hominem, cùm naſcitur, tria habere deſideria, *Omnia ſcire, aliis præeſſe, & ſemper vivere.* Sed videtur ipſe omiſiſſe præcipuum nempe quod homo potiſſimum deſideret *otiari & ditari*, lautè & quietè vivere, atque indies magis magiſque divitiis affluere.

Sapienter factum à Lacedæmonibus, cùm, ut otium eliminarent, & pigros corriperent, tribunal ſtatuerunt contra otium. Solon decrevit, ſi pater non inſtruxerit filium in opere exercendo, filium non obligari ad ſuſtentandum patrem, cùm jam ætate decrepitâ ſenex. Commune hoc effatum Appii Claudii: *Negotium populi Romani meliùs quàm otium committi.* Cato Cenſorius eos ſolùm ad rempublicam admittendos cenſuit, de quorum ſolertia & aſſiduo labore

manus

manus callis obductæ teſtabantur. In Concilio Carthaginenſi, cui interfuit ſanctus Pater Auguſtinus & promovit, *depoſitum eſt, ut Clericus, licet eruditus eſſet & literatus quærat tamen ab aliquo honeſto artificio victum & ſuſtentationem.* Nec in alium finem id credo decretum, quàm ad otium evitandum: nam ut teſtis eſt Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *perverſi facti ſunt ab otio.*

*Concil. Carth. 4 c. 51. q. 53.* *Hom. 28. in Joan.*

Ut ab otio ferrum contrahit rubiginem, ita otium, ut ſcribit Aulus Gellius, (vita humana prope ferrum eſt: ferrum enim, ſi non exerceas, rubigo interficit.) Hoc ipſum confirmat D. Hieronymus: *Acutus gladius & levigatus, ſi diu in vagina conditus fuerit, ſordeſcit rubigine, & ſplendorem priſtini decoris amittit.* Aqua, dum non movetur, citò corrumpitur: ut alluſerit aliquis emblemate, addito verbo *Servatur motu.* Quàm verè locutus eſt Meander. *Quàm multa mortalibus otium facit mala!*

*2. de diſ. tr. 24.* Scivit & Hippocrates quanta ſint humano corpori ab otio mala. (Segnities & otium humectat, & corpus debile facit: calor enim quieſcens humilitatem ex corpore non conſumit? labor autem ſiccat, & corpus robuſtum facit.) Et Seneca ait:

*Emollit otium vires ſicut rubigo ferrum.*
*Fax immota torpet, ignem agitata reſtituit.*

*Ibid.* Et ſubdit Fauſtus Andrelinus:

*Corrumpunt forti celſas cum pectore mentes.*
*Otio plumoſo deſidioſa thoro.*

Obſervatum eſt à Scipione Naſica: *Res Romanas jam in tuto eſſe, extinctis Carthaginenſibus & Græcis,* reſpondit ipſe, *imò nunc in periculo ſumus.* Cùm enim jam ceſſet præliandi occaſio, ſuccedet otium, quo non poſſit dari hoſtis infenſior.

*Gerard. Zutph. de reſ. vir. anima c. 54. in Bibl. Vet. PP. T. 14. L. 11. lect. antiq. c. 1.*

Benè perſpexerat Gerardus, cùm ita deſcribit. (Otii natura eſt, ut tædium boni generet, animi torporem cauſet, mentem gravet triſtitiâ, ad diſſolutionem inclinet, fratrum contemptum & aſpernationem gignit, nil operis libet, maximè ſpiritualis. Hinc apud Cælium Rhodiginum legitur de Turaneo nonaginta annorum ſene, quem dum Cajus Cæſar vellet ſublevare, eximendo à Procuratoris officio ad quod ætas caduca jam reddiderat inhabilem, & laudaviſſet, quòd tam bene laborioſo hoc munere eſſet perfunctus. Quid ageret ſenex? domum reverſus, præcepit, ipſum famuli tanquam mortuum plangerent, hoc ipſo indicans, torpentem otio nil à mortuo differre. Propterea dictum eſt ab uno Philoſopho, otium eſſe hominis vivi ſepulchrum. Unde Seneca hominis otioſi foribus ita inſcripſit: *Hic jacet Bathia.*

Picus Mirandula otioſum hominem beſtiæ comparavit. (Nihil eſſe poteſt in vita nequius aut ſceleſtius quam tempus ſomno inertiâque tranſigere. Qui enim deſides, ignavi, oſcitantes vivunt, non herculè magis vivunt, quàm ſtolidæ pecudes & meræ belluæ: neque enim vivunt; ſed ſpiritum trahunt, ſicut pecudes ſolent.) *De vit.*
Non aliter ſenſit Proſper: *Qui otioſâ quiete perfruitur, niſi ſpiritualiter vixerit, more pecudum vivit.* *contemp. l.*

Servus ille ſeverè correptus eſt, qui talentum in terra fodit, & per otium vitam tranſegit. (Porrò (loquitur Hildebertus) munera Dei damno ſunt poſſeſſoribus otioſis, quibus velle negotiari ad lucrum, probè negotiatur ad ſupplicium.

Ut creatus fuit Adam, ſtatim à Deo in Para- *Epiſt. 15.*
diſo terreſtri locatus. *Poſuit Deus hominem in* *in Bibl.*
*Paradiſo voluptatis:* at in quem finem? *ut o-* *Vet. PP.*
*peraretur, & cuſtodiret illum.* Dubium mihi incidit. Terra Paradiſi terreſtris adeò erat ex ſe fœ- *Gen. 2.*
cunda & fertilis, ut non eſſet culturâ opus ad colligendum fructus, ſed ſpontè dabat abundè, abſque hominum induſtria aut impenſo labore, ut de ea verè Poeta.

*Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis* *Ovidius.*
*Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus.*

Ut quid ergò Deus ibi collocavit Adamum, ut eam excoleret? verbum enim eſt: *Deus & natura nihil faciunt fruſtrà.* Et inde ſubdit, introduxiſſe in Paradiſum *ut cuſtodiret illum.* Sed à cujus manibus timendum, cùm non eſſent in mundo niſi ſolus Adam & Eva? non lædebant nec terrebant animalia, utpote adhuc manſueta. Reſpondent unanimi conſenſu ferè Authores omnes, ideò factum, ne Adam otio ſit addictus, ſed ſemper incumbat laboribus, & continuis exerceatur occupationibus, non ſolùm ideò, quia *Io. Bapt.*
dixit Ordinis Carmelitici Author doctiſſimus & *Mant.*
Poeta piiſſimus: *Homini labor utilis ſemper.* Sed *lib. 1.*
quia otium abominatur Dominus, ut vitiorum *Parth.*
omnium domicilium. (Sanè illa operatio eo ten- *Serlog.*
debat, ne Adamus otio torperet, cùm Deus in *ſec 8. P. 1*
familia ſuo otioſos non ſuſtineat. (Et Moyſes *de Parad.*
Barcephus: *Ne ſcilicet otioſus eſſet, quando ex otio* *c. 28.*
*plurima naſcuntur mala.*

Quærit Severianus, cur Deus creationem Solis & Lunæ diſtulerit uſque in 4. diem. *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli.* Tam ſpecioſæ creaturæ, quarum una dominaretur diei, altera nocti, & utraque mundo reſplenderet, cur non primo die productæ? rationem attulit opportuniſſimam, ſcilicet primo die Solem & Lunam non condidiſſe, ne alioquin feriarentur otio? cum enim Sol & Luna maximè ſublunarium generationi florum & herbarum productioni ſubſerviant, ideò quamdiu non erant hæc in terræ formata, in cælo non admiſit luminaria, ne ab opere ceſſarent, cùm nondum ea eſſent, *Quia nondum erant terræ naſcentia quæ luminarium calore foverentur.*

Huc iterùm voco Doctores, & ſcire velim quodnam fuerit peccatum Luciferi, ut propterea expulſis ſit ex Paradiſo & demerſus in infernum. Volunt aliqui, fuiſſe ſuperbiam, cum aut
Iſa. 14. prætendit reddi æqualis Deo: *Similis ero Altiſſimo*, aut adorare noluit Humanitatem aſſumptam à Verbo, aut quia ſuam beatitudinem aſcribere voluit non divinæ gratiæ, ſed meritis propriæ dignitatis. Præ reliquis placet ſententia D. Bernardi, qui lapſum cenſet, quòd dixerit: *Sedebo in monte teſtamenti.* Summè Deo diſplicuerunt hæ verba, quaſi diceret: O Lucifer! creavi te, & conſtitui ſupremum miniſtrum, tu ſedere vis otioſus? ex nihilo te condidi, ut Doctoris inſtar, inferioribus lumen intelligentiæ ſubminiſtres, & quæris torpere ignavia? ego te exaltavi, ut in conſpectu meo ſtante pede ſemper paratus ſis expromptè mea juſſa exequi,
D. Bern. & jam dicere auſus ſis. *Sedebo*? appage, non es
ſerm. 3. me dignus, abi in ignem æternum. *Sola ſedet Trinitas* (verba ſunt Melliflui Doctoris) *quæ ſola habet immortalitatem: tu ſedere, id eſt, otiari tentaſti, O impie! propterea tui moti ſunt pedes & effuſi ſunt greſſus tui.*

Diabolus magiſter ſibi fuit & diſcipulus, cùm ſuo malo didicit otium eſſe æternæ damnationis matrem. Deplorat Hieremias triſte Hieroſolymorum excidium, & ut afflictionem augeret, addit, inimicos irriſiſſe: *Viderunt eam hoſtes & deriſerunt Sabbatha ejus.*

SS. Patres & nominatim Divus Gregorius per Hieruſalem in ſenſu ſpirituali ſeu tropologico animam Chriſtianam intelligit? & per hoſtes, dæmones infernales. Quid ergò intenderit Propheta ſpiritus illos infernales deriſiſſe animæ noſtræ Sabbatha: locus ſanè explicatu difficilis. At cur præferunt Sabbatha reliquis hebdomadæ diebus?

Die Dominicâ Sol dominatur, id eſt ſuperbia: Feria 2. Luna, id eſt inſtabilitas: Feria 3. Mars, id eſt vindicta: Feria 4. Mercurius, id eſt curioſitas: Feria 5. Jupiter, id eſt ambitio: Feria 6. Venus, id eſt laſcivia: Sabbatho denique Saturnus, qui, ut docent Aſtrologi, planeta eſt ad ignaviam inclinans, eò quòd reliquis in motu ſit tardior. Luna manet in quolibet Zodaici ſigno duobus diebus, ſex horis, & conficit curſum ſuum 27. diebus & 8. horis Mercurius manet in quoque ſigno 24. diebus & ſex horis & complet curſum 339. diebus. Venus in quovis eſt ſigno 29. diebus, & Zodaicum percurrit 348. diebus. Sol manet 30. diebus, 10. horis & mediâ, curſumque peficit 365. diebus & 46. horis. Mars 60. diebus & 21. horis & curſum finit 4. annis. Jupiter, 1 anno manet, & curſum terminat 12. annis. At verò Saturnus ut tardiſſimus & otioſus curſum abſolvit 29 annis, menſibus 5 & horis 6. *Saturnus eſt ſtella & frigida & tarda, & ſignificat acediam, quæ frigiditatem mentis & pigritiam circa bona opera manifeſtat.* Quando ergò diabolus videt animam ſuperbam inconſtantem, iracundum, curioſam, animoſam aut laſcivam non exibilat nec jactat ridens: quia ſemper adhuc timet, ne eam Deus illuminet, & fiat humilis conſtans, pacifica, ſine ambitione, & caſta: at ſi viderit illi dominantem Saturnum, & ſopitam otio, irridet, explodit, improperat, quaſi jam ligatam habeat, neque poſſit evadere. Otio deturbatur è Paradiſo, & objicitur perpetuis flammis. Audite Gregorii Pontificis maximi verba *Hoſtes* Moral. in c. 1.
*Sabbatha derident, cùm maligni ſpiritus per vacationis otia ad illicita pertrahunt.* Thren.

Ubi contrà cælum ei promittitur, qui deteſtatur otium, & amat labores. Volebat Deus ſibi bovem immolari in otio tabernaculi, eratque hoc illi indultum ſingulare præ ceteris animalibus, quia bos in laborando aſſiduus. *Lex etiam de ſacrificiis præcipit, ut bos offeratur in oſtio tabernaculi.* Et Ecce myſterium, dicit Petrus Bleſenſis: (Quia qui laborant in agro Dominicæ culturæ, liberè poſſunt cæleſte tabernaculum introire. In c. 1. Levit.

Surgite igitur, *Ite & vos in vineam Dei.* Torporē excutite & laboribus in hoc ſæculo gnaviter incumbite. Dabit Deus aurum gloriæ, pro guttis ſudoris. Ardui ſitis & indefeſſi: ita ſuperabitis ignaviam, & Deus *dabit vobis, quod juſtum fuerit.*

*Si tibi perpetua vigil eſt ô cura ſalutis,*
*Otia perpetuò delicioſa cave.*

DOMI-

# DOMINICA SEXAGESIMÆ

## ARGUMENTUM.

Verbum Dei efficax eſt, cùm non inaniter cadens obedientibus æternam ſalutem conferat: ſuperbis verò & contumacibus perenne ſupplicium nunciet hoc ipſum, in quo tota vulnerum animæ Medicina. Profectò & Regia Divini Verbi Majeſtas, & grandis audientis utilitas ad religioſum cogunt aures obſequium, & ſibi totum attentionis ſtudium dicari expoſcunt.

## THEMA.

*Cùm turba plurima convenirent, & de civitatibus properaret ad IESVM, dixit per ſimilitudinem: Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* S. Luc. cap. 8.

EFfectus Divini Verbi, quod in Evangelicæ Parabolæ grano myſticè intelligitur, varii ſunt, myſterioſi, nec minùs ſtupendi. Lumen [Pſ. 106.] continet, quo tenebras pellat, & luceat currentibus [Pſ. 118.] vel virtutis viam. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum.* [Ad Hebr. 4.] Reverenter audientibus inſtillat dulcedinem. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* [Eccl. 39.] [Eccl. 9.] Intima cordis ut radius acutiſſimus penetrat. *Penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ut haſta Achillis, *dum læditur, tunc medetur.* Inſtar matutini roris animas Fidelium irrigat & fœcundat. *Et ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ.* Ignis eſt pectora accendens, & corda Divino amore inflammans. *Nunquid non verba mea quaſi ignis?* Et, ut ait Mellifluus Doctor, [S. Bernar. de multi plici effic. Verbi Dei] *Primùm quid inſonans in auribus animæ vox divina conturbat, terret, dividit, continuò liquefacit calefacit, vivificat & illuminat. Denique & cibus noſter eſt, gladius, & medicina, & confirmatio, & quies noſtra.* O Verbum Dei mirabile in Evangelico ſemine repræſentatum! [Caſſiod. in Matt.] *Verbum autem Dei in hac imagine & ſimilitudine propoſita ſemini comparatur, quâ docet nos Dominus IESVS quo ſtudio ſit accipiendum Verbum Dei, ac ſermo doctrinæ cæleſtis, ſi cupimus ex eo fructum capere.* [Plin. l. 36. c. 16.] Experientiâ videmus, à magnete attrahi ferrum, à ſuccino paleam. [Cic. l. 1. ep. 8.] Fictum eſt à Poetis, Herculem harmonico verborum ſono homines rapuiſſe, Orpheum concentu monſtra infernalia placâſſe, [Ovid. Met. l. c.] Amphionem voce citharæ muros Thebarum erexiſſe, Mercurium tactu lyræ Argum ſomno obruiſſe: &, ſi Marco Varroni credimus, [Valer. Max. l. 8. c. 5.] inſulæ in Lydia ad ſonum fiſtulæ ſuper undas moventur & circumgyrant. Ab Hiſtoricis relatum eſt de Marco Antonio, ſolâ ipſum facundâ evaſiſſe gladium militum Marii & Cinnæ. Diſſerente Tullio [Quintil. l. 8. c. 3.] paſſim omnes ad forum confluebant, relictis domibus, clauſiſque officinis. Carneades ab Athenienſibus Romam Legatus cum Diogene Stoico & Critolao Peripatetico tanta [Plin. c. 2. Ep. 3.] polluit eloquentiâ, ut totam ad ſe civitatem convertere potuiſſet. An non dulcedine linguæ Titus Livius Cives Gadios ex Hiſpania Romam uſque perduxit? Tantus fuit Orator Gregorius [Orat. 12. q. 2.] Nazianzenus, ut cùm Conſtantinopoli diceret è ſuggeſtu, audientes omnes ab ore quaſi penderent immobiles. De Panthera ſcribunt Naturaliſtæ, eam ſuavitate odoris animalia ſylveſtria allicere: unde formatum emblema, adjectâ epigraphe *Omnia traham.* At longè plus efficacitatis habet Divinum eloquium, plus ſuavitatis in operando cùm modò attrahat animos ad deteſtandum vitia, modò corda rapiat ad amplectendum virtutem. Tanta fuit Verbi Salvatoris virtus, tanta prædicationis ſuavitas, ut propè totum ad ſe mundum pertraheret, teſtante Evangeliſtâ: *Cùm turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum.* Hoc ipſum hodie conabor oſtendere: quare ſilentium peto & attentionem, ut efficax ſit mea dictio, & non fruſtra tempus conteram.

## PARS PRIMA.

*Cvm turba plurima convenirent, &c.* Dictum hoc Libanii eſt: (Pulhritudo ſermonibus inſita, magnetis vim obtinet. (Quaſi dicere velit, non cum tanta efficacia magnetem ad ſe ferrum alicere, quantâ vi Verbum Dei animos audientiũ & corda. Moyſi in deſerto agenti vox ſubitò objicitur *Moyſes, Moyſes.* Aſſurgit ille, attentè audit, videtque in vertice montis ardentem rubum: Moyſes novitate in ſtuporem raptus, & examinandi prodigii voto ardentiſſimo impulſus, ce'eri greſſu involabat, ſed iterùm vox retinebat *Ne appropies huc.* Fortaſſis ne corriperetur à flamma. Sed cur prohibetur accedere, cùm ſatis eſſet prudens, ut caveret ab igne, ne læderetur? non appropies, inquit Deus, quia ſciebat, quomodò ſtatim ac perciperet Divinum eloquium, non curaret incendium, involaret in ignem? atque adeò moveretur audito verbo, ut niſi cohiberetur, inſiliret in flammas redigendus in cineres? quare iterùm oportet, ut interdicatur: *Ne appropies huc.* Audite Rupertum Abbatem: *Idcircò à Deo prohibitus eſt, ne propius accederet: facilè enim fieri poterat, ut Verbi divini allectus dulcedine, ardentes quoque ſibi ſubjiceret flammas.*

*T. 2. ſerm. de vita.*

*Exod. 3.*

Iterum Moyſes, de monte Sina deſcendens, habito cum Deo colloquio, reperit Aaronem inductum à populo ad erigendum vitulum aureum, & jam reverenter curvato genu adorantibus ſingulis, ipſum extensâ virgâ dicentem audiens: *Hi ſunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* graviter, indignatus eſt Moyſes, arreptiſque legis tabulis, juſſit coram adduci ab Aarone vitulum aureum. Quis crediſſet unquam tantum vos auſuros facinus? *Arripienſq; vitulum, quem fecerant, combuſſit & contrivit uſque ad pulverem.* Sed quo uſus inſtrumento, ut in pulverem rediret? nec putandum (etiamſi dicat Scriptura, *combuſſit*,) projeciſſe in ignem: faciliùs namque poterat liquefieri, cùm ex auro eſſet, quàm in pulveres redigi: attamen cùm expreſsè ſit dictum, *contrivit*, opus erat inſtrumento ad conterendum in pulveres. Gloſſa intelinealis habet, à Moyſe vitulum aureum fuiſſe contritum & redactum in pulveres, virtute divini Verbi non ſecus ac ſi fragile vitrum eſſet, mille iteratis malleorum ictibus contuſum *Contrivit Moyſes vitulum uſque ad pulverem à facie venti.*

*Exod. 3.*

Verbo uno arefacta eſt arbor fici: *Nunquam ex te fructrus naſcatur in ſempiternum, & arefacta eſt continuò.* Confirmat Author operis imperfecti: *Sermo Chriſti quaſi flamma deſcendit.*

Quis Saulum, lupum illum voracem in agnum manſuetum convertit, & ex perſecutore fecit gregis Chriſti defenſorem? Verbum Dei, *Saule, Saule.* Neque id mirum ſit, quia *ſicut ventus fortiſſimus turres evertit, ſi procella altiſſimas rupet decidere facit, ſi inundans flumen domum ruinat, ſi ignis denſam comburit ſylvam & ſummâ celeritate conſumit? quantò magis vox Domini conterit, animam vertit, hominem mutat, & in illam partem voluntatem liberam vergit, ad quam voce Domini homo vocatur.*

Quomodò ita ſtatim terruit Salvator armatos milites, qui ut leones ferociſſimi in hòrto Gethſemani inſultabant? verbo uno ſuaviter & cum affectu prolato, *Ego ſum: & ceciderunt retrorſum. Quia vocem præſentis Dei ferre non poterant,* aſſerit Ambroſius. Adſtipulatur Cajetanus. (Tanquam vox illa percuſſiſſet eos omnes, ita ut non caderent in facies ſuas, ſed evaderent ſupini in terram: qui enim ſolâ voce illos ſic proſtravit, multò magis poterat ſeipſum ſalvare.

Unde tot effectus prodigioſi in Dominica Paſſione, veli ſciſſio, terræ motus, petrarum contritio, monumentorum apertio, & mortuorum reſuſcitatio, ut ex Evangelio S. Matth. conſtat. *Velum templi ſciſſum eſt, terra mota eſt, petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, &c.*? quænam eſt cauſa? Vox Dei, cùm ſcilicet Crucifixus *clamavit voce magnâ* Sententia eſt D. Ambr. *Dedit vocem ſuam in Paſſione Dominus, & univerſa elementa tremuerunt, & omnis terra commota eſt.*

Qualitas in hoc mundo non datur, quæ non habeat in operatione contrarium: dulci adverſatur amarum, albo nigrum, calido frigidum, luci tenebræ: at verò Dei verbum nil habet quod ſe opponat. Unde hoc, quòd terra certis anni temporibus germinet, frondeſcant arbores, piſces, aves & cætera animantia multiplicentur, atque ita ab ipſo mundi exordio uſque in finem? attribuendum hoc ſoli Dei verbo ſemel prolato, cujus tanta eſt virtus, ut ſi mundus in æternum ſtaret, perpetua etiam eſſet generationum multiplicatio: nec unquam impediret contrarium.

Formari poſſit idem diſcurſus de verbis Sacramentalibus, pronunciatis à Salvatore noſtro in cœna ultima ſuper panem, quem transſubſtantia-

ſtantiari credimus vi illorum verborum in Chriſti Corpus, *Hoc eſt corpus meum. Vbi ſcito.* (dicit Cajetanus) *quòd ſermo iſte Dominicus eſt non ſolum enunciativus veritatis, ſed eſt etiam factivus veritatis ſignificatæ: facit enim quod enunciat.* Sed quod omnium maximè eſt mirandum, nedum verba illa in ore Chriſti habent virtutem illam transſubſtantiandi, ſed etiam in ore cujuſlibet Sacerdotis Evangelici omni loco & tempore ſine exceptione perſonarum, aut numeri. Omni loco, in quovis altari, in Eccleſiis, ubivis terrarum. Omni tempore, ſingulis horis, dum volet Sacerdos, & momentis ſine exceptione perſonarum, Sacerdos bonus ſit aut malus, fidelis aut infidelis, ſciſmaticus aut hæreticus. Nec numerus aut quantitas limitatur: quia poteſt conſecrare hoſtiam unam, ſi placet, centum aut mille &c. ita ut adaptari poſſit Dei verbo dictum Philoſophi, *Verbum Dei, ubicumque ponatur, ſemper erit tale.* O Magna virtus & efficacia Divini Verbi! Doctrinam hanc tradit Ludolphus Carthuſianus: (Sicut illa vox quâ dixit, Creſcite & multiplicabimini, & implete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore effectum ad generationem operante naturâ: ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernum diem, & uſque ad ejus adventum, præſtat Sacrificio firmamentum.)

*Matt. 26. Caj. ibid. Ant. Guil. diſc. 31. Philoſoph. Ludolph. Carth. 1 p. c. 56.*

Elegit Deus Hieremiam Prophetam, miſitque per orbem, ut prodigia operaretur, & dedit ei plenam authoritatem, ut ad placitum faceret vel omitteret, ut montes dejiceret, civitates funditus deleret, Provincias & integra Regna diſperderet. Pace tuâ dixerim Domine (inquit Moyſes) non ego ſufficio tam ſtupenda, imò nec mihi ſat animi eſt, ut vel minimum horum perficiam. Melius factum, ſi Divina tua Majeſtas fortiſſimum exercitum mittat: nam quid ego poſſum terræ vermiculus? & quibus etiam armis aggrederer? Cui Deus: Nil refert: quod dixi, ſic fiat: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper Regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſperdes, & ædifices & plantes.* Erecto ſis animo, nil cures, aut formides, tibi dabo verba mea, quibus facillimè prævaleas, & ſuperes: *Ecce dedi verba mea in ore tuo*: illorum virtute evinces omnia, tibi cedent Civitates, Provinciæ & Regna. *Vnico Dei verbo opus habet qui univerſum mundum evertere cupit* Et ſi plures eſſent mundi, quàm unquam ſomniavit Democritus, verbo Dei annihilari momēto unico poſſint.

*Hier. c. 1. Did. Ponſ.*

Neque putandum eſt (NN.) requiri intervalla temporis inter Dei verbum & illius executionem? quia eodem inſtanti ſimul eſt dictum & factum atteſtante Pſalmiſtâ: *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt.* Aggæus Propheta ut Verbi Dei efficaciam oſtenderet, ita loquitur: *Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ.* Novus hic eſt & inſolitus dicendi modus, manibus audire, non auribus: dixiſſet potiùs: Factum eſt verbum Domini in aure (& non in manu) Aggæi. Auribus convenit audire, at manibus operari, linguæ loqui, & oculis videre proprium eſt. Abſurdè loqueretur qui diceret ſe videre linguâ, oculis loqui, & ædificare auribus. Quomodo ergò ita loquitur Aggæus, *Factum eſt verbum* Domini *in manu Aggæi Prophetæ*? Reſpondet primò Lyranus, voluiſſe hic indicare Prophetam, quòd Deus ita firmiter ſtet promiſſis ac ſi, dum loquitur, in manu accipias impletionem: *In hoc exprimitur certitudo doni prophetiæ Aggæo dati, ad ſimilitudinem doni corporalis, quod ponitur in manu recipientis.* Aliter interpretatur Sanctus Remigius, & ait Verbum Dei ita infallibiliter connecti cum operatione, quæ a manu & effectu pendet, ac ſi in eodem inſtanti exiſteret, eſſetque effectivè productum. Ideò *Factum eſt verbum* Domini *in manu Aggæi, cujus dixiſſe feciſſe eſt.*

*Pſ. 148. Aggæi. 1. Lyran.*

Et tam efficax eſt, ut effectum exhibeat, priuſquàm ſit à lingua prolatum. Veniebat de Monte Sina Moyſes, ubi cum Deo converſatus de negotiis egerat concernentibus bonum populi regimen, quem ut videbat, ait: Adeſdum Moyſe, indica populo voluntatem Dei & placitum, quod nos promptiſſimè exequemur. *Omnia verba* Domini *quæ locutus eſt, faciemus.* Et quod magis difficulter intelligo, eſt, quia legunt Septuaginta: *Omnia verba* Domini, *quæ locutus eſt facimus, & audiemus.* At quomodò poſſibile ſit, implere priùs præceptum, & poſt audire, quod implendum præcipitur? contra ordinem eſt naturæ & doctrinæ.

*S. Remig. Exod. 24.*

Sanctus Pater Auguſtinus claritatem dare intendens, ut locus iſte facilius intelligeretur, legit: *Faciemus & intelligemus.* Pace tamen, & Patris mei bonâ veniâ dixero, vel ſic difficultatem augeri: quod oſtendo. Intelligere eſt actus ſpeculativus intellectus, & facere eſt actus practicus voluntatis. Jam verò quis neſciat, quod actus intellectus præcedat actum voluntatis? *Nihil volitum quin præcognitum, & nihil eſt in voluntate, quod priùs non fuerit in intellectu.*

*Philoſoph.*

Conformiter ergò ad bonam Philoſophiam debuiſſet Sanctus Auguſtinus ſic loqui: *Omnia quæ locutus eſt Dominus, intelligemus & faciemus.* Et niſi hoc ordine dixerit, Philoſophiam invertit. Ah! inquit ille Sanctus, non habet Ariſtoteles locum, quia de Verbo Dei tractatur, ubi præcepta Philoſophica non curantur. Non eſt tam celer intellectus ad intelligendum, quàm ſit voluntas prompta cum actibus elicitis & imperatis ad exequendum Verbi Dei juſſum. Audite doctrinam ſancti Doctoris: Pono verba: *Priùs oportet verbis Dei reddere faciendi ſervitutem, ut ad intelligentiam earum rerum, quæ ipſo præcipiente fiunt, merito devotionis, quæ non contempta, ſed facta ſunt, ipſe perducat.*

*S. Aug. q. 96. in Exod. c. 24.*

Quidquid à Deo in hoc mundo productum eſt, ſingulos effectus Theologi attributo alicui particulari aſſignant: videlicet creationem univerſi divinæ Omnipotentiæ, diſpoſitionem Sapientiæ, conſervationem Providentiæ, communicationem ad extra Bonitati, remiſſionem peccatorum Miſericordiæ, punitionem delictorum Juſtitiæ, &c. Sed mortuis dare vitam & mortem vivis, ut in Annæ Cantico eſt, *Dominus mortificat & vivificat*, ſoli Verbo Divino attribuendum videtur, nec alteri adſcribendum. Utrumque à poſteriori demonſtrabo ex ſacra Scriptura.

*1. Reg. 2.*

*Dominus, id eſt, Verbum Domini mortificat.* Ananias aliquis cum Sapphira uxore poſſeſſiones vendiderat, & pretium ferebat Petro Apoſtolo ad communem pauperum ſuſtentationem, eâ tamen fraude, ut majorem pecuniam ſibi & uxori reſervaret, Petro imponens, ſe totum dare. Unde de eo in Actis Apoſtolorum legitur: *Afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit.* At Sanctus Petrus, ut advertit, monuit & leviter reprehendit: *Quare feciſti in corde tuo rem hanc? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* O mirum dictu! *Ananias cecidit, & expiravit.* Quod ipſum tertiâ poſt horâ etiam Sapphiræ evenit. *Confeſtim cecidit ad pedes ejus, & expiravit.* Itanè crudelis es, Petre? commiſerationem prædicas, & ipſe ferreus ſis? tantillum defectum morte punis. Ecquid obligabat, ut omnes pecunias darent? certè tibi ſatisfactum erat, cùm ſponte aliquas deferebant. Reſpondet Sanctus Joannes Chryſoſtomus, & ſic Ananiam interrogat: *Cur ſacram feciſti pecuniam, & poſtea accepiſti? id feciſti ex magno contemptu, facinus veniam non habet, excuſatione caret. Ut & cæteri metum haberent, ille punitus eſt, & alii territi facti ſunt,* ut unius exemplo, centum emendarentur.

*Act. 5.*

*S. Chryſ. hom. 12. in c. 5. Act. Ap.*

Origenes autem fundamentum reſolutionis capit ex textu, *Audiens autem Ananias verba,* dicitque mortem adſcribi debere non Apoſtoli verbis, quatenus increpatoriis, ſed quatenùs Dei erant verba Petri ore prolata, quo Deus ut inſtrumento ibi utebatur. Ut ergò videremus, quia Dei Verbum potens eſt dare mortem, & auferre vitam, *cecidit ad pedes ejus, & expiravit. Nec Petrum hic exiſtimare debemus interfeciſſe Ananiam: ſed illum non ſuſtinuiſſe acritudinem verborum Petri.* Ita Origenes.

*Orig. l. in ... th. 5*

Etiam *vivificat*, & probari poſſit multis exemplis, quibus Sacræ Hiſtoriæ plenæ ſunt. Unicum adferam maximè notum, myſterioſum. Plangit & ſuſpirat Dei Filius, ut Lazarum quatriduanum à mortuis revocaret, & vocis imperio compellat. *Lazare veni foras.* O ſæculis inauditum miraculum! *Et ſtatim prodiit ligatis manibus & pedibus? & facies ejus erat ſudario ligata.* Ratio ipſa requirebat, ut eſſet manibus & pedibus liber, quò ſe levaret ex tumulo; oculiſque develatis, ad videndum, quò pedes & manus exponeret: ſiquidem ipſemet *prodiit*, non ab alio eductus eſt, aut extractus. Miratur mecum Rupertus: *Sic ligatus nec pedibus ambulare, nec ſaltem manibus reptare, ſed nec oculis, quò prodiret potuit videre. Quid ergo nobis Evangeliſta innuit?* Totum ipſe virtuti Divini Verbi attribuit, & Lazarum à mortis vinculis ereptum eſſe, & vitæ reſtitutum. *Magnam fuiſſe fortitudinem vocis vel clamoris, qui mortuum ligatum ad vitam excuſſit, & excutiendo, de mortuo vivum fecit.*

*Joan.*

*Rup. lib. ... Com. Joan. c. 11.*

S. Petrus Chryſologus exiſtimat eſſe, quaſi ipſa tacitè ſecum conferret: Si non incunctanter obtemperem verbo Chriſti, Lazarum repetentis ad vitam, vel tantiſper morer, ut ei faciam manus, pedes & oculos liberos, fortè crederet me tergiverſari, & virtute vocis divinæ reiteratæ cogerer non ſolùm Lazarum reddere, ſed mortuos omnes, quotquot meo ſubſunt dominio. Agedum Lazare, erumpe foras tametſi ligatus ſis & obvelatus, ne de mora ego redarguar, cùm Dei verbum indilatè non haberet effectum. *Tunc Tartarus ligatis manibus & pedibus Lazarum retulit ad ſuperna, timens ac tremens, ne, dum ſolvit unum, ne, dum moras facit, ne, dum tardiùs refert unũ, omnes cogatur afferre.*

*S. Petr. Chryſ. ſerm. ...*

Et Sanctus Auguſtinus hunc locum expendens, advertit quomodò Chriſtus nomine mortuum compellarit, *Lazare veni foras.* Si modò

diſſi-

dixiſſet: *Veni foras*, ſolus equidem Lazarus reſurrexiſſet: Superfluum ergò nomen proprium addere. Non ita eſt, reſpondet Sanctus Pater, quaſi dixiſſet ſolùm, *Veni foras*: non determinando & limitando vim verbi divini ad ſolùm Lazarum, mortui omnes conſurrexiſſent: *Ideo ex proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus vocis ejus, quòd pariter omnes mortui cogerentur exire, niſi per expreſſionem nominis, virtutem ſuam ad unum determinâſſet.*

*S. Auguſtinus.*

Ad efficaciam verbi Dei accedit ſumma ſuavitas, quia dulciter ligat, & ſenſim corda illa quærit, & eſt velut hamus piſcatoris. *Capit, dum capitur.* Ita habet Ludolphus à Saxonia: *Verbum Dei hamo piſcatoris comparatur: quia ſicut hamus non capit piſcem, niſi ab ipſo capiatur: ſic nec verbum Dei, hominem capit ad vitam æternam, niſi ipſum verbum mente ejus teneatur.* Statim ut ſuavitatem illam cæleſtis ſponſa percepit, exclamavit præ gaudio: *Vox tua dulcis.*

*Ludolph. Carth. p.1.c.29.*

Pericles Athenienſis tam erat in dicendo ſuavis, ut crederet Eupolis Comicus in labris ejus Suadam ſeſſitaſſe, quam Latinorum Princeps perſuaſionis Deam appellat.

*Cic. lib. 3. de Orat.*

Cleopatra non tam placuit formæ nitore, quàm dicendi gratiâ: ſola enim linguæ dulcedine rapuit Cæſaris, Pompeii & Marci Antonii corda.

*Valer. Max. lib. 8. c.9. Plutarch. in Marc. Ant.*

Cedat hic Maronis facundia, priſcis decantata ſæculis, quidquid fingatur in campis Elyſiis mulſiſſe corda mirabili dulcedine, & animas inenarrabili gaudio perfudiſſe. Nulla eſt omnis illa ſuavitas, ſi cum dulcedine Divini eloquii comparetur.

Sponſa Paradiſi Sponſi dilectiſſimi eximias dotes commendans, ait: *Mel & lac ſub lingua tua.* Quaſi diceret: Tam in dicendo es ſuavis, ac ſi lingua tua ſtillet mellis & lactis dulcedinem. Iſaias idem prædixit: *Butyrum & mel comedet.* Volebat fortaſſis Propheta alludere ad priſcorum figmentum, qui, dum Oratorem audirent ornatè & tersè dicentem, guſtâſſe ajebant in menſa Deorum nectar. Hoc credo intendit Iſaias ſub metaphora butyri & mellis. *Inſinuat cibo iſto, quo puer IESVS cibandus erat dulcedinem maximam in verbis, dulciora ſuper mel & favum eloquia proferens, & ſæpiùs faucibus verba ſua dulciſſima volvens, quorum typum butyrum & mel gerunt. Dulce butyrum, & dulce eſt mel: ſed ſi cum ſuavitate verborum Domini conferatur, inſipidum eſt, & amarum apparebit.*

*Cant. 4. Iſai 7. Did. Alv. à Medina in 7. Iſai.*

Mel, quod reperit Samſon in Leonis faucibus, ex quo ſuſcitavit obſcurum ænigma, *De comedente exivit cibus, & de fortitudine egreſſa eſt dulcedo*, credendum fuiſſe typum verborum, quæ prolaturus erat Leo ille de tribu Juda, de quo dictum, *Vicit Leo de tribu Iuda*: ſed tamen quæ *dulciora ſuper mel & favum.* Confirmat Franconius Abbas, de verbo Dei ſic loquens: *Omne mellis dulcedinem guſtatum ſuperat, ſæpè namque tanta melliflua ſuavitatis abundantia exuberat, ut animæ ſitienti, atque æſtu deſiderii ſui torridæ, inſtar torrentis influat.*

*Iudic. 14. Pſal. 18. Francon. de gratia Dei Tom. 12. Bibl. vet. PP.*

Scribit Sanctus Evangeliſta, Chriſtum inſtituiſſe ſermonem ad turbas de cæleſtis Regni excellentia. *Loquebatur illis de Regno Dei*, & quia jamdiu protexerat, *dies cœperat declinare.* Acceſſerunt Apoſtoli indicantes, ut finem imponeret, cùm jam ſerò eſſet & turba famelica egeret refocillatione. Miror ergò, quomodò tam patiens hic populus neque ad finem avidè aſpirans. Dicam (NN.) tantam deguſtabant dulcedinem, ut nemo protractionem temporis attenderet, tamque videbatur illis gratum divinum eloquium, ut vel inde confortari viderentur, & ſine cibo & potu diem integrum tranſegiſſent, atque tam altum erat ſilentium & attentio, ac ſi omnes in ecſtaſim rapti fuiſſent. Commiſerati Apoſtoli Chriſto dixerunt: *Dimitte turbas, ut euntes in caſtella villaſque, quæ circa ſunt, divertant, & inveniant eſcas* Turbæ autem alium cibum non requirebant: ſentiebant enim ſe confortari, animas trahi, mentes elevari, corda rapi, ſic ut quaſi immobiles facti, non poſſent à Salvatoris ore develli. Nemini mirum ſit, inquit S. Ambroſius: *Quiſquis verbo Chriſti paſcitur, humanum pabulum non requirit: nec enim poteſt panem hujus ſeculi capere, qui pane reficitur Salvatoris.*

*Luc. 9. D. Amb. ſerm. 37.*

Mirum etiam videri poſſit, quod addo, verum tamen, cùm id referant duo Evangeliſtæ. Ibat Salvator noſter Capharnaum, & in illa civitate, domum ingreſſus eſt: ſed ecce ſtatim miraculorum fama longè latèque diſpergitur, & offerunt ei paralyticum. Obſervate mecum, obſecro, modum, quem ſervant: Scalis tectum domûs aſcenderunt, & *nudaverunt tectum ubi erat, & patefacientes, ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.* Quis iſte modus agendi, ita tectum conſcendere, & detractis tegulis introitum facere? nunquid æquè & meliùs per portam efferre potuiſſent infirmum? non poterant præ turba. Sed quomodo eò convenerat tanta multitudo? Sanctus Marcus dat ra-

*Luc. 5. Marc. 2.*

tionem: quia *loquebatur eis verbum.* Allecti erant dulcedine verborum Chriſti, ut expreſsè Beatus Jordanus à Saxonia: *Quia Chriſto in domo prædicante tanta multitudo convenerat, ut tota domus eſſet plena. Cùmque paralyticum offerentes non invenirent quâ parte inferrent eum, per tegulas ſubmiſerunt grabatum, in quo jacebat, in medium ante IESVM.*

*in cap. 5. Luc.*

Mecum ego attentiùs meditor, quomodo ſic immota hæſerit turba, cùm jam tectum perfringerent: neque etiam ad paſſum unum receſſerit ille populus frequens, veritus ne tegularum decidentium impetu læderetur. Ah; tanta erat divini eloquii dulcedo, ut ne vel unus ſe moverit, ne ſic prædicantem Dei Filium interrumperet. Nec timebant tegularum ictus, ne, dum cavere intenderent, maximam hanc conſolationem perderent, (*Obſerva* (notat aliquis) *quomodo multitudo tanta, quamvis tegulæ tecti tollerentur, & terra deſuper caderet, nullum tamen ſtrepitum aut murmur excitaverit*: eaque eſt ratio, quia nempe *Chriſtum audiebat.*

*Thom. de Tragillo.*

Scribæ & Phariſæi invidiâ in Dominum æſtuantes iniquiſſimis deſiderant votis, & ardentiſſimis anhelant deſideriis ut Chriſtum caperent, atque ideò omni quærunt viâ. Cùm ec ec nunciatur, in templo eum eſſe & prædicare populo: atque ſine mora miniſtros impiiſſimos dimittunt, qui apprehenderent. Abeunt odio iniquiſſimo furentes legati, oculis obſervant omnes in tranſitu & cautè interrogant, ut Chriſtus ſit, & an nondum egreſſus è templo. *Quærebant eum in die feſto, ut caperent, & dicebant: Vbi eſt ille.* Ad templum propiùs accedentes, vocem dicentis audiunt, & muſſitant: Acceleremus, jam noſter eſt, neque facilè evaſerit: non curemus, an adhuc in cathedra prædicet, ſed alacriter exequamur, quod noſtri muneris eſt, nihil reverentes. Irruunt in templum, & ut gratiſſimam Salvatoris vocem percipiunt auribus, non auſi ſunt interpellare, ſed & ipſi attentiùs auſcultant, hærentque intrepidi uſque ad finem. Venit è ſuggeſtu, populum dimittit, & jam apprehendere timent miniſtri & capere ut juſſum eſt, ipſimet capti. *Et nemo miſit in eum manus.* Temerè facitis, ſtupidiſſimi homines; quid moramini? tempus eſt & opportuna occaſio: væ vobis, ſi non jam capiatis; alliciuntur, trahuntur & ligantur divini verbi dulcedine, atque jam ipſi dantur in prædam. Audite Origenem: *Verba ipſius fortiora erant ipſum apprehendere volentibus: quamdiu locutus, tamdiu nemo illi inſidias ſtruentium, apprehendere eum valet: ſed ſi tacuerit tunc læderetur.*

*Ioan. 7.*

Venetiarum Patriarcha Laurentius Juſtinianus inquirit, cur Diſcipuli illi duo ad caſtellum Emaus contendentes, comitantem Chriſtum, quem peregrinum ſuſpicabantur, & occidente jam Sole, retinere cupiebant, tam inſtanter obteſtantur, ut condeſcendat. *Mane nobiſcum, Domine, quoniam adveſperaſcit.* Et cùm Dominus ad ſpeciem renueret, *coegerunt illum dicentes: Mane nobiſcum.* Reſpondet Juſtinianus, Chriſtum in via non jam peregrinum, ſed egiſſe divini verbi prædicatorem, (*Interpretabatur illis Scripturas*) adeoque flammantia & ſuaviſſima verba illorum inſtillâſſe auribus, ut rigentia corda calore cæleſti fota gelu diſſolverint, & cæleſtem ardorem non ſine maximo oblectamento acceperint, in tantum ut, dum abiturum ſe finxit, cordis deliquium ſentire viderentur. *Inſueta tunc cordis percepere gaudia, quando amore dulci æterni Patris ſecum loquebatur. Verbum, nonnulli cæleſtis nectaris rivi profluebant, per quos eorum animi ineffabiliter jucundabantur.* Ita ut mirarentur ipſi, poſtquam *evanuit ex oculis eorum,* ſibi invicem colloquentes: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* ut bene hic annotet Cajetanus: *Teſtimonium ab externa inflammatione cordis in ſeipſis cauſata ex ſermone IESV in via, proferunt.*

*Luc.*

*P. La. Iuſtin.*

*Cajet.*

Non hic prætereundum eſt factum Marthæ & Magdalenæ, tametſi omnibus notum. Invitatus à ſororibus Chriſtus, domum ingreditur, urbaniſſimè excipitur & officiis digniſſimis honoratur. Vix dum ingreſſus eſt, & ſedet Magdalena, ut Dominum loquentem audiret. Martha interim currit, recurrit tota ſollicita, menſam apparat & cibos, ut apponat: ſed ut vidit Magdalenam otioſam obmurmurat: quæ eſt illa ſororis meæ diſcretio? ſudo ego, & illa ſedet. Pergit ad culinam, & diſponit omnia: quibus paratis ad aulam redit, necdum ſe movet Magdalena: atque tunc erumpit Martha; quid hoc eſt ſoror? ſolam me vides, neq; ſic poſſe facere omnia? ſurge tantiſper, & manum admove. Magdalena fingit non audire, nec movetur plùs quàm lapis. Surdam te ſimulas, video, inquit Martha, certè præſtitiſſet non vocari ad convivium Dominũ, ſi non mecum volebas laborare. *Quæ ſtetit* (ſcribit Cajetanus) *ægrè ferens oportere ſe ſolam diſtrahi: volebat enim partem curæ ſororem ſubire, ut ſic non imminueret ſibi tanta diſtractio.* Et ad Magiſtrum converſa, queritur: *Domine, non eſt tibi*

*Cajet. c. 10. L.*

tura,

*curé, quòd ſoror me reliquit me ſolam miniſtrare?* non ſum, ut patienter diutiùs feram? *dic ergo illi ut me adjuvet.* Non jam ſedendum & orandum. *Ad compaſſionem ſui Martha intendit provocare Ieſum, ut adjuncta ſorore relevetur in parte à multitudine operarum.* Magdalena non aſſurgit, nec compatitur. Quis non miretur, & arguat? Excuſat ſanctus Auguſtinus, quia *intenta erat dulcedini Verbi Dei,* ut ſopitis quodammodò ſenſibus abſorpta in dulcedinis mari videri poſſet. *Divelli non poterat* (ſubdit Cajetanus) *ab auditione verbi.* Et ne tam ingens perderet gaudium & conſolationem, non quidem Marthæ verbum reſpondit. *Maria neque in reſpondendo voluit laborare* (ait ſanctus Auguſtinus) *ſi enim pararet reſpondendi ſermonem, remitteret audiendi attentionem.*

Luc. 10.

Idem ibid.

Ad molliendum adamantina perverſorum hominum corda, ad provocandum lachrymas & ſuſpiria, ad inflammandum amore in Deum animas, deteſtandum peccata, & ad veram converſionem nihil præſtantius aut efficacius, quàm Dei Verbum. Cum ad ſynagogam ſermonem haberet Redemptor noſter, ut ſentit Cajetanus: (*Prædicabat in domo Synagogæ*) carpebat vitia, flectebat duriſſima corda, ad humilitatem incitabat ſuperbos, ad charitatem & commiſerationem avaros, ad continentiam laſcivos, ad manſuetudinem iracundos, ad mortificationem carnis ſenſualitatibus deditos, ad pœnitentiam peccatores. *Adhuc eo loquente ad turbas, dixit autem ei quidam.* Qui ad portam ſtabat, ut vidit eminus Mariam & Joſeph accedentes, ingreſſus in Synagogam Chriſto innuit, ut finem prædicationi imponeret, dicens: *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris ſtant quærentes te.* Sed quiſnam qui hoc Salvatori indicavit & interrupit? unde venit, quid movet, aut quis miſit? Sanctus Joannes Chryſoſtomus exiſtimat fuiſſe inſtigatum à diabolo: *Venit aliquis quaſi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur.* Quorſum ita inſtigat dæmon? quid ad illum ſpectat, aut quid illius refert, matrem foris eſſe, & à parentibus Chriſtum expectari?

Cajet. in Matth. cap. 12.

Matth. 12.

D. Ioan. Chryſoſt.

Ex alia conſideratione, quam habemus à ſancto Cyrillo Alexandrino, quæramus hoſtis infernalis intentum. Convivium Diſcipulis inſtruxerat Dominus, & aderat etiam Judas. *Cùm ergo accepiſſet ille bucellam, exivit continuò. Erat autem nox.* Quid ita feſtinas Juda? manè ſaltem, donec Deo cum reliquis dixeris gratias, & illuceſcat dies. An neſcis, quia tam citò & ſubitò diſcedens, ſuſpicionem mali omnibus dabis? Reſpondet ſanctus Cyrillus, hoc fuiſſe diaboli ſtrategema, ut tam incunctanter abire impulerit, quò ſic miſerum illum diſcipulum ſubverteret & illaquearet. Præſumebat enim, Chriſtum factâ cœnâ ad Apoſtolos ſermonem inſtituturum, quo illos hortetur ad conſtantiam, ne facilè abducantur inimicorum inſidiis: ubi ſi adeſſe Judam contigiſſet, non levi conjecturâ prævidebat diabolus, quòd verbis piiſſimi Salvatoris dulciter moveretur Judas, odium mortale deponeret, de inimico fieret amicus, de peccatore juſtus & de traditore fidelis. Ne ergo verbo Filii tactus converteretur, impulit, ut maturaret egreſſum. *Timebat diabolus ne morando, locus pœnitentiæ daretur? hac de cauſa feſtinat & impellit, timens ne ſcintilla in ejus animam aſcenderet, ac deinde illuminaret & ad meliora retraheret, præcipitem egit celeritate.*

Ioan. 13.

D. Cyrill. Alexand. lib. 9. c. 19.

Idipſum eſt quod movit Sathanam, cùm miſit ad Chriſtum miniſtrum illum in Synagoga. Prævidebat quòd multi converterentur, Chriſto prædicante, atque ideò interrumpere ſtuduit, hac uſus occaſione: *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te.*

Unde fit, ut Verbum Dei ſeminatum hodie in cordibus Auditorum, plerumque ſterile ſit?

Negari non poteſt, quin aliquando contingat culpâ quorundam Prædicantium, qui aliud nihil intendunt, quàm vanum populi applauſum, ut eloquentes habeantur & oratores diſerti, ſtudentes magis placere auribus, quàm prodeſſe animabus, ut meritò invehatur in eos, qui hujuſmodi ſunt, Poeta aliquis:

Ignat. Dyck. lib. 2 Epig. 48.

*Si juvat è doctis ſolùm* PLACUISSE *cathedris,*
*Et plauſus hominum pulpita ſola vocant.*
*Vi caret & vitâ, nec ad intima pectora tranſit*
*Sermo, ſed orantis voce abeunte fugit.*
*Quæ gracili cantu toties Philomela retexit*
*Carmina, mox tacitâ voce periſſe vides.*
*Diffluit, & mediis oratio perditur auris,*
*Quæ mera nil præter munia vocis obit.*

At, verè ut dicam, vos ipſi ſæpè ſæpiùs eſtis in cauſa, quia ad Eccleſiam itis, & conciones auditis, magis curioſitate ducti, quàm ut fructum animabus veſtris referatis. Defectus in fomite eſt, quia fortaſſis humidus nimis, ſi ſcintillis vi ferri è petra excuſſis, non ſtatim conceperit ignem. Si prædicator reprehendit, juxta Apoſtoli monitum, *argue, obſecra, increpa,* ille caput movet: alter, quia non capit, ad fabulas convertitur. Si dubium

2. Ad Timoth. 4.

biūm moveat è Theologia petitum, materiam illam ſcholaſticam dixerint, non concionatoriam & moralem; ſi graviter dicit & ornatè, verba ſingula ponderans, perditur ipſe in Rethorum floſculis & phaleratis verbis; ſi ad Spiritum attendit, rigidus ille nimis, & qui, dum non occurrit quod proferat, increpare incipit ad incutiendum terrorem; ſi quis conatur penetrare ſenſum ſcripturalem, nimis ille profundè explicat ſacra Biblia, & pro guſtu ſuo conceptus efformat. Denique omnibus depravatus eſt guſtus, & indiſpoſitus ſtomachus ad intromittendum Dei Verbum. Si corda veſtra ſint vaſa in mille partibus rupta & aperta voluptatibus, mundo & carni, quomodo

Io. Drud. de reg. & dog. S. Script. lib. 3.

retineant aquam Divini Verbi? *Quemadmodum materiale ſemen facit fructum, non in quavis terra ſeminatum ſed in terra bona; ita ſemen verbi Evangelici ſeminatum, fructum facit in hominibus, qui audiunt, intelligunt & cuſtodiunt illud: ſed non in quibuslibet fructum facit: & id quidem accidit, non ex ſeminantis culpa ſed ex audientium vitio, utpote propter craſſitudinem cordis & gravitatem aurium.*

Accedunt alii, ut concionibus interſint cupidi percipere verba quæ fucis illita, & ſtudio artificioſo auro propinantur ornata. Quærunt illi vaniſſima folia, non veros animæ fructus. Non habent illi cor bonum & optimum, ideoque domum revertentes, paleam continent, non granum.

D. Thom. à Villa Nova Dom. Quinq.

Quàm bene ſanctus Valentiæ Archiepiſcopus! *Audit corde optime, qui audit intentione & deſiderio proficiendi. Sunt qui audiunt libenter, ſed curioſè quærentes ſibi magiſtros prurientes auribus: hi delectationem quærunt & non fructum, paleam & non granum, verborum ornamentum & non ſenſum: hi volunt audire elegantias, facetias, quæſtiones ſubtiles, & vanam Rethoricam, non doctrinam*

Eccur arbitramini (petit ſanctus Antonius de Padua) Verbum Dei appellari à Chriſto ſemen?

Luc 8.

*Semen eſt Verbum Dei.* Ut projectum in fundum cordis, ibi germinet, feratque fructus contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis.

D. Ant. de Pad. Dom. Sexages.

*Vide quàm bene & congruè dicitur Verbum Dei ſemen: ſicut enim in terra ſemen ſeminatum germinat & creſcit, ſic Verbum Dei ſeminatum in corde peccatoris faciat herbam contritionis, ſpicam confeſſionis & fructum ſatisfactionis.*

Ezechiel de iis loquens, qui Verbum Dei audiunt, plus ut abblandiantur auribus, quàm ut

Ezech. 28.

animabus proficiant, ait: *Factum eſt (id eſt Verbum Domini) tamquam carmen muſicum.* Quid hoc eſt? Quando adhuc nocte ſtertit aliquis in lecto, & fortè in platea cantores audit facientes gratam auribus muſicam, ſtatim proſilit ad feneſtram, allectus harmoniæ dulcedine: quæ, ut finita eſt ſemel, iterumque applaudit; quàm bene! ô quàm bene! & ſic ad lectum redit, & denuò ſomno indulget. Defixus es, ô peccator, in ſcelerum cubili, prædicantē audis repræhendentem, nec repudias, imò deteſtationem peccati concipis: at quamdiu iſtud propoſitum manet? quamdiu inſonat muſica, quamdiu Prædicator te monet, & vix finito diſcurſu, ad ſolita regredetis mala. *Quaſi carmen muſicum.* Sciendum omninò hic, quod habet ſanctus Gregorius: *Debet retineri Verbum Dei: ſi cibus non retinetur in ſtomacho, quid prodeſt homini?*

Sanctus Jacobus Apoſtolus illos comparat viro qui formæ nitorem ad ſpeculum explorat. *Si quis auditor eſt verbi & non factor, hic comparatur* Iacob.
*viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo.* Si tamen magis id proprium & in uſu mulieribus ſpeculo ſe exponere, cur non potiùs ait: Hic comparabitur mulieri? &c. In ſpeculis mulieres ſæpè intuentur, ut, quæ in vultu diſpliceant, abſtergant & poliant: at viri ut ſolùm obſervent qualitatem humoris, animique propenſionem ex vultu, atque ita ſpeculum reponunt in angulum, nec amplius recordantur. *Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Verbum Dei quaſi in tranſitu accipitur, atque ſtatim avolat, nec mores correcti, nec extерſa animæ fœditas. Nemo Dei Verbo ceu ſpeculo utitur, in quem finem mulieres ſolent.

Quid modò aſſerendum de iis, qui inimici ſunt, & abhorrent hoc verbum? quiſquis hoc non delectatur, neque movetur, feris ipſis, & ſaxis cenſendus eſt durior, nec abſimilis cuidam Scytharum Principi, qui cùm audiſſet cantantem Iſmeniam ævi ſui celeberrimum muſicum, ſibi placere magis equi hinnitum, dixit, quam Iſmeniæ cantum. Similis erant Ochozias, Joas & Amaſias, illi enim, utpote memoriâ hominum indigni, à S. Matthæo Evangeliſta inter Reges non referuntur, quia execrabantur Dei Verbum, oderant & perſequebantur, qui illis hoc prædicabant. Teſtis mihi eſt Rupertus Abbas: *Iſti ſoli de memoria præſenti, de libro generationis IESV Chriſti repulſi ſunt, qui verbum audire vel præcones Verbi Dei vivere paſſi non ſunt.*

Et, quod longè deterius eſt, ſecundùm præſentem juſtitiam, tales deleti ſunt de libro vitæ, à diabolo iſti, non à Deo, inferno, non cælo digni.

Hippo-

Hippocrates monet. (In præcipitibus morbis & turbulentis obveniens ſurditas perniciem minatur.) Quæ infirmitas magis ſit præceps ac turbulenta quàm peccatum ? quis miſerior & in majori periculo verſatur quam peccator ? ſi modò ſurditas obveniat & aures occluſerit Dei Verbo, perditus eſt.

Proinde non habemus, factum eſſe aliud à Salvatore noſtro in ſacratiſſima Paſſione miraculum, quàm dum amputatam à Petro auriculam reſtituit Malcho. [1. Raulin. t. 2. ſer. 58.] *Tempore paſſionis à Chriſto legimus operatum nullum aliud miraculum præter Malchi auriculam ſanatam.* Ut hoc ipſo innueret quantum referat eſſe ſanis & arrectis auribus, ut libenter & benè excipiatur Dei Verbum. Prævidens autem quàm multi forent inviti, & ad conciones impellendi, dixit Diſcipulis: [Matth. 10. Cajet. ibid.] *Gratis accepiſtis, gratis date.* Cajetanus in hunc locum ſcribit: *Hic præceptum de gratuita eſt collatione Verbi Divini*; & meritò: ſi enim pro audiendo Dei Verbo pendendum fuiſſet pretium, nemo Apoſtolis vel obolum dare voluiſſet. [Iacob.] *Pro doctrina autem nemo daret eis pecuniam, ſi gratis prædicare nollent* (aſſerit Abulenſis:) [Abulenſ. ibid. 61.] *quia prædicatio eorum non erat aliquid delectabile hominibus, pro quo pecuniam darent.*

Attende, mi Chriſtiane: & tu fortaſſis etiam contemptor es ? an ſines ut hoc verbum in corde tuo inefficax ſit? Fortène granum hoc ſit, de quo in Evangelio. *Aliud ceci- it ſecus viam & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud*: aut quod cadens ſupra petram cordis tui duriſſimi non poſſit germinare ? *Et natum aruit, quia non habebat humorem* ? aut quod inter ſpinas malarum cogitationum, quæ ſuffocant illud ne poſſit excreſcere ? *Qui habet aures audiendi, audiat.* Sator ego, granum ſeminavi in agro cordis veſtri, reddite vos fructum operum charitatis, quod unicè velim.

## PARS SECUNDA.

Divina Majeſtas jubet, ut quantâ poſſumus reverentiâ & totis attentionis viribus percipiamus Dei Verbum. Aod Eglonem idololatram adit, [Iudic. 3.] ſecretum ſe habere verbum teſtatus: *Verbum ſecretum habeo ad te, ô Rex.* Ille, ut erat audiendi cupidus ſatellitium dimittit, ſedenſque in throno: Profer, ait ſecretum. Cui Aod. non humanum, ſed divinum affero nuncium: *Verbum Dei habeo ad te.* Quid tunc? nuntium Dei eâ veneratione colit, ut licet obeſus eſſet & *craſſus nimis*, è regia ſella ſurrexit, quo ſtudioſiùs & religioſiùs audiret: *Statim ſurrexit de throno.* Ecce, qui anteà ſecreta auditurus ſedit, Dei verba percepturus, aſſurgit (ut hîc notat Abulenſis) [Abulenſ. ibid.] *in reverentiam Verbi Dei, ut non audiret illud ſedendo*: ut vel Ethnicus Chriſtianorum de audiendi reverentia confundat ignaviam. Utinam hæc Eglonis Ethnici reverentia multorum hodie Catholicorum non condemnet inſolentiam, cùm eâ ſacris aſſiſtere ſolent irreverentiâ, ut non tam videantur religioſum præſtare cultum, quam oſtentare contemptum. Ad confuſionem eorum dico, qui ſacrificio Miſſæ interſunt, corpore quidem præſentes, ſed mente in mille partes diſtractâ, rident, nova congerunt, nugantur, & prô dolor! ea tractant in locis ſacris, quæ nec in plateis liceat fieri & pudor vetat, ut proferam. *Qui habet aures audiendi audiat.* Illane devotio eſt & attentio, quam requirit Eccleſia?

Sequebatur Chriſtum turba, ut audiret illum: cùm jam perveniſſet ad ſtagnum Genezareth Salvator, navim à Petro petit, quæ pro pulpito ſit. *Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere puſillum, & ſedens docebat de navicula turbas.* Sed quid ei opus erat cymbâ Petri ? nunquid (ut multoties fecerat) ſtare poterat ſuper aquas ? ut miraculo iſto augeretur authoritas ? An non ergo, mi Domine, quidquid placet, hoc efficere poſſis ? nunquid elementa ſubjecta ſunt & parent ? ſi mari imperâſſes, an non terrâ fuiſſet ſolidius ? ut quid ergo navim capis ? certè ſuperfluum eſt. Non ita, ait Chriſtus: ſi enim pedibus ſiccis ſtem ſuper undas & prædicem, miraculum mirabuntur, nec attendent ad verbum: omnes auditum avertent, & fixis oculis intuebuntur pedum ſuper undas prodigium. Ut hinc diſcamus attentâ mente & non diſtractâ audiendum eſſe Dei Verbum.

S. Pater Auguſtinus Verbum Dei cum ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contulit. [D. P. Auguſt l. 5. homil. 261.] *Quid vobis videtur, Fratres, majus, Corpus Chriſti, an Verbum Dei?* Utrum illorum dignius? Ut benè reſponſum ſit, dicite: *Non eſt majus Corpus Chriſti, quàm Verbum Dei.* Audite modò, quid inde concludat. Ergo non minori reverentia percipiendum eſt Dei Verbum, quàm accipiamus Corpus ſanctiſſimum: verba ſunt Divi Patris: *Unde non minùs reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui Corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit.*

Nihil

*B. Iord. de Saxon. in Dom. 3. Quadr.* Nihil receſſit à ſui & mei Patris ſanctiſſimi doctrina Beatus Jordanus de Saxonia. (Sicut ergo (habet ille) prædicatio Evangelica non eſt nobis major ad ſalutem conſequendam, quàm Corpus Chriſti: ita nec eſt levioris culpæ, imò majoris, ſi Verbum Dei negligenter audimus, & ipſum à corde noſtro labi permittimus, quàm ſi Corpus Chriſti nobis in terram per negligentiam cadere dimittamus.

Tempora nunc relapſa ſunt, poſſitque verificari, quod deploravit olim Hieremias Propheta: *Ierem. 20.* *Factus eſt mihi ſermo Domini in deriſum & in opprobrium tota die* Exploditur Dei Verbum, mundi ludibrium eſt & vulgi fabula; ut jam pudeat aſcendere pulpita, niſi vano ornatu & calamiſtro elocutionis adulteratum: & novos dicendi modos excogitare oporteat, & quaſi hiſtrionicam ſacro ſuggeſtu repræſentationem. Si quis verò decenter & ſimpliciter tractet, ut par eſt, *Sermo Domini factus eſt in deriſum & in opprobrium tota die.* Oblectantur hodie vocum canore aures, ſed nihil tranſit ad mentes. O tempora! ô mores! jam clamandum eſt iterùm in deſerto, vertendus ſermo ad feras, plantas & lapides, & urgenda terra ut attendat: *Terra, terra audi vocem Domini.* Et fortaſſis major inde quàm ab hominibus ſperari poterit fructus.

Verùm eſt, neque hîc contradixerim, benevolè & ſumma cum manſuetudine prædicandum, *Arn. de Vill.* & cavendus rigor. *Cuicumque poteſt per alimenta reſtitui ſanitas, fugiendus penitùs uſus medicinarum.* Exhibenda tenerrimæ charitatis viſcera, quibus prævaleamus, non vultûs indignantis, minæ & aſpera verba, quibus abſterreamus. (Sic *Petr. Can. l. 1. in Alph.* quicumque poteſt civem efficere felicem per alium, non debet pœnalium legum viribus uti.

Ita Moyſes ingreſſurus in terram Edom, præmiſit ad Regem Legatos, & precibus tantum petivit, cùm tamen armis commodè compuliſſet. *Num. 20.* *Miſit nuncios Moyſes de Cadis ad Regem Edom qui dicerent: Obſecramus, ut nobis tranſire liceat per terram tuam.* *Oleaſt. ibi.* Quærit Oleaſter: *Quid eſt hoc. Domine Deus, ut non audeas intrare cum populo terram Edom, niſi à Rege permiſſus?* Et doctiſſimè reſpondet ad noſtrum inſtitutum: *Docet nos ſumma ſapientia, nunquam violentia uti, & ſuaviter omnia diſponere. Et conſidera quàm blandis utatur verbis: Fratrem vocat eum, invitat ad gaudium de bono populi.* Diſcant à Moyſe Verbi Dei præcones quàm benignè & affabiliter agendum ſit, ſemoto omni rigore.

Et hoc obſervandum, ut Verbum Dei aptare ſtudeant auditorum capacitati. Non ſine myſterio Chriſtus dicebat Apoſtolis: *Vos eſtis ſal terræ.* Cur ſal potiùs quàm aurum, quàm argentum, *Matt.* quàm aqua aut petra, &c.? ſal conformatur tempori: cùm humidum eſt, etiam humectatur, cùm ſiccum, & ſal exſiccatur. *Vos eſtis ſal terræ.* Si dicendum populo doctrinâ exculto, altiori ſtilo etiam prædicate: ſi cum hominibus rudibus & ſimplicibus agendum, vos ſtilum deprimite, & ſolùm ea proferte, quæ ad captum ſint, & ab omnibus facillimè intelligantur. *Et verè Apoſtoli olim, & poſt eos ſucceſſores S. Paſtores,* (annotat hîc Cajetanus) *ſua vita ac converſatione ſal fuerunt terræ condiendo univerſa appetibilia, ut ſaperent guſtui animi bene diſpoſiti.*

Velim ego, ſalis inſtar, eſſe cuique veſtrûm ad guſtum & genium. Dicite ergò, quomodò vultis ut prædicem? quæritis ut adferam alta & ſpeculativa, ut ſic de ſacro ſuggeſtu fiat Theologorum ſchola: non Pater; quid ergo? petis ſubtiles conceptus intricatos hiſtoriis, ſententiis Philoſophorum, doctrinâ Patrum, Legum textu & Medicorum Aphoriſmis confuſos? Pater non. Placebit fortaſſis mille locorum S. Scripturæ contextus, quo uno diſcurſûs filo per horam teneat ſuſpenſos periodus, contra verum dicendi modum, qui requirit clarè fieri intelligibiliter & diſtinctè. *Facturi ſermonem ſtudent magis alta, quàm* *Gilb. in Paul. a lib. Al.* *aperta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum ſui, non ipſorum ſalutem operantes.*

Expectet fortè aliquis ut diſertam linguam, memoriam fertilem vanè oſtentem, aut, ut aliquorum natura fert, cruda quævis & indigeſta promiſcuè effutiam, ut ſic in me cadat Saluſtii dictum: *Satis eloquentiæ ſapientiæ parum?* minimè verò, quia prædicatio ſermo eſt familiaris. Acquieſcetis, ſi monitis durioribus Auditores exaſperem, vitia carpam obviè, inſulsè dicam, & nemini parcam? monere, corripere & arguere conveniens eſt, ſed cùm locus, & tempus ſinunt, & propoſiti Evangelii thema expoſcit. Nunquam pro genio veſtro fecero ſatis, ut video, Gratum fortaſſis eſſet, ſi omnigenâ florum varietate vos delectem, ſtudiosè calamiſtratas concinnataſque periodos inſtillem, & ſic Eccleſiam in forum commutem, & concionem ſacram in ludicram comœdiam? Neque ſic, quia locum ſanctum dedecent iſta, & perſonam concionatoris.

Jam capio, quid velitis, ut brevis ſim, & finitus noſter diſcurſus. Per me licet, ut vobis ſatisfactum ſit. Ite in pace.

DOMI-

# DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

## ARGUMENTUM.

Ea eſt Divini Numinis conditio, ut talis erga nos ſit, quales nos erga illum, & eodem prorſus modo nobiſcum agat, ut nos cum illo. Ut Deum ſemper habeamus ad placitum voluntatis arbitrium, ejus conformemur ad nutum, & accuratiùs obſervemus præceptum.

## THEMA.

*IESV Fili David miſerere mei. Et IESVS dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit.* S. Luc. cap. 18.

CÆleſtis ſponſa Dei excellentias & attributa deprædicans in Canticis, modò boto aſſimilat: *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi:* (Cant. 1.) modò faſciculo myrrhæ: *Faſcilus myrrha dilectus meus.* Uva dulcis eſt, atque ita palato grata: myrrha autem amara, & guſtui planè inſipida. Cur ergò rebus tam contrariis Deum noſtrum exæquat? *Quare dilectus rebus adeò diſparibus comparatur à Sponſa?* (Ben. Fidel. in Pſ. 22.)

Maximilianus II. Imperator, ut modum oſtenderet ſubditis, quem in regimine obſervatum voluit, curavit in ſymbolo pingi Aquilam, pede uno fulmen tenentem, altero auream coronam, cum lemmate. *In opportunitate utrumque.* (Io. Fer. in Th. Gilib. p. 3. l. 5. n. 2. & l. 74. n. 5.) Ut hoc ipſo ſic diceret: Si bene mecum & laudabiliter ſe gerant ſubditi, aureas offeram coronas, liberalis ero in largiendis præmiis? ſi malè, ecce fulmen, ut ſeverè caſtigem.

Quàm hoc appoſitè factum! nec enim eſt, quò poſſit meliùs exprimi, quæ ſponſæ mens ſit, & qualis erga nos Deus. *Faſciculus myrrha,* ſed iis, qui ſcelerum colluvie amareſcunt. *Botrus Cypri:* illis tamen qui virtutum dulcedine ſunt conditi. Ut ſic optimè quadret, *In opportunitate utrumque.* Putem ſponſam intendiſſe loqui in hunc modum: (Si ego amara ſum, myrrha videtur: ſi dulcis ſum, botrus, quo nihil dulcius. (Fidel. ubi ſuprà.) Pro ſumentium merito transformare eum vidit, ut, qui dignis eſt botrus, myrrha ſit indignis: amarus his, illis ſuavis.)

Cæcus Evangelicus fidelem Chriſto ſe probat, de virtute divina non dubitando, ſed firmiter credendo. *Et clamavit dicens: IESV Fili David miſerere mei.* (Luc. 18.) Et Chriſtus ſe ei benignum exhibet, viſum pro ſupplicatione miſericorditer impertiendo. *Et IESVS dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit.* Hinc moveor, ut in præſenti hoc diſcurſu oſtendam, quomodò Deus amarulentis hominibus myrrha ſit, objiciat & fulmen: mitibus autem & dulceſcentibus botrus ſit, ac offerat aurum. *In opportunitate utrumque.* Et, quod Italico dicto expreſſiùs effertur. *Iddio balla ab noſtro ſuomo.* Si fas ita loqui, Deus ad modulos noſtros movetur & properat, id eſt, talem ſe nobis exhibet, quales ipſi nos præſtamus. Modus noſter agendi, illi dat normam nobiſcum procedendi.

Si virtutem præferimus, ille præmia : ſi nos ſceleribus dediti, ille ſuppliciis intendit infligendis. *Sic ipſe nos viſitat, ſicut eum nos colimus.* Et hanc ego hodie politiam obſervabo : ſi modò vos attentione faveatis, conabor ego brevitate. Exordior.

## PARS PRIMA.

*Gen. 3.* PRimò omnium ita Deus egit cum Adamo. Audiens ille vocem Domini clamantis in Paradiſo terreſtri , & Divinam ultionem veritus, quia jam peccârat, quæſivit latebras, & arborum ſub frondibus ſe abſcondit. Quid agis Adam ? ô quàm à peccato mutatum te, & dementatum oſtendis ! itanè latere putas, & declinare conſpectum ejus, cui aperta ſunt omnia ? unde hoc tibi delirium ? à peccato eſt : hoc enim mentem hebetat, & rationem offuſcat. *Fr. Laured.* Non mihi propoſitum, hîc rationem dicere, cur fugit Adam, aut ſe abſcondit : ſolùm tempus obſervo, & locum, ubi & quando quæſivit illum Deus . Ubi autem ? *Ad auram*, ubi aura remiſſior, & leniter ſpirans zephyrus. Quo ad tempus, notat Sacra Scriptura fuiſſe *poſt meridiem* intenſiſſimo ſolis æſtu declinante. Sed cur Deus quærit auram refrigerantem, & calorem remiſſum ? fortaſſis ut mitiore hâc aurâ temperet ardorem iræ, intenſum nimis, ob peccatum hominis ?

Scribit Galenus , hoc oleo eſſe à naturâ proprium, ut commixtum cum aliis ingredientibus medicinalibus , ejuſdem cum illis fiat qualitatis. *Galen. 2. de Imp. d. 3. c. 1.* [Si permiſces cum oleo medicinas calidas, fit medicina calida : ſi frigidas, frigida.] Et hoc ipſum Deo etiam proprium , ait Sanctus Auguſtinus. Frigeſcebat per peccatum Adamus in amore divino , ideoque comparens Deus ad auram poſt meridiem, remittente jam ſolis æſtu, innuebat quòd erga eum frigere etiam cœpiſſet, inſtar olei *cum frigidus, oſtendens* (dicit Sanctus P. Auguſtinus) *quòd Dominus ab amore peccantium refrigeſcit, quia per peccatum in homine refrigeratus eſt amor charitatis. Cum calido calet Deus, cum frigido friget.* *D. Pater Aug. ſer. ad Frat. in Eremo.*

Deſcribit Propheta Jonas , quod Ninivitis imminebat infortunium , cùm immerſi mundi voluptatibus, carnis abſorpti deſideriis ad interitum præcipitabantur, & æternam perditionem. Nemo in civitate ampliſſimâ cujus corpurum eſſet, à ſcelerum veneno illæſum. Quaquaverſum radices agebat iniquitas, neque ſollicitus aliquis, ut evelleret. Nullum à culpâ præſervabat aut ſexus, aut ætas, prô pudor ! Pueri erant innumeri, ſed ſine morum diſciplina : puellæ carnalibus deditæ : patres & matres rupto fidei maritalis vinculo, honeſtate peſſumdatâ, vivebant beſtiarum more : & ut verbo dicam, quorumvis ibi flagitiorum erat ſentina. Vidit Deus, iratus eſt valde & nè tantùm malum diutiùs ferret impune, Jonam expedit. Adeſdum Jona, ad Ninivitas accelera , eiſque minaciter prædica , quia iraſcor nimis. *Surge, & vade in Niniven civitatem magnam.* *Ion.* Et hoc à me ſeriò monitum adde, quia ulciſcar ego, funditùs evertam & perdam. *Adhuc quadraginta dies , & Ninive ſubvertetur.* Quid jam facies, infelix Ninive ? fulminata eſt ſententia, & quis eam revocet, aut temperet ? elementa conjurata, & creaturæ omnes in tuam perditionem. Quid audio? an muros collidi & jam fundamenta erui : O Deus ? extremum hoc malum eſt.

Sed quid ? Scripturam univerſam percurrite, nuſquam deprehenderis ſententiæ hujus executionem, aut civitatem deſtructam : fortaſſis crudele nimis fuiſſet hoc ſupplicium : at major erat iniquitas : an fortaſſis iniqua ſententia ? abſit hoc ! quia æquiſſima erat , utpote à Deo ipſo juſtiſſimo pronuntiata. Ut quid ergo non eſt facta executio ? Ah ! nil mirum (inquit D. Hieronymus) Ninive mutaverat mores, ideò Deus ſententiam : civitas peccata demiſerat, & Deus ſupplicia. Illa è peccatrice pœnitens , ipſe de tremendo judice factus miſericors. *Libenter mutavit Deus ſententiam, qui vidit eorum opera commutata.* *S. H*

Idem S. Pater aliud notatu dignum obſervat. Cùm natus eſſet Salvator mundi, tres ab Oriente Reges advenerant, Dominum obſequenter datis muneribus adoraturi. Obſequiis pro more exhibitis, reditum ad propria meditantes, quia jam adveſperaſcebat, ad hoſpitium diverterunt ex itinere defatigati, ut ſumpto cibo, ſomnoque confortati reverterentur in Regionem ſuam. Summo propterea diluculo, adhuc in ſomnis, monentur, quà eſſent reverſuri. *Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem , per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* *Matth* Sed à quo moniti ? quis in ſomnis apparuit ? Opinio hæc eſt D. Hieronymi,

nymi, ab ipſomet Chriſto monitos eſſe Magos.
*Qui munera obtulerunt Domino, conſequenter reſponſum accipiunt, non per Angelum, ſed per ipſum Dominum.* Conſentit Dionyſius Carthuſ. & dicit: *Reſponſo accepto in ſomnis per ipſum puerum.*
Dionyſ. Cart. & Gloſſa in Catena D.Thom.

Alterum adnectitur dubium, & hîc reſolvendum. Cùm vellet Deus indicare Joſeph, ut in Ægyptum fugeret cum Matre & puero JESU, atque ita tyrannidem Herodis evaderet, Angelum miſit. *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Et hoc intellectu difficile, cur videlicet ipſemet Filius Dei in perſonâ propriâ apparuit Magis, & ad Joſeph non niſi Angelum deſtinavit? poterat commodè idem ille nuncius ad Magos mitti, nec enim erat tanta neceſſitas, cur ipſemet Filius Dei interveniret. Quæſtionem hanc etiam movet Abdias Babylonius. [Notandum quòd non per Angelum, uti ad Joſeph, hæc reſponſio facta dicitur: ſed SS. Patrum traditio eſt, ab ipſo Domino divinitùs imbutos fuiſſe.] Neque præter hanc rationem, facilè quis aliam dabit, voluiſſe ſcilicet Filium Dei ita agere cum Magis, quomodò illi cum ipſo: Venerunt illi in perſonâ, non ab ipſis Legati? quocirca venit ad illos Chriſtus ipſe in perſonâ, non contentus Angelum mittere: & quales erant Magi erga Chriſtum, talis ipſe erga illos eſſe volebat. *Qui munera obtulerunt Domino, conſequenter reſponſum accipiunt, non per Angelum, ſed per ipſum Dominum.*
Matth. 2.
Lib. 1. in Matth.

Zebedæi uxor Salvatorem acceſſit, ita ſupplicans: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.* Reſpondit ille Jacobo & Joanni: Ferendum id modò, quòd pro deſiderio veſtro non faciam: quia *non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Si candidè loqui mihi licitum, quod ſentio, Domine mi, prætexis, ut video, ne beneficium hoc largiaris. An non tu Dominus omnium? an non cælum, terra, & omnia quæ in eis ſunt, tuæ ditioni ſubjacent, & beneplacito? Evangeliſta in hoc mihi teſtis. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ubi elucidat Cajetanus: [Et quidem JESU, ut filio Dei, omnia dedit Pater in manu (hoc eſt, in poteſtate) ab æterno generando illum omnipotentem. Ei quoque, ut Filio hominis, omnia, nullo excepto, dedit gratuitò ab incarnationis myſterio, in manu, hoc eſt, poteſtate. Habuit enim JESUS homo ex tunc poteſtatem ſuper omnia, ſivè in cælo, ſivè in terra, ſivè in inferno.] Ut quid ergo non concedis, quod petunt, licitum & honeſtum? nôſti, cujus ſint filii? Diſcipuli tui ſunt, & ſanguine propinqui.
Matt. 20.
Ioan. 13. Cajet. ibid.

Non tamen hoc mirandum, Auditores: Apoſtoli enim non per ſe petunt immediatè, ſed matrem interpellant. *Acceſſit mater filiorum Zebedæi adorans & petens.* Cajetanus explicat. *Petebant per os matris.* Neque ego ipſe dabo (inquit Chriſtus,) ſed hoc faciat Pater, cui id reſervatum. *Sed quibus paratum eſt à Patre meo.* Gratiam à me petitis *per interpoſitam perſonã,* ſc. matrẽ, ego pariter concedã *per interpoſitam perſonam,* ſc. Patrẽ meum. Si vos ipſi hanc gratiam à me petiiſſetis, & ego ipſe vobis conceſſiſſem: eoque id feci, ut & vos Apoſtoli ſciatis quomodò vos mecum, ita me vobiſcum agere. *Quid mirum quod ad Patrem remittantur, quando ipſi non aliter accedunt ad* JESUM, *niſi per Matrem, & is eſt Dominus, qui talem ſe exhibet hominibus, quales invenit homines erga ſe.*
Cajet. ibid.
Did. Ponſ. l. 11. cap. 8. §. 25.

Philoſophiæ hoc ſcitum eſt, formas introduci juxta capacitatem & diſpoſitiones materiæ, & qualis hæc in diſponendo, talis illa in informando. Doctrina Theologica eſt, conferri gloriam juxta captum intellectûs creati, & meritorum menſuram. Pro augmento actuum fidei in homine, auget Deus gratiam & multiplicat beneficia.

Siſtunt Hebræi Chriſto hominem cæcum, ut viſum recipiat. Salvator noſter, vixdum rogatus, ſalivam applicat oculis cæci, & *interrogavit eum, ſi quid videret.* Reſpondit ille: Utcumque, ſed imperfectiori modo, aliquid video moveri, an homines, an arbores, diſcernere non valeo, *video homines veluti arbores ambulantes.* Magna nimis (ait Deus) differentia eſt inter arbores & homines, unde ſi vix diſcernis, vix adhuc aliquid vides. Sine, ut iteratò manum admoveam: cœpitque paulatim videre perfectiùs, *ita ut clarè videret omnia.* Videtur certè Chriſtus parcus valdè in dandâ luce interpolatis vicibus. Eccur non ſimul & ſemel plenam dat lucem & viſum perfectum? equidem veriſſimum eſt, *Dei perfecta ſunt opera.* Ab ente perfectiſſimo eſſe imperfectum nihil poteſt. Chriſtus ſe gerit in dandâ luce, quomodò cæcus ille in præſtanda Chriſto fide.
Marc. 8.
Pſal. 91.

Cæcus quidem initio, modicæ fidei, & Chriſtus dat modicum lucis ; creſcit cæcus in fide, creſcit Chriſtus in dandâ luce : cæcus tandem perfectè credit, & Chriſtus perfectè illuminat, *ita ut clarè videret omnia.* Obſervatio eſt Cajetani in hunc locum. (Eſt in hoc miraculo ſingulare, quòd paulatim JESUS cæco viſum reſtituit, primo imperfecte, deinde perfectè, ut intelligamus, quantus erat defectus alienæ fidei.) Et non niſi tum demum perfectè videre potuit (ait Euthymius) quando perfectè credidit. *Augmentum fidei, augmentum promeruit ſanitatis.*

*Cajet. in cap. 8. Marci.*

Filius Dei regionem Geraſenorum petens, aſcendit naviculam, comitantibus Diſcipulis, ut transfretaret. *Aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus.* Ecce ſubitò tempeſtas horrida, & inſurgentibus undique procellis evidens naufragii periculum. Quid facerent. Diſcipuli jam penè metu exanimes ? ad anchoram ſpei confugiunt, & Magiſtrum interpellant : *Domine, ſalva nos, perimus.* Audit JESUS & expertectus ventorum rabiem frænat, & tempeſtas ſedatur. *Tunc ſurgens imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Evangeliſta Matthæus indicare volens Apoſtolorum ſtuporem ex tempeſtate tam ſubita, his utitur verbis : *Porrò homines mirati ſunt;* *Homines?* Origenes miratur, quòd Diſcipulos nominet communi vocabulo *homines.* Cur non Apoſtolos, aut Diſcipulos ? *Nuſquam præter honorem invenimus dictos Diſcipulos ; ſed ſemper aut Apoſtoli aut Diſcipuli nominantur.* Ut quid ergò modò vocat homines, quaſi verò extranei ſint & incogniti ? Myſterium hîc penetrat Abulenſis, & reſponſum format ex eo, quod Apoſtolis dictum de Chriſto, *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei ?* De Chriſto interrogant & tractant, quaſi perſona foret incognita, neque unquam vidiſſent ; uno verbo, ſic eum habent hominem alienigenam, quocum anteà non converſati. *Qualis eſt hic ?* Unde etiam meritò ſic tractantur quaſi extranei, quos ſuo Salvator nunquam dignatur conſortio. *Porrò homines mirati ſunt.* Audite verba Abulenſis. ( Loquitur Matthæus de illis tanquam de extraneis, quia illi loquuntur de Chriſto tanquam de extraneo & incognito ab eis, dicentes : Qualis eſt hic?

*Matth. 8*

*Orig. in Matth. 8.*

*Abulenſ. b.*

Nec eſt abſimile, quod Magdalenæ poſt reſurrectionem evenit. Venerat ad ſepulchrum illa, ut ungeret Corpus JESU ; ſed cùm non reperiſſet illud, furtim ablatum credidit, & tantus indè illi dolor obortus, ut tota profunderetur in lachrymas, alta edens ſuſpiria. Cùm ecce illi obviam factus viator, eò converſa hominem videt incognitum, & quia ruſtico apparebat veſtitu, hortulanum putavit, Deum ſuum non agnoſcens. *Neſciebat, quia JESUS eſt, exiſtimans quòd hortulanus eſſet.* Ille propiùs accedentem & amarè plangentem cernens, petit, quæ ſit tanti doloris cauſa. *Mulier quid ploras ?* cur ita luges ? quid tibi deeſt, mulier ? Dic, amabo te, piiſſime Redemptor, noſti, quæ ſit hæc mulier, quam alloqueris ? an non eſſe Magdalenam, vides ? Ut quid ergo ſubtices nomen, nec dicis: *Magdalena, quid ploras ?* Communi eam vocabulo nominas, quaſi incognitam & nunquam hactenus viſam, dicendo *Mulier ?* Reſpondet S. Ambroſius, Chriſtum voluiſſe ita tractare Magdalenam, quomodò ipſum illa. q. d. Non me recognovit illa ut Dominum, ſed ut extraneum, neque ego illam pro Magdalena mea cognoſco, ſed pro muliere extranea : illa me æſtimat hortulanum, & illam ego plebejam mulierem, quales in pagis circumvicinis. Si me non profitetur magiſtrum ſuum, neque illam ego diſcipulam. *Quando non credidit, mulier eſt* (inquit S. Ambroſius) *quando converti incipit, Maria vocatur.*

*Joan.*

Affine eſt, quod Sequitur. Sanctus Evangeliſta Matthæus ſcribens de Simone illo, qui Chriſtum Dominum excepit hoſpitio & opiparâ menſâ, nomine leproſi eum appellat: *Cùm eſſet JESUS in domo Simonis leproſi.* Fuerat quidem anteà infectus leprâ, ſed ab eâ purus, quando Chriſtum excepit convivio. Expreſsè id aſſerunt Venerab. Beda & S. Hieronymus. *Non quòd leproſus illo tempore permaneret, ſed quòd anteà leproſus, poſteà à Salvatore mundatus eſt.* Unde igitur Evangeliſta vocat leproſum?

*Matth.*

Volunt plerique Scriptores, ſpeciatim Cajetanus, & S. Auguſtinus, Simonem leproſum eum eſſe, quem D. Lucas Phariſæum nominat, ideoque huic dictum à Chriſto : *Simon, habeo aliquid tibi dicere.* Simon ille itaque videns Magdalenam ad pedes Salvatoris proſtratam, obloqui cœpit inter convivas : *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret*

*Cajet. c. 3. S. A. Luc. 7*

*utique*

*utique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Quomodo? *Peccatrix eſt?* ah Simon! iniquus es, & peſſimè loqueris: dixiſſes ſaltem: *Quia peccatrix erat:* excuſari tum faciliùs poteras; ſed dicere: *Quia peccatrix eſt*, nunc, de præſenti, cùm ſcil. peccata ſua plangit, pedes Salvatoris lavat lachrymis, tergit capillis. Et adhuc peccatrix eſt? itane? quinimò jam pœnitens eſt, juſta eſt & ſancta. Ideò de illa ſcribit S. Lucas: *Et ecce mulier, quæ erat* (& non quæ eſt) *in civitate peccatrix.* Non ergò mirum eſt, ſi de Simone loquens, leproſum nominet. *In domo Simonis leproſi.* Quaſi vellet dicere Redemptor noſter: Tu Simon, malè tractas hanc mulierem & peccatricem nominas, tametſi ſancta ſit; & ego volo ut meus Evangeliſta leproſum te dicat, licet modò à lepra ſis mundus; & ſic eâdem monetâ tibi compenſatum ſit.

Rectè igitur Deo noſtro adaptamus nomen myrrhæ, & uvæ, amaritudinis & dulcedinis. Optimè illi convenit Maximiliani Symbolum, in quo generoſa Aquila coronam præmiorum exhibet & fulmen ſuppliciorum. *In opportunitate utrumque.* Nec putem aliud inculcatum velle Apoſtolis, ubi hortatur, *Sint lumbi veſtri præcincti.* q. v. d. Si vos invenero promptos & ſedulos in iis, quæ veſtram concernunt ſalutem & proximi, eâdem ego viâ diſponam vobis æternæ felicitatis præmia. Senſus hic eſt Dionyſii Carthuſiani in hunc locum: *Eſtote parati ad exequendum opera Dei, & ad ambulandum in via Domini; Chriſtus etiam præcinget ſe, id eſt, diſponet ad dignam felicitatis æternæ dandam mercedem.* Sed econtrà, ſi vos præcingitis & diſponitis *ad exequendum opera diaboli, & ambulandum in via malitiæ, Chriſtus erit præcinctus ad dandam vobis æternæ infelicitatis gehennam.* At verò videndum nunc (NN.) an verbis ejus, effectus reſpondeant.

Luc. 12.

Dionyſ. Carthuſ. ibid.

Cùm penderet Chriſtus ipſe in cruce inter duos latrones medius, illorum alter Dyſmas ad Salvatorem converſus, humiliter deprecatus eſt; ut poſſet in Paradiſum comitari. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et ſtatim exoravit: quia ad eum converſus Dominus & miſertus, ait: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Hodie? Paradiſum à te petit, hodie? donas? ut quid non mittitur priùs ad limbum, aut certè ad locum ubi pro ſceleribus patratis meritas luat pœnas? vel cur ſaltem hanc ei gratiam non in craſtinum differs? Multifariam hîc SS. Patres reſpondent: at Sacræ ſcripturæ abyſſum quis penetret, & ubique fundum attingat? Cajetanus hîc ita reſolvit: *Latroni, ex hoc ipſo, quòd illo die promittitur ei beatitudo, dimiſſa eſt, non ſolùm culpa, ſed pœna omnis.* Subdit modernus Author: *Hodiè, ſcilicet ſinè diutina hora, ut magis florida gratia eluceſcat.* Sed conformiùs ad intentum noſtrum S. P. Ambroſius; ut clarè demonſtratum ſit, quòd ubi *ſunt præcincti ad ambulandum in via Domini*, ibi paratus etiam Deus *ad dignam felicitatis dandam mercedem.* Statim ergo atque latroni hæc de Chriſto incidit cogitatio, quòd verè Dei Filius eſſet, ſine mora ſcelerum deteſtator & pœnitens, ad fidem eſt converſus, atque confeſſus, quia verè Filius Dei erat. Et quid facit Chriſtus? ad Paradiſum admittit illicò, & ne vel diem unum differt hanc gratiam. Quid mirum? promptus erat latro ad converſionem, & Redemptor pronus ad miſerationem ac gratiæ largitionem. *Pulcherrimum datur affectandæ converſionis exemplum.* (Concludit S. Ambroſius) *Citò ignoſcit Deus, quia citò ille convertitur.*

Luc. 23.

Cajet. ib. Mich. de Med. fer. c. in Paraſc. fer. 48.

In Cat. D. Th.

Hanc quoque politicam obſervavit erga ſanctiſſimam Virginem Matrem, uti atteſtatur S. Joannes in Apocalypſi, ubi narrat à ſe viſam eſſe ad portam cæleſtis Hieruſalem Matronam ſole formoſiorem in veſtitu deaurato, cui Sol & Luna cum ſtellis ornatum ſplendidiſſimum ſubminiſtrabant. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona Stellarum duodecim.* Sed quorſum (Deus bone!) tam ſumptuoſus in Matre tua caſtiſſima apparatus, ut etiam à Sole, Luna ac Stellis decor requiratur? ad quid tanta in Virgine Genitrice (cujus hæc mulier typum expreſſit) magnificentia & ſelectiſſima pompa? Nil mirandum (ait S. Bernardus) qualis erga Filium mater, talis erga Matrem Filius in cælis. Ornat eam decore cœleſti, quæ veſtiverat nudum in terris. Supra cæli ſolium exaltat illum, quem deficiente molli ſtrato, reclinavit in durum & vile præſepium. *Veſtis eum* (dicit S. Bernardus) *& veſtiris ab eo; veſtis eum de ſubſtantia tuæ carnis, veſtit ille te gloria ſuæ majeſtatis; veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.*

Apoc. 12.

D. Bern. ſup. Miſſa.

Hoc tamen addendum, & verum. Scis quomodò cum malis agat? Contra illos qui ſe præcingunt *ad exequendum opera diaboli*, & ipſe Deus præcinctus eſt *ad dandam æternæ infelicitatis gehennam.* Illis & myrrha eſt & Aquila armata ſuppliciorum fulmine. Dives Epulo, qui immerſus deliciis in apparato convivio Lazarum audit mendicantem, nec ejulatu movetur: ſed ne ana-

lecta quidem famelico indulget. Siccine pauperes meos excipis? itáne (loquitur Deus) amicos meos tractas, & ne vel ſcintillula in te charitatis ad miſerandum? Quid mirum (NN.) ſi nec ipſe Epulo in mediis flammis exauditur ab Abraham, neque refrigerium accipit, dum aquæ guttulam non poteſt obtinere? Sic voluit factum Deus, ut quo modo tractaverat Lazarum ipſe, eo tractaretur ab Abraham. Doctrina eſt D. Joannis Chryſoſtomi. *Ideo non meruit guttam, quia non fecit miſericordiam: ſi enim dediſſet, accepiſſet.* Credite, quia ſic vobiſcum procedet Deus, ſi & vos clauſeritis viſcera charitatis. Permittet aliquando Dominus, ut gravis neceſſitas premat, nec aliquis ſublevet; & quod longè peſſimum, veſtrâ evenerit culpâ, ubi tunc nil proderunt iterata lamenta; immites fueritis & avari; nec mitis erit Dominus, nec liberalis. D. Chryſ. in Pſ. 25.

Scio pleroſque in adverſis velle Deum arguere, ſed immeritò. Ubi eſt (garriunt illi) divina Providentia, quando calamitatibus undique obruimur, nec adeſt Deus, ut attendat, & eripiat? Quis crederet, mi Pater, quòd Dominus mei curam gerat? nemo facilè perſuaſerit. Semper ego in tribulationibus ab incunabulis; nec ſcio, quid ſit conſolatio, quid lætitia, aliquandiu me carcer detinuit miſerum, & poſteà lectus infirmum: jam verò prodire in publicum vetat pudor, quia ære alieno ſum gravatus; ſic ut firmiter credam, quòd non recordetur mei Dominus, neque neceſſitates meas attendat, ut ſuccurrat & liberet.

Hæc, & deteriora meremini, quia & vos obliti eſtis attendere, & ad Deum recurrere. Vivitis, quaſi non ſit Deus, Atheorum more, dixerim, & pejùs. Beſtiarum ea eſt vita: & vos à beſtiis diſſimiles, non, niſi quòd nomine homines eſtis. Cuilibet de ſe examen eſt liberum; perpendant hujuſmodi homines, quoties frequentent eccleſias: conciones abhorrent, ne veritatem audire debeant: nunquam confeſſionem inſtituunt, ne de meliori vita cogantur deliberare: pietatem erga beatiſſimam Virginem Matrem, & Sanctos non curant: quotidie mortaliter peccant, & ne vel ſemel in anno bonum opus perficiunt: & quis ſcit, an non dicant fortaſſis in corde ſuo: *Non eſt Deus*; Ergonè mirum eſt (NN.) ſi nec illorum recordetur Dominus? jure merito Deo cordi non ſunt, è quorum ille corde & memoria obliteratur: illos neque curat, neque auxilio eſt in extremis neceſſitatibus, ſi demeritis correſpondeant.

De Deo fortaſſis quereris, quòd paternam ejus benevolentiam non expertus? unde hoc? non te erga Deum geris ut filium, ſed ſpurium oſtendis. Quandò Rex David exercitum ordinavit, ut acceptam à filio Abſalone injuriam retunderet armis, hoc dedit mandatum tribus ducibus exercitus, ſc. Joab, Abiſai & Ethai, ut ſervaretur illæſus Abſalon. S. Ambroſius obſervat hic modum loquendi, *Servate mihi puerum Abſalon.* Cur non dicit *Servate mihi filium*, ſed *puerum Abſalon?* David non ut patrem ſe exhibet, filium nominando; quia non ſe filium exhibuit ille, ut patrem amando. Audiamus verba S. Ambroſii: *Quærendum, quâ ratione puerum dixit? Puer erat, quia parricidio petebat Patrem. Non ergo pietatis nomen accipere debebat, ſed infirmitatis.*

Si Deo rebellis es, & ſcelerum armato exercitu contendis; quomodò paternum ſperes affectum? *Sic ipſe nos viſitat, ſicut eum nos colimus. Cum frigido friget Deus, & cum calido calet.*

Si Deum odio perſequeris, ſi contemnis enormiter peccando; favorem expectes & honorem? In ejus obſequio torpes, & in adjutorium tuum celerem quæris? *Qualis te paraveris Deo;* (loquitur S. Bernardus) *talis apparet Deus. Cum amante eſt amans, cum vacante vacans. Sollicitus eſt,* ſed *cum ſolicito.*

Legitur in Prato Florido de homine divite, qui pauperibus durus erat & inhumanus, adeò ut, cùm eleëmoſynam peterent, aures ipſe occluderet. Moritur, & cùm efferretur corpus ſepeliendum, Religioſis in choro concinentibus *Requiem æternam*, Crucifixus ad ferertum erectus decuſſis manibus obturat aures, ne exaudiat fuſas preces pro eo, qui ſimiliter pauperibus fecerat. *Qui obturat aures ſuas à clamore pauperum, & ipſe clamabit; & non exaudietur.* Si deſideratis, ut mitiùs agat vobiſcum Deus, date eleëmoſynam.

## PARS SECUNDA.

*STans autem JESUS juſſit illum adduci ad ſe, & cùm appropinquâſſet, interrogavit illum dicens: Quid vis ut faciam tibi? At ille dixit: Domine ut videam.* Si ab infirmo peteret Medicus, quid velit, an non ſupervacaneum hoc eſſet? quo-

quomodo igitur non ſuperfluum, quòd petat à cæco Dei Filius, quid velit? nam abſdubiè viſum petit, nihilque illi deſideratius. *Domine ut videam.* Hoc peto, hoc unicum rogo. Ut quid ergo petit, *Quid tibi vis faciam?* Cæcum enim eſſe ſciebat. Voluit Salvator noſter voluntatem conformare, & facere pro cæci placito hoc ipſo innuens, quàm ſe ad nutum noſtrum accommodet. A Lorino vocatur Hoſtia Sacra. *Numiſma triticeum*, quod eſt moneta grani, vel panis. Et Author Monilis Animæ ſic ait: *Panis in modum denarii formatur.* Quid monetæ cum Hoſtiâ? Ex illâ ſæpe perditio corporis & animæ; ex hoc verò & corporis & animæ ſalus. Monetam ſoli divites poſſident; at ſacratam Hoſtiam accipiunt promiſcuè dives & pauper, magnus & parvus, nobilis & plebejus. Diceret aliquis, nec malè, ideò vocari *Numiſma*, quia, teſte Sapiente, *Pecuniæ obediunt omnia.* Fideles autem omnes voluntatem & intellectum ſubmittunt, ſanctum hoc myſterium fide inconcuſsâ tenentes & venerantes. Ut proinde meritò dixerit S. Eligius: *Corpori & ſanguini Chriſti totus mundus ſubjugatus eſt.* Vel, ut legit Vatablus: *Pecuniæ obediunt omnia.* Qui pecunias, ille omnia poſſidet. Et Chriſtus, ubi Corpus ſuum Sacramentaliter dedit Apoſtolis, omnia bona dedit. Unde verè dixerit poſt ſacram Communionem devota anima: *Omnia bona Dei mecum porto.* Et meritò; quandoquidem, ut notat Franciſcus Ribera, *nihil habet Deus melius, aut pretioſius eo, quod nobis dat in ſanctiſſima Euchariſtia.* Et S. Auguſtinus ait: *Cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.*

*Lorin. in Pſ. 110.*
*Eccl. 5.*
*S. Eligius*
*Vatabl.*
*Serm. 84. Ioann.*

Meo tamen judicio viſi ſunt prædicti Authores attribuiſſe Chriſto in ſanctiſſimo Sacramento nomen monetæ, quia ad monetam acclinatus eſt homo, & cumulandis pecuniis inhiat: ideò Deus noſter volens ab homine deſiderari, ſollicitè quæri, & amari, pro genio noſtro & guſtu ſe acclinat, nomen aſſumens & figuram ſphæricam monetæ, *Numiſma triticeum.* Sic etiam, ait Origenes, manna in deſerto erat ad guſtum omnium, ut avidè id omnes appeterent. *Venit traditio talis ad nos de Chriſto, quòd unicuique apparebat ſecundùm quod fuerat dignus: ſecundùm quod de manna eſt ſcriptum, quoniam Deus filiis Iſrael panem miſit de cælo omne delectamentum habentem, & ad omnem guſtum convenientem.*

*Orig. tr. 35. in Matth.*

Confirmationem audite. Ego (inquit Chriſtus) vellem omnibus & ſingulis dare cæleſtem gloriam, ſed paucos video ſollicitos ad acquirendum. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Quivis recuſat. Quid facto opus, ad excitandum hominem, ut appetat, & avidè quærat gloriam meam, nec oblatam contemnat? Exhibebo ſub ſpecie denarii, & inducam, ut monetam eſſe credat. Ideo Paterfamilias otioſos illos in vineam mittit, addictâ laboris impenſi mercede. *Conventione factâ de denario diurno, miſit illos in vineam ſuam.* Per denarium hîc Origenes, D. Remigius & alii intelligunt æternam beatitudinem. *Denarii nomine beatitudinem ſignificari dicunt*, ait Paulus de Palatio, quam accepturi ſunt illi, qui fideliter in ſervitio divino labores impenderint. Sed quare non de beatitudine dicit quod Theologi ex Boëtio, *Eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Vidit Deus hominem denariorum cupidum, voluiſſet eum & cæleſtis gloriæ eſſe, ideoque ſub metaphora oſtendit denarii, & allicit *denario diurno.*

*Matt. 22.*
*Matt. 25.*
*D. Remig.*
*P. de Pal. in Matt.*

Cùm aliquando intendiſſet Salvator movere homines, & incitare ad cælum quærendum, his uſus eſt verbis, *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis.* Mirum ſanè: Chriſtus aliàs ſolitus divitias deteſtari, cum ait: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Et hoc expreſsè commendavit Diſcipulis obſervandum in itinere: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.* Cajetanus ibi explicat: [In quo prohibet pretium pro viatico, ſivè in auro, ſivè in argento, ſivè in ære.] Quare ergo nunc ad acquirendos theſauros animat? S. Petrus Chryſologus miratur. *Ecce docet avaritiam, qui cœperat ſuadere contemptum.* Ad theſauros excitat, non terrenos, qui *veteraſcunt, aut deficiunt*; ſed cœleſtes, qui *nunquam veteraſcunt aut deficiunt.* Proponitur igitur cœleſtis beatitudo ſub terreni theſauri ornatu, ut guſtui noſtro ſit ſatisfactum; & ut noſtrum expleat deſiderium Redemptor, etiam inclinationibus ſe conformat. *Qui theſaurizantes temporaliter* (proſequitur Chryſologus) *arguebat, ad totum cupiditatis fomitem jubet ſacculos ſine fine perquiri. Chriſte! quò te pertrahit amor tuorum? Vt aurum lucrifacias, facis eum, quod deſideret, non quod poteſt, audire. Sacculos imperas, æternos theſauros, qui non deficiant, vis parari;*

*Luc. 12.*
*Matth. 5.*
*Matt. 10.*
*Cajet. ib.*
*Serm. 24.*
*S. Petr. Chryſol. ubi ſupr.*

*ri; ut avarus, dum conſueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur.*

Sponſa cœleſtis Deo nomen floris attribuit, & quidem ipſe fatetur: *Ego flos campi.* (*Cant. 2.*) Varii ſunt flores, & coloribus diverſi: alius enim eſt ruber, alius flavus, alter purpureus, & alius coloris mixti &c. Chriſtus itaque flos eſt: ſed quis illi nativus & proprius color? colorem habet non diſtinctum, ſed qui pro diverſis occurrentiis nunc ruber appareat, nunc albus, &c. illis qui charitate ſunt purpurati, fit roſa purpurea; Virginibus lilium candidum, &c. cujuſque proprietati & virtuti factus conformis & ſimilis. Audite hic Hugonem. (*Hugo de S. Charo.*) *Quòd autem generaliter florem ſe dicit, non determinando aliquem, inde eſt, quòd non unico modo floret in campo Eccleſiæ; ſed, ut ita dicam, rubet in martyribus, candet in Virginibus, viret in Confeſſoribus, pallet in Pœnitentibus, rutilat in Prædicatoribus, in nos perpetim transferens, noſtris coloratur affectibus.*

Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus obſervat (*S. Cyrill. Hieroſol. Cath. 10.*) varietatem nominum Dei in S. Eccleſia; ut quòd illi detur jam nomen oſtii, modò vineæ, &c. ut patet ex multis S. Scripturæ locis, & appoſitè ad intentum noſtrum diſcurrit, additque rationem. *Vnicuiq; varius fit Salvator ad utilitatem: qui enim indigent recreatione, & lætitiâ, illis fit vinea: qui opus habent, ut ingrediantur, his conſtruitur oſtium, ſummusq; Sacerdos habentibus peccata, ut pro ipſis mactetur, ovis: & omnibus fit omnia ipſe, idem naturâ permanens qui eſt.*

Etiam nos conformemus divino placito, & petenti, *Quid vis ut faciam tibi?* cum cœco illo Evangelico liberè reſpondeamus, *Domine ut videam.* Domine Deus, mentes noſtras illumina, ut videamus & obſervemus modum, quo tibi placere, & perfectè obſequi poſſimus, ut tandem inveniamur digni cœleſtis gloriæ æternæ lumine.

Amen.

*****

# FINIS.

INDEX

# INDEX

## Ad formandas Conciones pro toto Anno.

Dominica prima Adventûs pro Eccleſiis Germaniæ. Match. 21.

*Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confeſtim &c.*

Mira hæc eſt illatio Chriſti. ſi dixeritis me opus habere illis jumentis, ſine contradictione ſtatim vobis illa dimittet. Sed quæſo qualis conſequentia? Nonne videmus Chriſtum multa mandare, & præcipere, nec tamen audiri? annon Chriſtus ſæpè in pauperibus aliquibus indiget quæ tamen ei non dantur? Nihilo ſecius argumentum Chriſti optimum eſt. Chriſtus obſervabat præcepta Patris, hinc ſciebat quòd Dominus ad quem ſpectabant jumenta, etiam ſibi ob ea iturus erat, patre nimirum flectente eorum voluntates; ſicut enim nos agimus cum Deo, ſic ille ait cum nobis, Dominicâ Quinquageſimæ.

*Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis IESVS.*

Hic elucet mira obedientia, & prudentia horum diſcipulorum: non cunctantur, non tardant, non differunt executionem præcepti a Chriſto iis impoſiti; & ideò quia ſtatim abierunt, nullus iis contradixit: timebant ne Dominus jumentorum voluntatem mutaret, & qui jam contentus erat, quod fortè poſtea reluctaretur. Ex quo diſcimus propoſita bona ſtatim eſſe adimplenda, nec occaſiones bonas eſſe negligendas, cùm cœleſtia videmus adeſſe auxilia, Feſto Epiphaniæ.

*Oſanna filio David clamabant dicentes, &c.*

Illi qui hodie tot fauſtis acclamationibus eum recipiunt, poſt paucos dies diris, blaſphemiis, aliiſque dicteriis eum petierunt & clamabant non O ſanna, ſed crucifige crucifige. Quàm citò hi populi ſunt mutati? Sanè nil hoc miri, quia nihil eſt in hoc mundo ex omni parte beatum, nihil ſtabile, ſed omnia viciſſitudini ſunt obnoxia. Dominicâ quintâ poſt Epiphaniam. De eadem materia vide Engelgrave in Dominica Palmarum & Joannem de la Hay Tomo primo in Geneſin in Indice Concionum.

Feria Quarta Cinerum. Matth. 6.

*Cùm jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.*

Eſto ſacri Doctores varias afferant cauſas, ob quas hodie Sancta Mater Eccleſia fidelium capita cinere aſpergat; illa meo judicio etiam una videtur, ut dum hac Quadrageſima plura opera pietatis exercere debemus, ut jejunare &c. quàm aliàs per annum, fugiamus vanam gloriam, nec ea coram hominibus jactemus, & ideò hodiernum Evangelium legit. Non ſic multi, qui falſas virtutes oſtentant, & vitia apertiſſima palliant Dom. infra Octavam Epiphaniæ. De hypocriſi vide etiam Calvo in hac die, & de la Hay in indice hujus diei.

*Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.*

Tanta eſt Dei bonitas, & clementia, ut etiam bonum quod eſt in operibus Hypocritæ velit remunerari, ac mercedem rependere; nec id miror, quia tanta eſt Dei in homines beneficentia, ut omnem ſtuporem ſuperent, ita ut hoc vix fides credat, & humana fragilitas non ſolùm repleatur, ſed onuſta fatigetur. Dom. tertiâ poſt Epiphaniam.

*Nolite theſaurizare vobis, &c.*

Nam iis qui anguntur cupiditate divitias obtinendi miſeri ſunt, & plurima mala hujuſce rei causá patrant Dom tertiâ Adventus. ubi oſtenditur quàm miſera, & calamitoſa ſit hominis avari conditio, & quod effrenata cupiditas habendi & theſurizandi ſit peſtiferum malum & hominibus innatum.

Feria Quinta Cinerum. vide Dom. tertiâ poſt Epiphaniam ubi habes integram concionem.

Feria Sexta Cinerum. Matth. 17.

*Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros &c. ut ſitis &c.*

Magnum revera eſt præmium quod Deus inimicos diligentibus pollicetur, cùm dicat illos futuros filios Patris cœleſtis, & cum ſint filii, erunt etiam hæredes. Sed cur dilectione tantùm tam eximium præmium ſpondet? Ratio eſt, quia eſt actio difficillima, & valda ardua: Nam nil efficacius eſt ad aſpera & dura ſuperanda, quã recogitare præmium cœleſte. In Feſto S. Stepha.

*Ego autem dico vobis, &c.*

Magnum pondus habet in ſe hic terminus *Ego*, ac ſi diceret, hoc non dicunt vobis Prophetæ, Patriarchæ, vel alii veſtri anteceſſores, ſed ego, ac ideò debetis meum verbum audire, nam ſi illud audieritis, vobis conferet ſalutem, ſi illud non audieritis ſupplicium. Ut ergò ſalvemini, hoc eſt, ut ſitis filii Patris veſtri audite verbum meum. De verbi Dei efficacia vide Dom. Sexag.

*Vt ſitis filii patris veſtri.*

Filius participat indolem Patris, cùm ergò Deus maxime ſollicitus ſit pro peccatoribus, qui ſunt ejus hoſtes, ſic vult ut inimicos diligamus, quia in ſe omnia tentat ut peccatorem convertat. In feſto D. Thomæ part. 2.

Dom. 1 Quadrag. Matth. 4.

*Ductus eſt Ieſus in deſertum, ut tentaretur à Diabolo.*

Mirum eſt, quod ex 30. annis, quibus vixit Chriſtus, nil recenſeant Evangeliſtæ, præter diſceſſum ex Ægypto, & triduum, quo manſit in templo: an nil præterea egit? res non caret myſterio. Chriſtus illo tempore quietam vitam egit, ne ergò abſque laboribus putemus cælum obtineri, nil de hoc narrant Evangeliſtæ. Ideò ait Fevardentius in Ruth. c. 1. n. 5. jejunavit, eſurivit, & ſitivit, &c antequam coronaretur gloria reſurrectionis, & honoris. Dom. Septuag.

*Angelis enim ſuis Deus mandavit de te.*

Hìc manifeſtatur aſtutia ſingularis Diaboli, præcipitium ſuaſit Chriſto, quod ex ſe erat peccatum, tentationis crimen afficit titulo virtutis & vendit tanquam virtutem. Multos habet hodie Diabolus in hoc aſſeclas, qui virtutes falſas oſtentant, & vitia palliant etiam apertiſſima, Dom. infra octav. Epiph.

*Hæc omnia tibi dabo &c.*

Hanc tentationem velut ultimum arietem adhibet, quo Chriſtum ſperabat dejiciendum; dum enim illum putabat purum hominem, ſciebat, quàm innata ſit hominibus effrænata cupiditas acquirendi bona, &, quod propter eam enormia & grávia peccata committant. Fer. 2. Advent.

Fer 2. Dominicæ 1. Quadrag. Vide Dom. 1. Adventus ubi habes integram concionem de judicio.

Fer. 3. Dominicæ 1. Matth. 21.

*Commota eſt univerſa civitas dicens, quis eſt hic?*

Hoc Evangelium agit de ingreſſu victorioſo, quo Chriſtus Dom. Palmarum ingreſſus eſt Hieroſolymam. Gebernatores ergò & Principes, & Scribæ, dum audirent jubilos, & acroamata quibus à plebe, & populo celebrabatur, dum eum viderent pauperem, & filium fabri, ideò credebant eum non poſſe fulgere tot excellentiis, & audientes pueros clamantes O ſanna, indignati ſunt dicentes. *Quis eſt hic*, ac ſi dicerent, hic nimis vilis eſt & miſer, ut ſit Meſſias, ſed errabant, quia Dei proprium eſt eligere infirma mundi, ut confundat fortia, Feſt. D. Andreæ.

*Populus autem dicebat hic eſt IESVS.*

Hoc ſolo nomine populus convicit Phariſæos, & proſtravit. Nam hoc nomen Jesus idem eſt quod Salvator, venit enim nos omnes ſalvos facere. De hujus nominis efficacia, ac virtutibus vide feſti Circumciſionis partem 2. Et Calvo Aſſumpto primo hac die.

*Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, & ſanavit eos.*

Prudenter fecerunt illi infirmi, quod templo ſe ingerſſerint nec extra expectarint. Nam neceſſaria, & grata eſt Deo ſollicitudo, qua bona propoſita exequimur, & ſi expectaſſent poterat eſſe periculum, ne Chriſtus ad alios diverteret, uti & factum eſt; nam iis relictis abiit extra civitatem. Hinc diſce occaſiones non negligere, & dum adeſt ſubſidium cæleſte, ad illud eſt recurrendum. Feſt. Epiph. Vide & Fidelem conſideratione tertiá hac die.

Fer 4. Dominicæ quartæ. Matth. 12.

*Magiſter volumus, &c.*

Magna fuit ſtultitia Phariſæorum, quòd velint, ut Deus ſe accommodet eorum voluntati, quin imò potiùs ſe debeant ejus voluntati adaptare, quia talis eſt conditio Dei, ut ipſe eo modo agat nobiſcum, quo nos cum eo agimus. Hinc ſi velimus ut ipſe faciat omnia ad nutum noſtrum, nos ejus debemus accommodari nutui. Dom. Quinquag. Vide & Fidelem Fer. 2. Paſchæ & Lanuza hom. 25.

*Volumus videre.*

Rectè oſtendunt ſe cæcos, & fatuos, & ſtultè in omnibus procedere; cùm enim Chriſtus eſſet Deus, volebant illi imperare, & imperioſè ab eo extorquere miraculum; nil hoc miri, erant enim peccatores; Peccator autem ita eſt cæ-

cus,

cus, & demens ut non niſi ſtulta loquatur. Feſto Divi Thomæ.

*Viri Ninivitæ.*

Eſto etiam eſſent mulieres quæ egerunt pœnitentiam, tamen eos omnes vocat viros ut oſtenderet, quàm efficax ſit virtus pœnitentiæ, ita ut non ſolum reſtituat amiſſam per peccatum gratiam, ſed & plura conferat: Dominicâ quartâ Adventus,

Feriâ quintâ Dominicæ primæ. Matth. 15.

*Filia mea malè à Dæmonio vexatur.*

Si filia ejus vexabatur, cur petit ut miſereatur ſui & non filiæ; Sciebat afflictiones ſæpè prolibus evenire ob peccata parentum, quod verum eſt; nam ſæpè proles ob peccata parentum puniuntur. Dominicâ quartâ poſt Epiphaniam folio 192. Vide & Lanuzam 23. Ideò curent parentes ut proles bene educentur Dominicâ infra Octavam Nativitatis Domini.

*Egreſſus IESVS ſeceſſit in partes Tyri, &c.*

Paucis non poteſt Deus benefacere, ſed omnium neceſſitatibus ſuccurrere vult, eſt enim ipſi valde odioſa partialitas, nam & ideò Jeſus vocari voluit, id eſt omnium Salvator. Vide partem ſecundam Feſti circumciſionis.

*Ecce mulier Chananæa egreſſa, &c.*

Non ſine myſterio Sacer Evangeliſta videtur addere illam particulam *ergo*, ut denotaret diligentiam, & ſollicitudinem hujus mulieris in quærendo remedio, quia, dum aderat cœleſte auxilium, illud non neglexit, nam potuiſſet fieri, ut occaſio negligeretur. Vide Feſtum Epiphaniæ.

Feria Sexta poſt Dominicam primam.
Joan. 5.

*Iacebat multitudo magna languentium.*

Nil miri illum morbum contraxiſſe, qui inter languidos & infirmos vixerat; Nam & ipſi Apoſtoli, dum eſſent in ſocietate Judæ, periclitati ſunt in mari, & timebant naufragium, quia ut à viro probo oritur tranquillitas, ſic à malo exoritur ſæva tempeſtas; & uno peccante puniuntur multi.

Dominicâ Quartâ poſt Epiphaniam,

*Erat autem homo ibi &c.*

Cùm nec Deus nec Angeli poſſint infirmari, cur dicitur ibi *homo*? Non ſine myſterio dicitur, imò & neceſſe fuit dicere, ut ſignificaretur, quòd exuerit hominem, & induerit naturam beſtiæ; peccatum enim hominem in beſtiam transformat. In Feſto D. Thomæ.

*Vis ſanus fieri?*

Si Medicus ab infirmo peteret, quid vellet, an non hoc eſſet ſuperfluum, cùm certum ſit quòd petat ſanitatem? Cur ergò filius Dei petit ab hoc infirmo, quid velit, cùm abſque dubio petat ſanitatem? Voluit ſe conformare voluntati infirmi, ut oſtendat quàm ſe accommodet ad noſtrum nutum, ideo enim vocatur moneta. Dominicâ Quinquageſimâ parte ſecundâ.

Dominica Secunda Quadrageſimæ.
Matth. 17.

*Aſſumpſit IESVS Petrum, &c.*

Sed cur iſtis tribus tantum hic favor conceditur? qui ad ulteriora ſe accingebant, quàm obligabantur. Vide Feſtum purificationis fol. 233. ubi oſtenditur, quòd opera ſuperrogatoria debemus facere.

*Transfiguratus eſt ante eos.*

Nempè ut ſpe gloriæ eos alliceret ad labores tolerandos; Nil enim ad hoc efficacius eſt, quàm conſideratio gloriæ & beatitudinis, ut patet in D. Stephano, & Apoſtolis. Vide partem primam Feſt. D. Stephani.

*Neſciebat quid diceret.*

Meritò dicitur Petrus neſcire quid dicat; volebat enim percipere gaudia cœleſtia ante laborum pugnam, Deus autem non ſolet conferre gloriam niſi poſtquam portavimus pondus diei & laboris. Dom. Septuageſimæ parte primâ.

Feria Secunda poſt Dominicam Secundam.
Joan. 8.

*Ego vado.*

Dolorem ſuum hìc exprimit, quo afficiebatur, dum ire debebat ad mortem; tanto enim deſiderio flagrat converſandi nobiſcum, ut ſummè doleat, dum debet a nobis diſcedere; ut patet in horto Olivarum, ubi per vim à Diſcipulis avelli debuit. In Feſto Nativitatis parte primâ fol. 80.

*Ego vado, & quæretis me.*

Dicere voluit Chriſtus, quia cùm me non quæſieritis, dum vobis adeſſem, poſtea me non invenietis, occaſionem neglexiſtis me inveniendi, & remedium obtinendi. Ne ergò & nobis hoc contingat bona propoſita non differamus, ſed ſtatim exequamur, & occaſiones benefaciendi non omittamus. Feſto Epiphaniæ parte primâ.

*Quæretis me & non invenietis.*

Si dicas, quod omnis, qui quærit, invenit, quomodò hi te non invenient, dum te quærent? Credo ego quod publicè, & ubique clamando quæſierit, ubi eſſet Chriſtus, ut ſic venarentur auram popularem. Ut ergo Chriſtus oſtēdat quantum ſibi diſpliceat vana gloria, ait, quod eum ſint quæſituri, nec tamen inventuri, vide Dominica infra Octavam Epiphaniæ, ubi oſtenditur, quàm nociva ſit vana gloria.

Feria tertia poſt Dom. ſecundam. Matth. 23.

*Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ &c.*

Cùm loquatur de hominibus actu in dignitate conſtitutis, cur non dicit, *ſedent* in præſenti? Oſtendere voluit, quàm brevia & tranſitoria ſint hujus ſæculi bona, quæ ſanè momentanea ſunt, & inſtar fluminis tranſeunt. Dominica quinta poſt Epiphaniam.

*Omnia quæcunque dixerit vobis, facite.*

Non debemus ea diſcutere, quæ nobis præcipiuntur, ſed in omnibus obedire, etiam in ſuperetogatoriis. Vide feſtum purificationis parte primâ, ubi oſtenditur quòd obedientia debeat eſſe ſpontanea, & alacris, nea noc debere eſſe curioſos in obediendo, & quòd inobedientiam Diabolus mutet.

*Amant primos recubitus.*

Parum ſciunt de genio, & conſuetudine Dei; Deus enim non ſolet aliquem exaltare, niſi ſe prius humiliet. fol 208.

Feria quarta poſt Dominicam ſecundam vide Dominicam Quinquageſimæ, & Feſtum Divi Jacobi, & in indice verbo Tribulatio.

Feria quinta poſt Dominicam ſecundam. Lucæ 16.

*Erat Dives &c.*

Sufficit abſolutè, quòd Deus illi tribuat hoc nomen *Dives*, & dicat illum eſſe Divitem; ex hoc enim ſufficienter colligimus, illum pluribus vitiis fuiſſe irretitum; cupiditas enim habendi eſt peſtiferum malum, quod innumera poſt ſe vitia trahit, Dominicâ ſecundâ Adventus parte primâ.

*Crucior in hac flamma.*

Hoc eſt ſupplicium omnium graviſſimum, quod aliquis a Chriſto ad æternas flammas damnetur. Dominicâ primâ Adventus parte ſecundâ.

*Mitte Lazarum &c.*

Cur non petit hauſtum vini, vel aliquam aliam refocillationem? cur petit tantum ſciphum aquæ? ſicut ipſe avarus fuerat, & parcus, ſic credebat, quòd Deus erga ſe futurus eſſet. Dominicâ quinquageſima.

Feria ſexta poſt Dominicam ſecundam.

*Homo quidam erat paterfamilias. Matth. 21.*

Cùm de vineâ plantandâ & ornandâ agitur, hoc eſt de homine, Deus inducitur tanquam paterfamilias, qui bonus ſolet eſſe. Et ſanè Deus ad benefaciendum promptiſſimus eſt, & adeò promptus, ut divinæ largitatis dona miranda ſint, & ita miranda, ut fermè incredibilia ſint. Dominicâ tertiâ poſt Epiphaniam.

*Et fodit in ea torcular.*

Hieronymus interpretatur altare, vult enim Deus ſibi ſacrificium offerri, nec debemus ei deteriora, ſed meliora offerre, cujus tamen contrarium fit, quia mundo meliora, & Deo pejora offerimus. Feſto purificationis parte ſecundâ.

*Locavit eam Agricolis*

Ut enim ad æternam quietem perveniamus, vult ut laboremus in hac vitâ; nam gloria ſine magnis laboribus non poterit obtineri. Vult etiam ut otium fugiamus, nam eſt omnium errorum parens, & otioſos non donat cælo. Dominicâ Septuageſimæ.

Dominicâ tertiâ Quadrageſimæ. Lucæ 11.

*Erat Ieſus ejiciens Dæmonium*

Per dæmonium rectè peccator intelligitur; ſicut ergo, dum dæmonium ejecit, illud nil replicare potuit, ſic dum Deus peccatores in ſupremo judicii die redarguet de peccatis commiſſis, ac bonis operibus neglectis, nil replicare poterit, ſed omninò obmuteſcet. Dominicâ primâ Adventus parte prima.

*Et illud erat mutum.*

Secundùm plures fuit etiam cæcum. Viden miſeriam & calamitates in quas Dæmon peccatorem dejicit, ut ſanè ſanguineis lachrymis deploranda ſit; nam peccator non ſolùm eſt cæcus, ſed & beſtia. Feſto Divi Thomæ parte primâ.

*Factum eſt autem &c.*

Cùm nullus eſt, qui Chriſti partes tueretur, Deus mulierem ſuſcitat, quæ in ejus laudes prorumpat. Sed cur non elegit aliquem virum, qui hoc meliùs facere poſſet? Deus ad facta illuſtria, & glorioſa uti ſolet mediis abjectis, & infirma mundi elegit, ut fortia confundat. Feſto Divi Andreæ parte ſecundâ.

Feriâ 2. poſt Dominicam tertiam.

*Fac & hic in patria tua* Matth. 4.

Iſti prætendebant, ut Chriſtus faceret mirâcula, ut tunc lucrum acquirerent, in quo graviter deliquerunt. Hæc eſt cupidorum ſors, ut peſſimi ſint Dom. 3. Advent.

*Quando clauſum eſt cælum.*

Veriſimile eſt plures juſtos & ſanctos illo tempore cum aliis nocentibus fuiſſe paſſos, ob quorum peccata cælum clauſum fuit; nam quod mali perpetrant, boni luunt, & ob unius peccatum integræ provinciæ puniuntur. Dom. 4 poſt Epiph.

*Duxerunt eum uſque, &c.*

Si erant ejus concives, quomodò contra eum ita commoventur, ut illum velint præcipitare? nil mirum: dicebat veritatem, illa autem ingratiſſima eſt, & ubique odioſa. Dom. 2. Advent.

Fer. 3. poſt Dominicam tertiam Matth. 18.

*Si peccaverit in te frater tuus.*

Hoc eſt unum ex difficillimis præceptis totius Evangelii, quia nil eſt quod exponat homines periculo, quam ſi dicatur veritas; illa enim opprimitur & morte ſæpè luitur: Dom. 2. Advent.

*Vade corripe, &c.*

Hoc eſt ſtatim, nec differt correptionem, quia ſi jam paratus ſit, poſtea forſan non erit; nam moras nectere eſt periculoſum. Feſt. Epiph. part. 1.

*Non dico tibi ſepties, &c.*

S. Petrus videbatur multum facere, quod extenderet remiſſionem peccatorum uſque ad ſeptem vices, ſed Deus uſque ad terminum vitæ eam extendit, eſt enim efficax; vide Dominicam 4. Adventus, & Dæmon ſalvaretur, ſi pœniteret. Fol. 68.

Fer. 4. Dominicæ tertiæ. Matth. 15.

*Qui maledixerit patri & matri, morte moriatur.*

Filius parentes debet honorare, revereri, & iis obedire. Hoc fecit Samſon & alii, ſed ſi filii parentibus non obediant, ſed irreverentiâ afficiant, graviter à Deo punientur, ut patet in Cham, & Chananæa. Dom. infra octavam Nativitatis.

*Populus hic labiis me honorat.*

Et ideò eorum ſacrificium eſt Deo ingratum, quia deteriora, ſcilicet exteriora Deo tantùm offerebant, meliora verò ſcilicet interiora ſervabant, ſic & multi hodie faciunt. Feſt. Purific. part. 2.

*Sine cauſa colunt me.*

Corde corrupto nil ſunt faciendi exteriores corporis motus & oris oſtentationes, nam Deus non curat, quòd virtutes fucatas ebuccines, ſed quòd illas præſtes; ſunt autem multi, qui de virtutibus falſis ſe jactant, & volunt videri quod non ſunt. Dom. infra octavam Epiph.

Fer. 5. Dominicæ tertiæ. Luc. 4.

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.*

Eſto Petrus eſſet Dei amicus, & ejus ſocrus mulier ſancta, tamen viſitata fuit infirmitate gravi; Deus enim non vult electis ſuis dare gloriam, niſi priùs illam per labores & dolores promereantur. Dom. Septuag.

*Continuo ſurgens miniſtrabat ei.*

Viden quàm ſit efficax unum verbum Dei. Mox ut per verbum imperat febri, infirma ſurgit, & Chriſto miniſtrat, de efficacia verbi divini, vide Dom. Sexag. Si ergo verbum Dei ſit tam potens, quomodò non terrebuntur ad vocem Chriſti peccatores in judicio, ut patet in diſcipulis, & Judæis; Dom. 1. Advent. part. 1.

*Cum autem Sol occidiſſet, omnes.*

Ut Chriſtus humanas laudes fugeret, & popularem auram declinaret, poſt ſolis occaſum beneficia, & ſanitatem conferebat, ut doceret nos debere humilitatis involucris virtutes noſtras tegere, & opera bona velare. Dom. infra octav. Epiph.

Fer 6. Dominicæ tertiæ. Joan. 4.

*Jeſus fatigatus ex itinere.*

Notanter hic exprimitur nomen Jeſus, ut ſciremus cauſam, cur eum oportuerit tranſire per Samariam; cum enim hoc nomen ſit idem ac Salvator, ſignificatur, quod per omnium ſalutem venit, & ideò omnes regiones peragrare debuit.

Feſto Circumciſionis part. 2.

*Da mihi bibere.*

Dum Chriſtus ab illa hauſtum aquæ petit, rotundè illum negat, ſed dum Chriſtus ipſi aquam promittit, ſtatim clamat: *Domine, da mihi hanc aquam.* Mulieribus enim eſt innata cupiditas habendi. Dom. 3. Adv.

*Quinque viros habuiſti, &c.*

Audite quid ad hæc verba dicat: *Patres noſtri in hoc monte adoraverunt.* A bove tranſilit ad aſi-

num, Chriſtus loquitur de quinque viris, & de eo, quem modò habet, & illa diſcurſum divertit ad adorationem, ad Prophetas. Scitis cur? Chriſtus dicebat veritatem, mulieres autem eam valdè oderunt. Domin. 2. Advent. part 1.

Dominica 4. Quadrag. Joan. 6.
*Vt manducent hi.*

Congruè loquitur Chriſtus, curam illi habent de me, & ſuum in ſequendo erga me teſtantur affectum, & bonam voluntatem, ergò ego etiam debeo eorum curam ſuſcipere, & illis reſpondere, nam hic eſt genius Dei, ut, quales nos ſumus erga ipſum, talis & ipſe ſit erga nos. Dom. Quinquag. part. 1.

*Colligite quæ ſuperfuerunt fragmenta.*

Non miror, quòd ex duobus piſcibus & quinque panibus ſatiaret homines, omnes enim creaturæ ejus ſubjiciuntur imperio, ſed quod tot fragmenta ſuperfuerint, obſtupeſco; Cur ille exceſſus? nonne Deus abundantiam execratur? Hebræi veritati miraculi patrati nolebant credere, ideò miraculum patrare debuit, homines enim valde amantes ſunt mendacii. Dom. 3. Advent. part. 2.

*Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.*

Nihil Deus vult vilipendi, ſed etiam res minimas curari, ut te doceat minima & levia vitare; nam illa augentur, ac ad majora diſponunt, & quæ ſeorſum ſunt parvi momenti, conjunctim ſunt magni ponderis, ſollicitè ergò cavenda ſunt venialia. Dom. 6. poſt Epiph.

Fer. 2. Dominicæ quartæ. Joan. 8.
*Aſcendit Ieſus, &c.*

Hæc aſcenſio contigit circa feſtum Paſchatis, Judæi enim ter in anno debebant Hieroſolymam ad templum aſcendere, & quamvis ipſe illâ lege non obligaretur, tamen aſcendere voluit, ut ſuo exemplo nos doceret promptè obedire, & opera ſupererogatoria facere. Feſto Purif. part. 1.

*Vendentes boves & oves.*

Peſſima hæc fuit illorum iniquitas; nam ſub prætextu cultûs divini, ac quòd gratiam præſtarent ſacrificare volentibus, venditabant illas actiones licitas; ſic multi ſunt, qui jactant virtutes fucatas. Dom. infr. octav. Epiph.

*Zelus domûs tuæ comedit me.*

Deus tantò zelo flagrat erga nos, qui ſumus ejus templum juxta illud Apoſtoli: *Templum Dei eſtis vos*, ut continuò velit eſſe nobiſcum, & maximo flagret deſiderio noſtrâ ſocietate fruendi, ita ut grave ſit tormentum illum à nobis avelli. Feſt Nativ.

Fer. 3. Dominicæ quartæ. Joan. 7.
*Quomodò hic litteras ſcit cùm non didicerit?*

Videntes illum exponere altiſſima S. Scripturæ myſteria mirabantur, ſed præ malitia excæcabantur, nec convertabantur, in quo ipſi magis admirandi ſunt, cum verbum Dei tam efficax ſit, unde de iis dici poteſt, quòd ſint deleti de libro vitæ. Dom. Sexag. fol. 43.

*Mea doctrina non eſt mea, &c.*

Deo adſcribendum eſt, quidquid boni facimus; nam omnia opera bona procedunt ab ejus gratia, & auxilio: nec ſine gratia divina aliquid boni fieri poteſt. Feſt. Epiph. part. 2.

*Sed ejus, qui miſit me patris.*

Ex eò quod ſermo prædicationis ſit verbum Dei, meritò excitari deberemus, ut illud ſummâ cum attentione, & reverentiâ audiremus, nam ſi Deus è cælo ad te Epiſtolam mitteret, nonnè maxima cum reverentia acceptares illam. Domin. Sexag part. 2.

Fer. 4. Dominicæ quartæ.
*Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*

Nullum eſt dubium ob parentum peccata ſæpè proles puniri, ideò etiam parentes ſollicitè cavere debent ut filios benè educent, ut & ipſi in prolibus puniantur. Dom. 4. part. 1 poſt Epiph. Nam ſi ob aliena peccata quis puniatur, maximè punietur ob propria, hinc ridendi ſunt, qui ad conſtellationes recurrunt, cum quodlibet peccatum habeat ſuam pœnam. Ibid. part. 1.

*Venit nox, quando nemo poterit operari.*

Si in una nocte quis operari poſſit, cur non poſſit in alia? Per noctem intelligitur hora mortis, & ſenectus, quando illa venit, ſæpè pœnitentia infructuoſa eſt, hinc non eſt differenda. Dom. 4. Adv. part. 2. nam moras trahere ſæpè periculoſum eſt. Feſt. Epiph. part. 1.

*Abiit ergo, & lavit*

Annon poterat replicare, cur me mittit ad natatoria Siloen? an non eſt omnipotens? Cur ergo me non ſtatim ſanat? Docuit nos qualis debeat eſſe

eſſe obedientia, nempè hilaris, prompta, & cæca. Feſt. Purif. part. 1.

Fer. 5. Dominicæ quartæ. Luc. 7.

*Ecce defunctus efferebatur filius unicus.*

Cur ô Deus affligis hanc viduam in viduitate? annon ſufficiens ſit ei crux, quod ſit orbata marito ſuo? Cur ergo afflictæ addis afflictionem? In bonum ejus hoc Deus fecit, nam non dat gloriam niſi poſt labores, & afflictiones. Dom. Septuag. part. 1.

*Ibat Ieſus in civitatem, quæ vocabatur Nain.*

Ut advertit Joannes de la Hay non dicit S. Evangeliſta *ivit* in perfecto, ſed *ibat* in imperfecto, ut Chriſtum doceret ſemper operatum eſſe, & nunquam otio indulſiſſe; nam otioſis gloria cœleſtis non datur, ſed à cælo excluduntur, ut patet in Lucifero qui ideo è cælo deturbatus eſt. Dom. Septuag. part 2.

*Adoleſcens tibi dico ſurge*

Cum hodie Evangeliſta ſub oculis nobis ponat adoleſcentem in optimo ætatis flore mortuum, debemus cogitare quàm caduca, & fragilia ſunt bona hujus vitæ, quæ breviſſimo tempore putreſcunt & marceſcunt, & ideò comparantur flori. Dom. 5. poſt Epiph. per totum.

Fer. 6. Dominicæ 4. Joan. 11.

*Ecce quem amas infirmatur.*

Mirum eſt quod ſorores Lazari eum non dicant eſſe mortuum, ſic enim faciliùs moviſſent Chriſtum ad hoc, ut veniret, & ſanitati eum reſtitueret; ſed ſorores hoc eſſe ſuperfluum cenſebant; noverant enim beneficentiam, & prodigalitatem Chriſti, qui, ut audit nos aliquid petere, non ſolùm ſtatim petita concedit, ſed & plura addit Dom. 3 poſt Epiph.

*Lazarus amicus noſter dormit.*

Si erat verè mortuus, quomodo dicit dormit? an Chriſtus neſcit quantum differat mors, & ſomnus? Chriſtus voluit hoc dicto docere homines, ut vanam gloriam evitent, & ideò illud factum deprimit, ac ſi Lazarum tantum à ſomno excitaret. Dom. infr. octav. Epiph.

*Et ſtatim prodiit ligatus manibus.*

Si pedibus & manibus erat ligatus, & facies ſudario involuta, quomodo poterat ire, & videre? Hinc patet magna efficacia verbi divini: de quo vide Dom. Sexag. part. 1. & ideò etiam ad verbum Chriſti in judicio peccatores conſternabuntur. Dom. 1. Adv. part. 1.

Dominicâ paſſionis Joan. 8.

*Quis ex vobis arguet me de peccato?*

O Domine cum ſcias, quòd toties vitæ tuæ inſidiati fuerint, eccur tam liberè hodie illos aggrederis, & petis ab iiis, *quis ex vobis arguet me de peccato?* Chriſtus erat ſanctus & innocens, bonæque conſcientiæ, & ideò illos non timebat; nam ſicut bona conſcientia eſt juge convivium, ſic prava eſt grande tormentum. Dom. 1. Adv. part. 1.

*Si veritatem dico vobis &c.*

Nil miri, quòd abhorreant veritatem; nam eſto, ex natura noſtræ conditionis veritatem ſemper pronuntiare deberemus, tamen communiter homines, & maximè mulieres amant mendacium, ut per fas & nefas illud ſuſtineant. Dom. 2. Adv. part. 2.

*Tulerunt ergo lapides, &c.*

Si beneficia innumera iis contulit, cur nunc lapidibus volunt eum opprimere? Ratio in promptu eſt. Dixit iis veritatem; veritas autem odium parit, & ubique ingrata eſt. Dom. 2. Adv. part. 1.

Fer. 2. Dom. Paſſionis. Joan. 7.

*Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros.*

Videntes Chriſti miracula, & quòd propterea totus mundus in illum crediturus eſſet, & ipſi forſan regno exuendi, cogitârunt eum occidere, & ideò mittunt ad eum miniſtros, ex hoc videmus, quam grave malum ſit avaritia, & cupiditas habendi, & quanta vitia ſecum trahat. Dom. 3. Advent.

*Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum.*

Cur Chriſte te non armas legionibus Angelorum, vel ſatellitum contra hos miniſtros? cur non adhibes dracones, ſicut contra Chananæos, vel leones ſicut contra Samaritanos? Solum ſimplex verbum adhibuit; nam illud potentiſſimum eſt, & illos ſolo proſternere poteſt. Vide Dom. 1. Advent. part. 1 & Dom. Sexag.

*Si quis ſitit veniat ad me.*

Propinat tibi aquas mundus bibendas, ſed non ſunt limpidæ, ſed turbidæ; bona enim mundi quæ per aquas denotantur, ſunt inſtabilia, nec diu durant, & in eorum abundantia eſt miſeria. Dom. 4. poſt Epiph. per totum.

Fer. 3.

Fer. 3. Dominicæ Paſſionis. Joan. 7.

*Non enim volebat in Iudæam ambulare.*

Viden maximum amorem quo flagrat Chriſtus cum hominibus converſandi; eſto enim non poſſet cum Judæis agere, qui volebant eum occidere, attamen modò pergit in Galilæam, ut ſaltem cum iis poſſit agere, maximè enim anxiatur, ut cum hominibus agat. Feſt. Nativit. part. 1.

*Vade in Iudæam, ut & diſcipuli videant.*

Patet hos eſſe pravos, & cæcos conſiliarios, dum ſuadent, ut Chriſtus opera ſua bona in conſpectu diſcipulorum faciat, cum tamen potiùs deberent conſulere, ut illa occultaret: ſic enim practicavit Chriſtus: Dom. infra octav. Epiph. ſed nil miri, erant enim peccatores; peccator autem fere ſemper ſtultè loquitur feſt. D. Thomæ part. 1.

*Me odit, quia teſtimonium perhibeo de illo, &c.*

Habes cauſam, cur me mundus odio habeat, quia planam, & expertam iis dico veritatem, eorumque vitia reprehendo; nihil enim magis oderunt homines, quàm veritatem. Dom. 2. Advent. part. 2.

Fer. 4. Paſſionis. Joan. 10.

*Facta ſunt encænia in Hieroſolymis, & hiems erat.*

Encænia interpretatur renovatio, ſicut ergò encænia quotannis celebrabantur, hoc eſt, Feſtum in memoriam expurgationis templi profanatum per Antiochum, ſic quilibet Chriſtianus per pœnitentiam animam maculatam per peccatum mortale expurgare debet, ad quod illa valde conducit. Dom. 4. Advent.

*Ambulabat in Porticu.*

Chriſtus in perpetuo motu fuit, & hinc inde ſemper diſcurrebat, nec unquàm otio indulgebat; nam cælum per labores debet obtineri, & otioſi à cælo excluduntur. Dom. Septuag. per totum.

*Opera quæ ego facio in nomine Patris mei.*

Non dicit in nomine meo, ſed in nomine Patris mei, ut doceret omnia opera noſtra bona Deo eſſe attribuenda; ſine ejus enim gratia nullum fieri poteſt. Feſt. Epiph. part. 2.

Fer. 5. Paſſionis. Luc. 7.

*Vt cognovit, quòd Ieſus in domo Phariſæi accubuit.*

Cur convivium miſces lachrymis? cur non expectas alium commodiorem locum Chriſtum adeundi? Sciebat bona deſideria non eſſe differenda, ſed ſtatim executioni mandanda: nam ubi adeſt divinum auxilium, moras nectere periculoſum eſt Feſt. Epiph.

*Vides hanc mulierem?*

Simon judicas quidem hanc mulierem eſſe peccatricem, & valde malam, ſed id tibi concedo, ſi loquaris de præterito, ſed ſi de præſenti, erras, nam dum pœnitentiam elicuit. ſtatui innocentiæ eſt reſtituta, & juſtis præferenda, hi enim ſunt effectus pœnitentiæ, ut docet Concio Dominicæ 4. Advent. part. 1.

*Et ſtans retrò pedes.*

Cur manes à tergo cur te ponis retro? cur non prodis in conſpectum Salvatoris? an forte te pudet quod Deum offenderis? Principalem cauſam judico fuiſſe, ne videretur, & laudaretur; optimum enim conſilium eſt bona opera celare. Dom. infra octav. Epiph.

Fer. 6. Paſſionis Joan. 11.

*Vos neſcitis quidquam.*

Magnâ cæcitate Chriſti cauſam judicant, imò præcipitant, nulla mora, nullo juris ordine, nullo tempore conceſſo judicibus ad deliberandum; in hoc videre eſt eorum perverſitatem, & cæcitatem, ſed id non eſt mirum, quia erant peccatores; Peccator autem cæcus eſt, & ſtulta loquitur, Feſt. D. Thomæ.

*Venient Romani, & tollent gentem noſtram.*

Qualis eſt hæc connexio, quòd regno ſitis exuendi ob miracula Chriſti? Cupidi & avari erant, & ideò talem prætextum adhibebant, ut poſſent occidere Chriſtum. Hic eſt genius cupidorum, ut peſſima quæque attentare audeant. Dominicâ tertiâ Adventûs, parte primâ.

Pro Dominica Palmarum vide Dominicam primam Adventûs, quia juxta Eccleſias Germaniæ eſt idem Evangelium, ſimiliter pro die Veneris ſancto. Vide feſtum Circumciſionis, ubi agitur de deſiderio patiendi, quo Chriſtus flagravit.

Dominicâ Reſurrectionis. Marci 16.

*Et valde mane unâ Sabbathorum.*

O Dominæ cur tam mane exitis? an non exponitis pudicitiam veſtram confuſioni? an non mulieres decet ſolitudo ſummo mane exierunt, ut docerent bona deſideria non eſſe differenda. Feſto Epiphaniæ.

*Surrexit non eſt hic.*

Non miror quod prius apparuerit Magdalenæ, & mulieribus, quàm Apoſtolis; cum enim illæ ferventiores fuerint in inquirendo Chriſtum, Chriſtus etiam erga eas ſe clementiorem exhibuit; nam hic eſt genius Dei, ut quales nos erga eum ſumus, talis ſit ipſe erga nos. Dominicâ Quinquageſimæ.

*Et Petro.*

O Deus cur præ aliis Apoſtolis nominas Petrum? an non das anſam, ut forſitan murmurent, cùm vident Petrum qui te negavit aliis præferri? Petrus pœnitentiam egit, & ideò aliis præferri meruit. Hæc eſt vis pœnitentiæ, ut peccatores juſtis ſuo modo præferri faciat. Dominicâ quartâ Adventûs, Vide & Calvo concin. 37. Aſſumpto tertio.

Feriâ ſecundâ Paſchæ. Luc. 24.

*Cognoverunt eum in fractione panis.*

Quomodò hic panis eos illuſtrare potuit? an fuit potentior facie Chriſti, quàm ſæpè viderant. Panis eſt ſymbolum verbi Dei, per verbum ergo Dei illuminati ſunt, de ejus efficacia. Vide Dominicam Sexageſimæ, & Calvo concione ſextâ, aſſumpto tertio, numero tertio.

*Potens in opere & ſermone.*

Si Chriſtus fuit potens in opere, & ſermone, quomodò ergo diſcipulos non convertit ab infidelitate eorum? veritatem iis dixit *O ſtulti corde &c.* & quia veritas valdè odioſa eſt, ideò ad illa verba non attenderunt. Dominicâ ſecundâ Adventûs, parte primâ.

*O ſtulti corde, nonne oportuit Chriſtum pati?*

Multò magis exprobrabitur tibi, quòd ſtultus ſis, ſi tibi perſuaſum habeas, quòd ſine tribulationibus, & laboribus gloriam obtinere poſſis, nam Deus illam ſine laboribus non dat. Dominicâ Septuageſimæ parte primâ.

Feriâ tertiâ Paſchæ. Lucæ 24.

*Venit Jeſus & ſtetit in medio.*

Cur ſe non poſuit in capite, vel alio honorificentiori loco? Docere voluit, quàm ſit ſibi odioſa partialitas, & ad hoc oſtendendum in medio terræ mori voluit, & vocari Jeſus, hoc eſt Salvator omnium. Feſto circumciſionis parte ſecundâ.

*Obtulerunt ei partem piſcis, & favum mellis.*

Optime teſte Tertulliano poſt fel producitur mel, ut credas, te non poſſe guſtare mel beatitudinis, niſi priùs guſtaveris fel laborum. Dominicâ Septuageſimæ parte primâ. Vide & Lanuzam homiliâ 36. Num. 37. & hom. 15 Nu. 34. Calvo concione 16. Aſſumpto primo, Momigno Dominicâ ſecundâ Quadrageſimæ.

*Et prædicare in nomine ejus pœnitentiam?*

Hoc eſt intentum Chriſti, ut per pœnitentiam obtineamus remiſſionem peccatorum; nam illa efficaciſſima eſt ad illa remittenda, & nullum eſt, quod per illam deleri non poſſit. Dominicâ quartâ Adventûs per totum.

Dominicâ in albis. Joan. 20.

*Cum ſerò eſſet &c.*

Si valde manè apparuit mulieribus, cur differt apparere diſcipulis, uſque ad veſperum? an potiùs hoc myſterium concernit mulieres quàm viros? Oſtendere voluit ad præclara opera ſe mediis ſæpè uti abjectis, & diligere infirma, ut confundat fortia. Feſto S. Andreæ parte primâ.

*Accipite Spiritum ſanctum &c.*

Si promiſerat, quod daturus iis eſſet Spiritum ſanctum ſacro die Pentecoſtes, cur eum dat illis hodie? Cum iis non converſabatur continuo, ſicut faciebat ante reſurrectionem, ut ergo ſemper cum iis poſſet eſſe, dedit iis Spiritum ſanctum, cum quo eſt ejuſdem eſſentiæ; ſiquidem valde delectatur noſtrâ converſatione. Feſto Nativitatis.

*Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.*

Chriſtus eſt miſſus ad crucem, mortem, labores, antequam gloriam obtineret, cum ergo ipſe nobis diſpoſuerit regnum ſicut ei datum eſt à Patre, priùs pati, & laborare debemus. Dominicâ Septuageſimæ.

Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha Joan. 10.

*Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.*

Si nil charius ſit quàm vita, quomodo quis poſſit illam fundere pro alio? Fateor id eſſe durum, ſed reddetur facilè, ſi in martyrio gloriam quandam & beatitudinem conſideremus. Vide Feſtum ſanctorum Innocentium parte primâ.

*Mercenarius fugit.*

Nil hoc miri; cum enim proprium tantum quærat commodum, obligationem ſuam negligit & in necem ſubditorum conſentit, avaritia enim peſtiferum eſt malum, & plura poſt ſe vitia trahit. Dominicâ tertiâ Adventus.

*Lupus rapit, & diſpergit oves.*

Per Lupum intelligitur Diabolus, hicut ſaulam animæ intravit, omnibus bonis eam ſpoliat, ita ut miſera ſit conditio animæ peccatricis, & ſanguineis lachrimis deplorari debeat. Feſto D. Thomæ.

Dominicâ tertiâ poſt Paſcha. Joan. 16.

*Modicum & non jam videbitis me.*

Cum ſtatim erat moriturus dicit, modicum erit, & me non videbitis, & quia erat reſurrecturus; paulo poſt dicit, modicum erit, & me videbitis; ſic quia bona hujus mundi ſunt inſtabilia & tranſitoria, poſſunt dici modicum. Dominicâ quintâ poſt Epiphaniam.

*Modicum, &c.*

Præmonet & hortatur Apoſtolos, ne modicum, id eſt, minima ſpernant & negligant, & ideo illud modicum ita iis inculcat, ut diſcamus peccata levia vitare; eſto enim videantur levia, tamen, dum creſcunt, ad majora diſponunt. Dominicâ ſextâ poſt Epiphaniam.

*Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Si gaudia, & præmia conſideres, quæ promereris per labores, & tribulationes, hilari animo omnia perferes, conſideratio gloriæ ad hoc eſt valde efficax, ut patet in ſanctis. Feſto Divi Stephani.

Dominicâ quartâ poſt Paſcha. Joan. 16.

*Vado ad eum qui miſit me.*

Non ait vadam, ſed vado, ita & tu dicere debes; non agam craſtinâ die pœnitentiam, ſed hodie; neſcis enim, an craſtinâ die ſis victurus, nec credo, quòd Deus illud tibi revelaverit. Dom. quartâ parte ſecundâ.

*Nemo ex vobis interrogat me, &c.*

Non eſt neceſſe ait Dominus, ut aliquis me interroget quo vadis, hoc enim ego ſcio, an ergo aliquis ſit qui neſciat: quinimo peccator, ejus enim ſors eſt adeò miſera, ut cæcus, & ignorans ſit. Feſto D. Thomæ.

*Nemo ex vobis interrogat me &c.*

Domine, ſuppoſito nos ſcire quo vadas, quid adhuc reſtat interrogandum? multum quidem, nempe quid ſub morte, & paſſione lateat, cui interrogationi ipſe reſpondebit, quòd immortalis beatitudo; nam ſub amaro martyrii cortice invenitur cæleſtis gloria. Feſto ſanctorum Innocentium.

Dominicâ quintâ poſt Paſcha. Joan. 10.

*Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo.*

Deus nil honorificentius æſtimat, quàm ut eum rogemus, & aliquid ab eo petamus, cum enim ſit liberaliſſimus, & maximè prodigus in concedendis donis, maximam ſibi ducit gloriam, ſi aliquid petas. Dominica tertia poſt Epiphaniam.

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo &c.*

Sed dicis, jam ſunt plures anni, quibus petii ab hoc vel illo malo liberari, nec tamen exauditus ſum, imò majora mala me invadunt. Verum tibi dico; conſidera an voluntatem Dei facias, talis enim erit erga te, qualis tu es erga ipſum. Dominicâ Quinquageſimæ.

*Vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

Hæc tua debet eſſe continua petitio, ut tibi Deus largiatur gaudium plenum, hoc eſt cæleſtem gloriam; nam in hoc mundo omnia ſunt turbulenta, & mixta doloribus, nec hic eſt felicitatis granum, quod non habeat ſecum zizania miſeriæ Dominicâ 5. poſt Epiphaniam.

Feſtum ſolemne Aſcenſionis Marci 16.

*Euntes in mundum univerſum, &c.*

Cur Domine mittis homines ignorantes, viles, contemptibiles? an non præſtaret mittere ſapientes, & divites quos opponeres Monarchis? Nequaquam; nam Deus ſolet uti inſtrumentis abjectis ad opera heroica perficienda. Feſto S. Andreæ parte primâ.

*Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Magnum eſt beneficium, quod Deus nobis annuntiari faciat ſuum verbum; nam ita eſt efficax, ut obedientibus conferat vitam æternam, illud verò contemnentes excludantur à cœlo. Dominicâ ſexageſimæ parte primâ.

*Elevatis manibus ferebatur in cælum Actorum primo.*

An ut oſtendat in menſa crucis ſolutum debitum, quod contraxit expiandum, dum pro homine naſceretur? an forſan oſtendit monetam ſanguinis quam Hebræi in chartâ manuum ejus ſcripſerant? minime, oſtendere voluit viam, quâ cælum obtinuit nempe tribulationibus illud obtinendum. Dominicâ ſeptuageſimæ parte primâ.

Domi-

Dominicâ ſextâ poſt Paſcha. Joan. 15.

*Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.*

Poſtquam Chriſtus ingentes labores, & afflictiones Apoſtolis prædixiſſet, ne planè mœrore conficerentur, promiſit iis Spiritum ſanctum, à quo erant ſolatium accepturi: nam nil ita prodeſt ad labores patienter tolerandos, quam ſi conſideremus, quod in gloria ſimus ſolatio afficiendi. Feſto S. Stephani.

*Quem ego mittam vobis ſpiritum veritatis.*

Videtur afflictionem addere afflictis, nam ſequenti die eſt in crucem agendus, & hoc eodem veſpere, quo hunc ſermonem ſervavit, à diſcipulis eſt avellendus, & tamen dicit ſe Spiritum veritatis miſſurum, cùm veritas odium pariat, & ſit odioſa. Ita eſt, ſed mundanis & perverſis, ut oſtendit Dominica 2. Adventûs.

*Arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.*

Hæc erat phariſaica perverſitas ſub titulo divini obſequii graviſſima occultare peccata, & ſuas populare virtutes; ſic multi ſunt, qui virtutes fucatas ebuccinant, & vitia palliant. Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ.

Feſtum ſolemne Pentecoſtes Joan. 14.

*Si quis diligit me, ſermones meos ſervabit.*

Verus Chriſtianus, & qui Deum diligit debet conari, ut ejus ſermones ſervet promptè, & hilariter, & non eos dijudicando, nec debet tantùm adimplere ſermones præceptos, ſed etiam non præceptos; nam opera ſupererogatoria ſunt facienda. Feſto Purificationis parte prima.

*Manſionem apud eum faciemus.*

Non debemus timere, quòd Deus diſceſſurus ſit ab homine; nam amor ejus erga hominem eſt tantus, ac adeo ſingularis, ut dici poſſit quòd impatiens fiat, niſi cum homine converſetur. Feſto Nativitatis parte primâ.

Feriâ ſecundâ Penteoſtes. Joan. 3.

*Sic Deus dilexit mundum ut filium ſuum, &c.*

Eſto mundus Dei eſſet hoſtis inimiciſſimus, tamen eum adeo dilexit, ut donum ei dederit pretioſiſſimum proprium ſcilicet Filium maxima eſt enim Dei prodigalitas erga homines. Dominicâ tertiâ poſt Epiphaniam.

*Ut omnis qui credit, &c.*

Æqualiter, quantum eſt ex ſe, vult omnibus dare ſalutem; odit enim maximè partialitatem, & ideo in medio terræ pati voluit, ne videretur magis pro hoc quàm pro illo paſſus. Feſto Circumciſionis parte ſecundâ.

*Non miſit ut judicet mundum.*

Hæc eſt cauſa, cur ultimo judicii die pœnæ magis augebuntur; objicientur enim beneficia præſtita, inter quæ & illud, quod, dum punire potuit, non punivit, & ideo cruciabuntur damnati, quòd à Chriſto damnabuntur. Dominicâ primâ Adventûs parte ſecundâ.

Feriâ tertiâ Pentecoſtes. Joan. 10.

*Ego ſum oſtium, &c.*

Oſtium eſt illud, per quod in cubiculum intramus, cùm ergò ipſe per crucem intraverit cœlum, ſequitur quod crux oſtium ſit. Ne ergo credas, quòd cœlum obtenturus, niſi priùs portaveris pondus Dei, & æſtus. Dominicâ ſeptuageſimæ.

*Ego ſum oſtium.*

Sicut non poteſt quis intrare domum, niſi per oſtium; ſic nullus poteſt facere aliquod opus bonum abſque gratia Chriſti. Feſto Epiphaniæ parte ſecundâ.

*Et non intellexerunt.*

Meritò non intelligunt, quamvis clariſſimè iis res proponatur; ſunt enim peccatores: peccator autem cœcus eſt, & beſtia carens intellectu. Feſto D. Thomæ.

Dominicâ ſanctiſſimæ Trinitatis. Matth. ultimo.

*Euntes docete omnes gentes.*

Omnes indifferenter vult doceri abſque diſtinctione Judæi, vel Græci, divitis, vel pauperis; pro omnibus enim mortuus eſt, & omnium vult Salvator dici. Feſto Circumciſionis parte ſecundâ.

*Euntes docete omnes gentes.*

Ergonè homines adeò rudes & viles totum mundum inſtruant & doceant? an non potuiſſet meliùs mittere potentes & divites? imo, ſed vult oſtendere mediis uti abjectis ad heroica opera facienda. Feſto S. Andreæ.

*Docentes eos ſervare omnia quæcunque &c.*

Ne cogitet baptizatus ſe omnia feciſſe eo ipſo, quo baptiſmum recepit; nam poſitus eſt in Eccleſia, quæ denotatur per vineam, ut labo-

ret,& hinc ſi otio indulgeat, à cælo excludetur. Dominicâ Septuageſimæ parte ſecundâ.

Feſtum ſanctiſſimi Sacramenti. Joan. 6.

*Caro mea verò eſt cibus.*

Hodie eſſe feſtum amoris ex eo maximè conſtat, quòd ſeipſum nobis in cibum dare voluerit; cum enim nos maximè amet, & ex amore nobiſcum converſari ſummoperè deſideret, conſtat inſtitutionem hujus Sacramenti ex maximo amore proceſſiſſe. Feſto Nativitatis parte primâ.

*Caro mea verè eſt cibus.*

Sub ſpecie panis hoc Sacramentum inſtituit, ut omnes eo veſci poſſent, ne partialis haberetur, pro omnibus enim naſci, & pati voluit. Feſto Circumciſionis parte ſecundâ.

*Caro mea verè eſt cibus.*

Eò ipſo, quo in perſona Chriſti Sacerdos profert verba jam ſubſtantia panis convertitur in corpus Chriſti. Hinc vide Verbi Divini efficaciam. De quo vide Dominicam Sexageſimæ parte primâ, & ideò nil miri, quòd ad Chriſti verbum in judicio impii conſternentur. Dominicâ primâ Adventûs.

Dominicâ ſecundâ poſt Pentecoſten.

Quia Eccleſiæ Germaniæ hac die legunt Evangelium de divite Epulone, ideò vide feriam quintam Dominicæ ſecundæ Quadrageſimæ, ubi idem continetur.

Dominicâ tertiâ poſt Pentecoſten. Lucæ 14.

*Homo quidam fecit cœnam magnam.*

Hoc convivium non vocatur prandium, ſed cœna, quæ fit veſperi & in fine diei, & poſtquam quieſcimus, poſt prandium verò iterum oportet redire ad laborem. Ex quo patet bona hujus mundi eſſe inſtabilia, fluxa &c. Dominica quinta poſt Epiphaniam.

*Juga boum emi quinque.*

Interrogat D. Bernardus cur hic dicat ſe emiſſe quinque juga boum, & non quinque boves. Et reſpondet in ſacra pagina eſſe obſervatum omnes quotquot avaritiâ laborant eſſe ſub jugo, hoc eſt pravos, & peſſimos. De pravitate avaritiæ. Vide Dominicam tertiam Adventûs.

*Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire.*

Alii ſe rogant haberi excuſatos, hic autem ſimpliciter dicit ſe non poſſe venire, ſed quis eum impedivit? forſitan uxorem peſſimam habuit, quæ ei magna crux fuit. Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.

Dominica quarta poſt Pentecoſten Lucæ 15.

*Erant appropinquantes peccatores ad Jeſum.*

In Novo Teſtamento ſæpiùs fit mentio, quòd peccatores acceſſerint ad Jeſum, quàm ipſi juſti; nam pœnitentia tantæ eſt efficaciæ, ut pecatores juſtis quaſi præferri faciat, & ad majorem dignitatem, quàm ante elevet. Dominica quarta Adventûs.

*Hic peccatores recipit.*

Domine an neſcis quod des anſam murmurandi contra te, eò quòd magis converſeris cum pravis, quam cum bonis? Chriſtus aliter facere non potuit; nam cum peccatores ad eum venirent, ipſe eos recipere debuit, ita enim agit nobiſcum, ſicut nos agimus cum eo. Domin. Quinquag.

*Quis ex vobis homo &c.*

Viden clementiam, & miſericordiam Chriſti, quantâque ſollicitudine ſtudeat oves errantes ad caulam reducere, ita ut paratus ſit pro iis de novo mori, & crucifigi. Feſto S. Thomæ, parte ſecunda.

Dominica quinta poſt Pentecoſten. Lucæ 6.

*Eſtote miſericordes ſicut pater veſter miſericors eſt.*

Deus adeò eſt miſericors, & liberalis erga homines, ut ejus dona miranda ſint, ita ut illi, qui ea recipiunt, id non credant, & quaſi ancipites hæreant, & ipſa humana capacitas fatigetur. Dominica tertia poſt Epiphaniam.

*Nolite condemnare, & non condemnabimini.*

Nam is eſt Dei genius, & mos, ut, ſicut tu ejus mandata obſervas, ſic ille viciſſim ſe habeat erga te. Dominica Quinquageſimæ.

*Dimittite, & dimittetur vobis.*

Sanè hoc præceptum arduum eſt, & difficilè, ſed ut facilè illud ſibi reddatur, conſidera præmium, quod ejus obſervatione obtinebis; ad ardua enim ſuperanda valde conducit ſpes præmii. Feſto ſancti Stephani.

Dominicâ ſextâ poſt Pentecoſten. Luc. 5.
*Innuebant ſociis, qui erant in alia navi, &c.*

Eſto Petrus, & alii ejus comites indigerent ſociorum ope in trahendis ad littus piſcibus, tamen eos non vocarunt inſulſis clamoribus, ut ſolent piſcatores, ſed nutibus eorum auxilium petierunt. An forte erant muti & ſurdi? non, ſed quia Jeſus prædicabat, docebant verbum Dei audiendum eſſe cum reverentia. Dominicâ Sexageſimæ, parte ſecundâ.

*Exi à me, quia homo peccator ſum.*

Sicut Petrus per humilitatem cathedram Eccleſiæ obtinuit, ſic, ſi exaltari velis, debes prius te humiliare; nam qui ſe humiliat, exaltabitur.

*In verbo autem tuo laxabo rete.*

Miram hic promptitudinem, & obedientiam Petrus oſtendit, dum ſtatim naviculam à terra nonnihil reducit, & poſtea in altum trahit, ſic tu ſtatim obedire, debes & promptè mandatis divinis. Feſto Purificationis parte primâ.

Dominicâ ſeptimâ poſt Pentecoſten. Matth. 5.

*Niſi abundaverit juſtitia veſtra, &c.*

Phariſæi exteriora, quæ ſunt vilia, tantum curabant, & per ea ſe Deo ſatisfacere putabant, interiora verò. & pretioſiora negligebant, nec Deo offerebant, & ideò juſtitia eorum Deo non fuit grata. Si velis, tuum ſacrificium ſit Deo acceptum, Deo meliora debes offerre. Feſto Purificationis parte ſecundâ.

*Idem Thema.*

Phariſæi eſto curarent quædam gravia peccata, ut homicidium, adulterium, &c. tamen quædam interiora, utpote iram, odium, & alia minora negligebant; Deus autem vult noſtram juſtitiam eſſe majorem, & minora etiam à nobis curari, nam diſponunt ad majora. Dominicâ ſextâ poſt Epiphaniam.

*Idem Thema.*

Cur negligebant interiora? nonne ſatis epreſſè in lege habebatur non concupiſces? ſola exteriora præſtabant, ut viderentur ab hominibus, & vanam gloriam quærerent, illa autem annullat bona opera. Dominicâ infra octavam Epiphaniæ.

Dominicâ octavâ

Quia Evangelium Dominicæ octavæ eſt ferme idem cum Evangelio Dominicæ quartæ Quadrageſimæ, ideò vide ibi.

Dominicâ nonâ poſt Pentecoſten. Matth. 7.
*Attendite à falſis Prophetis.*

Sed quinam ſunt hi falſi Prophetæ? illi ſcilicet, qui virtutes fucatas ebuccinant, & vanam gloriam quærunt. Hos tu fuge, quia vana gloria valdè nociva eſt. Dominicâ infra octavam Epiphaniæ.

*Nunquid colligent de ſpinis uvas, &c.*

Meritò Deus peccatores vocat ſpinas; nam ſicut ſpinæ ad ſe accedentes pungunt, & cruentant, ſic qui eſt inter peccatores, punitur ob eorum peccata. Dominicâ quartâ poſt Epiphaniam.

*Omnis arbor, quæ non facit, &c.*

Per arborem intelliguntur homines juxta illud, *video homines ſicut arbores ambulare*; ſicut ergò arbor infructifera exciditur, & mittitur in ignem, ſic homo otioſus cœlo excluditur & damnatur. Dom. Septuageſimæ parte ſecundâ.

Dominicâ decimâ poſt Pentecoſten. Lucæ 16.
*Quid hoc audio de te?*

Hoc erit maximum, & graviſſimum tormentum, quod patietur peccator in extremo judicie die, dum Chriſtus illi dicet; quid? hoc audio de te, de te ô Chriſtiane quem tot beneficiis affeci? Vide Dominicam primam Adventûs parte ſecundâ.

*Quid faciam, quia Dominus meus, &c.*

Hoc eſt, quod maximè torquebit peccatores, dum ſe à Chriſto ad judicium vocari audient; nam ejus vox eſt efficaciſſima, ut patet in Judæis qui ad illam conſternati ſunt Dominicâ primâ Adventûs parte primâ.

*Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.*

Deus nos omnes conſtituit villicos, ut colerenus vineam animæ noſtæ, & ſine dubio hic villi-

villicus amotus fuit à villa, quia in vinea non laboravit, ſic tu, ſi ſis otioſus, à cœlo excluderis. Dominicâ Septugeſimæ parte ſecundâ.

Dominicâ Undecimâ poſt Pentecoſten.
Lucæ 19.

*Videns Ieſus civitatem flevit ſuper eam.*

Cum lachrymæ ſint ſignum animi puſillanimis, cur flevit, qui puſillanimes conſolatur? flevit, quia cives illius urbis erant peccatores; Peccatoris autem ſors deploranda eſt. Feſto S. Thomæ.

*Eò quòd non cognoverit tempus.*

Hoc multis dicetur qui pœnitentiam procraſtinant, ne ergò & hoc tibi dicatur, eam ſtatim age, quia non es certus an craſtina die vives. Dominicâ quartâ Adventûs parte ſecundâ. Et moras traherere periculoſum eſt, Feſto Epiphaniæ.

*Et quidem, quæ ad pacem tibi ſunt, &c.*

Heu quantis hæc dici poſſunt mundanis, qui non aperiunt oculos, nec conſiderant quid lateat ſub bonis humanis, nempe quod ſint inſtabilia, dolore mixta &c. Dominicâ quintâ poſt Epiphaniam.

Dominicâ duodecimâ poſt Pentecoſten.
Lucæ 18.

Stultus videtur hic Phariſæus dum etiam ſuos parentes accuſat, quòd ſint injuſti, adulteri, raptores &c. ſed hoc non eſt mirum, peccator erat; peccator autem fermè ſemper ſtulta loquitur. Feſto D. Thomæ parte ſecundâ.

*Idem Thema.*

Eſto hic Phariſæus plura opera bona fecerit, nempe quòd jejunârit, &c. ut ex ejus panegyrico conſtat, tamen illa ipſi non profuerunt, quia vana gloria omnia illa conſumpſit. Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

*Gratias tibi ago Deus.*

Eſto in aliis peccarit, tamen hic bene orat: adſcribit enim opera ſua Deo, & id tibi etiam faciendum eſt, quia nullum opus bonum ſine ejus gratia fieri poteſt. Feſto Epiphaniæ parte ſecundâ.

Dominicâ decima tertia poſt Pentecoſten
Marci 7.

*Exiens IESVS de finibus Tyri venit per Sidonem.*

Chriſtus nunquam quievit, nec ulli labori pepercit, ut hominum ſaluti conſuleret, hinc de loco ad locum ſemper perrexit: hinc patet ejus ſollicitudo pro peccatoribus convertendis. Feſto D. Thomæ parte ſecundâ.

*Et deprecabantur eum.*

Sed quid deprecabantur? ſine dubio ut illi linguæ, & aurium uſum reſtitueret. Cur ergò hoc non dicunt? ſciebant liberalitatem, & prodigalitatem Dei, quâ ſolet preces prævenire. Domincâ tertia poſt Epiphaniam.

*Apprehendit ſeorſim de turba.*

Sed cur hoc? an non eſt omnipotens, & ubique aliquem curare poteſt? propter nos hoc fecit, ut diceremus, quàm nociva ſit vana gloria. Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ.

Dominicâ decima quartâ poſt Pentecoſten.
Lucæ. 24.

*Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in ericho.*

Allegoricè per hos latrones intelliguntur Juriſtæ & Advocati, & an non ſunt latrones, dum omnibus bonis ſpoliant, & ad mendicitatem miſeros litigantes redigunt, & relinquunt ſemivivos? Dominicâ tertiâ Adventûs parte ſecundâ fol. 46.

*Deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho.*

Deſcendit ab Jeruſalem nempe viſionis loco in Jericho, quo denotatur luna, quæ ex ſe non habet lucem, ſic peccator cæcus eſt, ita ut ſors ejus ſit miſeranda. Feſto S. Thomæ.

*Quodcunque ſupererogaverit, &c.*

Magni fecit Deus ſupererogatoria; nam non ſolùm ſunt accepta Deo, ſed & abundè ea præmiat, ut patet in Zachæo, quem ideo viſitavit, & ſua præſentia recreavit. Feſto Purificationis maximè fol. 221.

Dominicâ decima quintâ poſt Pentecoſten.
Lucæ 17.

*Occurrerunt ei decem leproſi.*

Si leproſi debebant vivere ab hominib. ſeparati, quomodò nunc occrruunt ei prope caſtellum? nonne poterant eum expectare in campo, vel in via, quâ eum ſciebant egreſſurum? Timebant ſe perdituros hanc occaſionem, ideo illa uſi ſunt, nam moras nectere eſt periculoſum. Feſto Epiphaniæ parte primâ, vide & Calvo Concione 38. Aſſumpto primo. Num. 11.

*Dum irent, mundati ſunt.*

Poterant explicare: Sacerdotibus data eſt poteſtas inter lepram & lepram diſcernendi, &

non

non eam curandi, ſi hoc poſſent, ad te non veniſſemus, ex quo diſcimus obedientiam debere eſſe ſimplicem, & promptam; Feſto Purificationis.

*Tranſibant per medium.*

Ubique elegit medium Chriſtus ut ſe non partialem ſed Redemptorem omnium oſtenderet. Feſto circumſionis parte ſecundâ.

Dominicâ decimâ ſextâ poſt Pentecoſten.
Matth. 6.

*Non poteſtis Deo ſervire, & Mamonæ.*

Amor Dei erga homines magnus eſt, ideo cum illis converſari ſummopere deſiderat, & quaſi ab iis avelli debet. Feſto nativitatis. Vide & Fidelem Feria ſecunda poſt Dominicam quartam conſid. 2.

*Ne ſolliciti ſitis, &c.*

Tam enim eſt beneficus Deus erga homines, ut prodigus videatur, & ejus prodigalitas ſit quaſi incredibilis Dominicâ tertiâ poſt Epiphaniam.

*Reſpice volatilia cœli.*

Deus rerum minimarum curam gerit, ut doceat nos peccata minima vitare, quia ad majora diſponunt. Dominicâ ſextâ poſt Epiphaniam.

Dominicæ decimæ ſeptimæ Evangelium vide Feriâ quintâ Dominicæ quartæ.

Dominicâ decimâ octavâ poſt Pentecoſten,

Si Chriſtus erat virtutum exemplar, quomodò vadit ad convivium, maximè cùm ſe ſciat obſervandum? ſciebat illos mendaciis deditos, nec ulum eſſe qui illis diceret veritatem, ideo hunc aſtum invenit, ut cum iis pranderet & converteret; null enim parcit labori, ut peccatores convertat. Feſto D. Thomæ parte ſecundâ.

*Ipſi obſervabant eum.*

Ipſum invitârunt ob proprium commodum & lucrum, cupidi & avari peſſimi ſunt. Dominicâ tertiâ Adventûs.

*Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*

Videtur hic homo incivilis, quòd non exſpectet finem prandii, ſed ſe convivio ingerat, verùm excuſandus eſt; ſcivit enim, quàm ſit periculoſum moras nectere. Feſto Epiphaniæ.

Dominicâ decima nona poſt Pentecoſten.
Matth 22.

*Interrogavit eum unus ex iis.*

Nil miri, quòd Chriſtum adeò perſequerentur, nam iis veritatem dicebat ſi non verbis, ſaltem re; veritas autem odium parit. Dominica ſecunda Adventus.

*Dicunt ei David?*

Si erant Doctores, quomodò tam craſsè errarunt, cùm Scripturæ teſtentur Chriſtum non eſſe purum hominem, ſed & Deum, quod ex miraculis etiam cognoſcere poterant? Peccatores erant, illi autem ſunt cœci. Feſto Divi Thomæ.

*Magiſter quod eſt mandatum, &c.*

Eſto nil minus curarent quam neſcire legem, tamen ſe ſimulabant, & jactabant zeloſos; hoc faciunt impii, ut vitia pallient, & virtutes fucatas propalent, Dom. infra Octavam Epiphaniæ.

Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.
Matth. 9.

*Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris.*

Phariſæi cogitationes velut parva peccata æſtimabant, ideo reprehenduntur; nam minima etiam curanda ſunt. Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

*Remittuntur tibi peccata tua.*

Ille petiit tantum ſanitatem, at Chriſtus illi etiam remiſſionem peccatorum dedit, ex quo patet ejus liberalitas & prodigalitas. Dominica tertia poſt Epiphaniam.

*Confide fili &c.*

Si peccator, quomodo filius? an non peccator hoſtis Dei? hic videtur efficacia pœnitentiæ. De qua vide Dominicam quartam Adventûs.

Dominicâ vigeſimâ primâ poſt Pentecoſten.
Matth. 12.

*At ille obmutuit.*

Quomodo obmutuit? an non ſe potuit excuſare, quòd talis venerit, qualis invitatus fuit? remorſus conſcientiæ eum obmuteſcere fecit, hæc enim ejus eſt vis. Vide Dominicam primam Adventûs.

*Ligatis manibus, & pedibus.*

Hæc erit maxima moleſtia & crux in die judicii, quòd impii à Chriſto damnabuntur. Vide eandem Dominicam.

*Amice quomodò huc intraſti, &c.*

An non ſervi hunc defectum in veſtibus agnoverunt? Videtur mihi quòd coram illis veſtem ſuam vanè jactâarit, ſed Chriſtus illam vanam gloriam punivit. De hac vide Dominicam infra Octavam Epiphaniæ.

Dominicâ vigeſimâ ſecundâ poſt Pentecoſten. Joan. 4.

*Hic cum audiſſet, &c.*

Tà Audiſſet eſt obſervandum, nam occaſionem nactus eam non neglexit, quia periculoſum eſt bonas inſpirationes differre. Feſto Epiphaniæ.

*Credidit homo ſermoni, quem dixit ei IESVS.*

Ipſe tantùm petierat filii ſanitatem, & nunc propriam obtinet ſalutem, in quo magna Dei prodigalitas cernitur. Dominicâ tertiâ poſt Epiphaniam.

*Cujus filius infirmabatur.*

Non credas morbos tuis prolibus fortuitò contingere; obveniunt enim iis ob peccata. Dominicâ quartâ poſt Epiphaniam.

Dominicâ vigeſimâ tertiâ poſt Pentecoſten. Matth 18.

*Iuſſit venundari, &c.*

Sed quid fecit uxor, & liberi? juſtiſſimè etiam cum marito venduntur, quia ob unius peccatum alii puniuntur: Dominicâ quartâ poſt Epiphaniam.

*Tenens ſuffocabat eum.*

Antea tam humiliter rogavit, & nunc tam durum ſe oſtendit? agebatur de damno, ejus cupiditas autem eſt maximum vitium. Dominicâ tertia Adventûs.

*Sic faciet Pater meus, &c.*

Nam qualis tu fueris erga Deum, talis erit ille erga te. Dom. Quinquageſimæ.

Dominicâ vigeſimâ quartâ poſt Pentecoſten. Matth 22.

*Non reſpicis perſonam hominis.*

Et ideò Jeſus vocatur, quia pro omnibus mortuus. Feſto Circumciſionis parte ſecundâ.

*Vt caperent eum in ſermone.*

Sciebant eum veritatem dicere, nec vitia diſſimulare: veritas autem odium parit. Dominicâ ſecundâ Adventûs.

*Licet cenſum dare Cæſari?*

Magnus illi paratur laqueus, ſi enim neget concitabit contra ſe Cæſarem, quia cupiditas eſt magnum vitium. Dom. tertiâ Adventûs.

Dominica vigeſima quinta poſt Pentecoſten. Matth. 9.

*Ecce mulier quæ ſanguinis fluxum, &c.*

Hæc mulier auditâ famâ miraculorum, ſtatim accurrit ad Chriſtum, quia moras nectere eſt periculoſum. Feſto Epiphaniæ.

*Ejectâ turbâ, &c.*

Turbam ejecit ne vanam gloriam venaretur: eſt enim peſſimum vitium. Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ.

*Et ſtatim ſurrexit.*

Vide efficaciam verbi divini, & ideo impii in judicio ad vocem Chriſti ita conſternabuntur. Dominicâ Sexageſimæ & primâ Adventûs.

Dominicâ ultimâ. Matth. 24.

*Cùm videritis abominationem deſolationis.*

Vocatur deſolatio abominationis, quia civitas fuit deſtructa ob peccata civium; à peccatis enim proveniunt pœnæ. Dom. quarta poſt Epiphaniam.

*Sol obſcurabitur, &c.*

Si Creaturæ inſenſibiles ita conſternentur, quid facient peccatores habentes conſcientiam pravam? Vide Dominicam primam Adventus.

*Orate ne fiat fuga veſtra Sabbatho.*

Id eſt, ne differatis pœnitentiam uſque ad extremum vitæ, nam neſcitis, an cras victuri ſitis. Dominicâ primâ Adventûs parte ſecundâ.

# INDEX
## AD FORMANDAS CONCIONES
### Pro Feſtivitatibus Sanctorum.

Feſtum Divi Matthiæ Apoſtoli Matth 11.

*Confiteor tibi Pater, &c.*

UT interpretatur D Auguſtinus, Confeſſio hic non ſignificat actum peccatoris; ſed potiùs gratiarum actionem, quâ opera Deo tribuuntur, ita & tu debes opera tua bona Deo tribuere, quia nullum ſine ipſius gratia fit. Feſt. Epiph. part. 2.

*Ita Pater quoniam ſic placitum fuit ante te.*

Hoc debet quilibet cogitare in præceptis divinis, ut illa impleat, quia Deus illa tulit; ſic erit obedientia prompta & humilis, quæ mandata Dei non examinat. Feſto Purif. part. 1.

*Iugum enim meum ſuave.*

Sed quomodo jugum Chriſti ſit ſuave, cùm in eo valdè dura præcipiantur? an jejunia, mortificationes, & ſimilia ſint opera levia & facilia? quinimò; dummodò conſideretur præmium, quod per ea obtinebimus: hæc enim conſideratio ea facilia reddit. Feſto D. Stephani.

*Feſtum S. Ioſephi. Matth. 2.*

*Hæc eo cogitante, &c.*

Quid demeruit uti tam ſanctus & juſtus, ut tam gravi afflictione conflictari deceret? quin imò; quia juſtus erat id fieri debuit; quia Deus non ſolet gloriam conferre niſi iis, qui portârunt pondus diei & æſtûs. Dom. Septuag.

*Pariet filium, &c.*

Gabriel non dixit *pariet tibi*, ſed *pariet*, quamvis ad Zachariam dixerit, *pariet tibi*, odit enim Chriſtus partialitatem, & ideo in medio terræ mori voluit, ut pro omnibus ſe natum oſtenderet. Feſto Circumciſ. part 2.

*Ioſeph fili David, &c.*

Ex omnibus parentibus meminit ſolius David, ſed cur omiſit omnes alios ut Abrahamum & ſimiles viros juſtos? voluit oſtendere efficaciam pœnitentiæ, quæ peccatores quaſi juſtis præponit. Dom. 4. Adv.

*Feſtum Annuntiationis. Luc. 1.*

*Ad Virginem deſponſatam.*

Ex hoc patet Virgines conjugatis præferri, non ſolùm quia ſunt liberiores à moleſtiis, ſed etiam quia Deo acceptiores ſunt. Dom. 2. poſt Epiph.

*Dominus tecum.*

Videtur Angelus imperfectè locutus; nam cur non dixit *Dominus eſt tecum?* Reſpondet D Bonaventura, ut ſignificetur Deum ſemper cum illa fuiſſe, & ideo nunquam in ullo peccato fuit. Feſt. Immacul. Concept. maximè fol. 30.

*Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

Vide efficaciam verbi divini; quidquid enim vult facit. Dom. Sexag. part. 1 Et ideo ad verbum Chriſti impii in judicio valde torquebuntur. Dom 1. Advent. part. 1.

*Feſtum SS Apoſt. Philippi & Iacobi*

*In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Io. 4.*

Hæc verba efficaciſſima ſunt, ut omnia adverſa & difficilia patienter toleremus; ad hoc enim maximè conducit conſideratio beatitudinis. Feſt. D. Stephani part. 1.

*Vt ubi ego ſum, & vos ſitis.*

Maximo flagrat deſiderio, ut Chriſtus ſit, & converſetur nobiſcum, & fit quaſi impatiens, dum eſſe nobiſcum non poteſt, hinc magnus erga nos amor colligitur. Feſt. Nativ. part. 1.

*Ego ſum via & veritas.*

Si Chriſtus ſit veritas, & per illam veniamus ad cælum, timendum eſt, quod pauci ad illud veniant; nam veritas odioſiſſima eſt, & pauci eam volunt audire, & maximè mulieres. Dom. 2. Advent part 1.

*Feſtum Inventionis S. Crucis. Ioan. 3.*

*Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine.*

Cur dicit homo? an aliquis hic potuit in dubium vertere? ad Chriſtum venit, & ſe convertit, & ſic rurſùs hominem induit; nam peccatores belluæ ſunt, & ideo deplorandi Feſto D. Thomæ.

*Venit igitur ad Ieſum nocte.*

Sed cur venit in nocte? nonne poterat venire in die? credo, quòd timebat ſe in pecunia puniendum, & ideo hoc opus neceſſarium uſque ad noctem diſtulit, quia proprio lucro deditj, pravi ſunt, & vitioſi, Dom. 3. Advent.

*Si terrena dixi vobis, quare non creditis mihi?*

Cur hoc vel illud Deus jubeat non eſt examinandum, nam obedientia debet eſſe ſimplex, hilaris, & non curioſa. Feſto Purif. part. 1.

*Nativitas ſancti Ioannis Baptiſtæ.*
*Luc. 1.*
*Et factum eſt in die octavo, &c.*

Tam maritus quam mulier concordes fuerunt, ut circumcideretur, & vocaretur Joannes, & ideo illorum matrimonium fuit felix: porro ubi conjuges diſcordes ſunt, ibi crux eſt, & vinum lætitiæ deficit. Dom. 2. poſt Epiph.

*Apertum eſt os Zachariæ.*

Plures dicunt quòd ejus dubietas non fuerit peccatum grave ſed leve, & tamen tam graviter punitus fuit, ut diſcas peccata levia, & venialia vitare; nam diſponunt ad gravia. Dom. 6. poſt Epiph.

*Erit magnus coram Domino.*

Sed per quod medium erit magnus? per annuntiationem veritatis; quia enim illam dixit, fuit martyrio affectus, quod eſt initium gloriæ, & beatitudinis. Feſt. Innoc. part. 1.

*Feſtum Principum Apoſtolorum.*
*Beatus es Simon Bariona Matth. 16.*

S. Marcus dum eandem hiſtoriam recenſet, nil dicit de laudibus Petri, ſed cur hoc? an mutilè hiſtoriam conſcripſit? plures dicunt, quòd illud Evangelium priùs quàm conſcriberetur à S. Marco, fuerit compoſitum à S. Petro, hic ergo ut vanam gloriam effugeret, ſubticuit illam laudem Chriſti. Quam nociva ſit vana gloria. Vide Dom. infra octav. Epiph.

*Alii Ioannem Baptiſtam, &c.*

Si erant ſcribæ & Doctores, quomodo non viderunt, quòd Chriſtus non poſſet eſſe Joannes? an non habetur in Scriptura, quod Chriſtus ſit Deus & homo, Joannes vero purus homo? non eſt mirum quod ita erraverint, quia erant peccatores, peccator autem cæcus eſt, & fermè ſemper ſtulta loquitur. Feſt. D. Thomæ.

*Tu es Petrus, &c.*

Si Petrus graviſſimè peccârat pro omnibus Apoſtolis, cur pro omnibus eum evehit ad pontificatum? id pro noſtro ſolatio fecit, ut videremus efficaciam pœnitentiæ; nam Lucifer ſalvaretur, ſi pœnitere poſſit. Dom. 4. Advent.

*Feſtum Divi Iacobi Apoſtoli. Matth. 20.*
*Neſcitis quid petatis.*

Si dixit, petite & accipietis, cur hodie matri filiorum Zebedæi poſtulata denegat? petebat quæ concedi non poterant, nempe gloriam ante labores & afflictiones. Dom. Septuag.

*Non eſt meum dare vobis, &c.*

Nonne Pater omnia ipſi tradidit in manus ſua, cur ergo iis non poſſit concedere poſtulata? agebat cum iis ſicut illi agebant cum eo, illi poſtulabant per matrem regnum, & ille vult iis dare per Patrem; nam ſicut tu te habueris erga Deum, ſic ille ſe habebit tecum. Domin. Quinquag.

*Dic ut ſedeant hi duo filii, &c.*

Cur non petit ſeniori dexteram, juniori ſiniſtram? non ſe voluit oſtendere partialem, id & Chriſtus fecit, ideo Salvator omnium dici vult. Feſt. Circumciſ. part. 1.

*Feſtum D. Laurentii Martyris. Ioan. 12.*
*Niſi granum frumenti in terram cadens mortuum fuerit, &c.*

Inter paradyſum & martyrium parum diſtat, nam martyrium eſt quædam inchoatio beatitudinis, & ſub cortice martyrii gloria invenitur. Feſt. SS. Innocentum.

*Vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.*

Tanto flagrat Chriſtus amore erga nos, ut ſummo deſiderio feratur nobiſcum converſandi, & niſi hoc fiat, dolet. Feſt. Nativ. part 1.

*Me ſequatur.*

Sicut ergo ipſe non obtinuit gloriam niſi per crucem & tribulationes, ſic & tu non ſperes, quòd aliter eam obtenturus ſis, nam illa non datur niſi ei, qui portavit pondus diei, & æſtûs. Dom. Septuag.

*Feſtum glorioſæ Aſſumptionis. Luc. 10.*
*Sedens audiebat verbum illius.*

Omni intentione audivit verbum Chriſti, & ad id animam & corpus impendit; nam verbum Dei maxima cum reverentia audiendum eſt. Dom. Sexag. part 2.

*Sedens retro pedes Domini.*

Meritò Magdalena propiùs ſedit prope Chriſtum quàm Martha, ut videamus, quàm efficax ſit pœnitentia, quæ facit, ut juſti anteponantur peccatoribus. Dominicâ quartâ Adventûs.

*Domine non eſt tibi cura.*

Maria optimam dicitur partem elegiſſe, quia ſecreto opera ſua faciebat, ne venaretur vanam gloriam: Martha vero hinc inde diſcurrebat, ut evidenter diligens, & ideo reprehenſa fuit de vana gloria, vide Dom. infra octavam Epiph.

*Feſtum Divi Bartholomæi.*
*Exiit Ieſus orare.*

Optimum medium a Deo aliquid obtinendi eſt oratio; Cum enim Deus ſit valde liberalis, & pro-

& prodigus, ſufficit ut neceſſitates tuas tantùm ei inſinues; nam ſtatim habebis quod petis. Dom. 3. poſt Epiph.

*Elegit duodecim, quos Apoſtolos nominavit.*

Cur ad tantum opus, quale eſt converſio mundi, eligit homines adeo ſtupidos? ut doceat ſe eligere infirma, ut confundat fortia. Feſto S. Andreæ.

*Et Iudam qui fuit proditor.*

Mirum eſt, quod Judas in tanto collegio tam ſancto ceciderit, ſed ſtupor ceſſabit, ſi conſideremus, quod fuerit avarus; avaritia eſt enim peſſimum vitium. Dominicâ tertiâ Adventûs.

*Feſtum Nativitatis Deiparæ. Matth. 1.*

*Filii David, Filii Abraham.*

Cur præponitur David ætate junior Abrahamo? id Deus non fecit ſine myſterio, ut doceret regnum cælorum non niſi tribulationibus obtineri; David enim ſemper afflictus fuit. Dom. Septuag.

*Genuit Salomonem ex illa, quæ fuit Vriæ.*

Mundus dum aliquis peccavit, ſemper putat talem peccatorem, non ſic Deus, qui poſt pœnitentiam magis æſtimat peccatores, quàm ante. Dom. 3. Advent.

*De qua natus eſt IESVS.*

Vocatus eſt Jeſus, quia eſt Redemptor omnium, & ideo in medio terræ mori voluit, feſto Circumciſionis, part. 2.

*Feſtum Divi Matthæi, Matth. 9.*

*Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio.*

Cum feſta ſint inſtituta in honorem ſanctorum, cur hoc Evangelium legitur, in quo recenſentur ejus peccata? hoc ad gloriam ejus fit, ut oſtendatur, eum ad majorem dignitatem per pœnitentiam evectum quàm ante. Domin. 4. Advent.

*Vidit hominem ſedentem.*

In hoc conſiſtebat ejus miſeria, quòd ſederet, & ambulare non poſſet; erat enim peccator, qui cæcus eſt, & bellua ut deplorari mereatur. Feſt. D. Thomæ.

*Surgens ſecutus eſt eum.*

Non eſt cunctatus, nec traxit moras; nam inſpirationibus divinis eſt ſtatim obediendum, & moras trahere eſt periculoſum. Feſt. Epiph. part. 1. Dom. 4. Adv. part. 2.

*Feſtum SS. Apoſtolorum Matth. 18.*

*Quis putas major eſt.*

Non credo graviter in hoc deliquiſſe Apoſtolos, ſed tantùm leviter, & tamen tam ſolerter illum defectum emendat; nam à peccatis proveniunt pœnæ. Dominicâ quartâ poſt Epiphaniam.

*Niſi converſi fueritis.*

In hoc debemus imitari parvulos, ut ſimpliciter obediamus, nec mandata diſcutiamus. Vide feſti Purif. partem 1.

*Videte ne contemnatis unum de parvulis iſtis.*

Peccata etiam minima curanda ſunt, quia ad majora diſponunt. Dom. 6. poſt Epiph.

*Feſtum SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ. Ioan. 15.*

*Si mundus vos odit, &c.*

Similibus verbis compeſcuit filios Zebedæi; nam ſi ille per labores gloriam obtinuit, & nos ſic illam debemus obtinere. Dom. ſeptuageſimæ.

*Si me perſecuti ſunt &c.*

Cum vos prædicaturi ſitis veritatem, patiemini, ſicut ego, nam veritas odium parit. Dom. 2. Advent.

*Hæc facient vobis, &c.*

Nec mirum: erant enim peccatores, qui cæci ſunt. Feſt. D. Thomæ.

*Feſto omnium Sanctorum Matth. 5.*

*Beati pauperes ſpiritu.*

Væ divitibus & avaris, quia videntur à cælo excluſi, nec mirum, quia avaritia eſt peſſimum vitium. Dom. 3. Adv.

*Beati qui lugent.*

Hoc eſt pœnitent, quia ad majorem dignitatem evehentur. Dom. 4. Adv.

*Gaudete & exultate, &c.*

Id cogita in tuis laboribus, & afflictionibus, ſic omnia dulceſcent. Feſto. S. Stephani.

# FINIS.

# INDEX LOCORUM S SCRIPTURÆ IN ADVENTUALI.

## EX LIBRO GENESIS.

### CAP. I.


IN principio creavit Deus cælum & terram. 33
Fiat lux: & facta eſt lux. 81
Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. 10
Producant aquæ reptile animæ viventis, &c. 196
Et fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, &c. Ibid.
Dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli. 212
2. Tulit unam de coſtis ejus. 17
De omni ligno paradyſi, &c. 215
Requievit die ſeptima 182
Tulit unam de coſtis ejus & ædificavit coſtam in mulierem, 182
Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. 112
Præcepit nobis Deus ne tangeremus. 218
2. Audivit vocem deambulantis in paradyſo. 87
Adam, ubi es? ibid.
Multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries filios tuos: in laboribus comedes: in ſudore vultûs tui veſceris pane tuo. 175
4. Omnis qui invenerit me, occidet me. 8
Qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. 8
Hic cœpit invocare nomen Domini 19
6. Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram. 87
Pœnitet me feciſſe hominem. 196
Feneſtra erat cryſtallina. 94
9. Pudenda patris ſui. 133. 200
12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtravero tibi 98
21. Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus, &c. 185
22. Abraham, ne extendas manum tuam ſuper puerum tuum. 84
27. Quomodò tam cito invenire potuiſti Fili mi? 45.
Det tibi Deus de rore cæli, &c. 185
28. Proficiſcere in Meſopotamiam Syriæ, &c. 96
Vidit Iacob ſcalam; ſummitas ejus cælos tangebat. 83
29. Date potum ovibus, & ſic eas ad paſtum reducite. 96
Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris ſui; nam gregem ipſa paſcebat. ibid.
37. Vidi per ſomnium Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me. 40
43. Incurvaverunt ſe, & adoraverunt proni in terram. 39
44. Quos ſcrutatus, incipiens à majore uſque ad minimum, invenit, &c. 198
48. Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat. 141


## EX LIBRO EXODI.


CAP. 3. Videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. 236
Apparuit ei Dominus in flamma ignis, in medio rubi. ibid.
Moyſes, Moyſes. 242
16. Colligat unuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum, & nullus relinquat ex eo in mane. 86
Cur eduxiſti nos de terra Ægypti, ubi ſedebamus ſuper ollas carnium? utinam mortui eſſemus in Ægypto! 94
19. Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, in quo ſcripſiſti. 54
32. Hi ſunt dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 
34. Omnia verba Domini quæ locutus eſt, faciemus. 243


## EX LIBRO LEVITICI.


CAP. 20. In lege Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare. 202


EX

## EX LIBRO NUMERORUM.

CAP. 1. *Invenerunt hominem colligentem ligna in die Sabbathi.* 218
16. *Eduxiſti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat.* 94
17. *Quem ex iis elegero, germinabit virga ejus.* 184
20. *Miſit nuncios Moyſes de Cades ad Regem Edom, qui dicerent: Obſecramus, ut nobis tranſire liceat per terram tuam.* 250
22. *Paratus eſt Rex noſter honorare te.* 39
*Utinam haberem gladium, ut interficerem te.* ibid.

## EX LIBRO DEUTERONOMII.

CAP. 10. *Omnis locus quem calcaverit pes veſter, veſter erit.* 14
*Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini in terra Moab jubente Domino, & ſepelivit, &c.* 107

## EX LIBRO JOSUE.

CAP. 7. *Acham filius Charmi tulit aliquid de anathemate.* 201
10. *Dominus, & non Deus.* 33

## EX LIBRO JUDICUM.

CAP. 3. *Verbum Dei habeo ad te.* 249
14. *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* 245
*De forti egreſſa eſt dulcedo.* 99
*Odiſti me, & non diligis: idcirco problema propoſitum filiis populi mei, non vis mihi indicare* 56
15. *Heu filia mea! decepiſti me.* 230
16. *Tanquam removendo prohibens.* 221

## EX LIBRO PRIMO REGUM.

CAP. 2. *Dominus mortificat, & vivificat.* 241
31. *Totum pondus belli verſum eſt in Saul.* 177
14. *Extenditque ſummitatem virgæ, quam habebat in manu.* 207
6. *Fiebat manus Domini interfectionis magnæ nimis.* 200
17. *Non poſſum ſic incedere.* 165
18. *Quem ſuſcitabo tibi? Suſcita mihi Samuelem.* 3

## EX LIBRO SECUNDO REGUM.

CAP. 23. *O ſi quis mihi daret potum aquæ, quæ eſt in ciſterna Bethlehem juxta portam!* 129
12. *De pane illius comedens, & de calice illius bibens, & in ſinu illius dormiebat.* 48
18. *Filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* 194
*Servate mihi puerum Abſalon.* 256
*Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu ſua & infixit eas in corde Abſalon.* 10
23. *Noluit eam bibere, ſed libavit eam Domino.* 229

## EX LIBRO TERTIO REGUM.

CAP. 3. *Non eſt ita, ut dicis, ſed filius tuus mortuus eſt: meus autem vivit.* 27
21. *Canes comedent Iezabel in campo Iezrael.* 208

## EX LIBRO QUARTO REGUM.

CAP. 2. *Poſtula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te.* 210
4. *Non habeo niſi parum olei, quo ungar.* 230

## EX LIBRO ESTHER.

CAP. 5. *Si Regi placet, veniat & Aman tecum ad convivium, quod paravi.* 206

## EX LIBRO JOB.

CAP. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar.* 227
2. *Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis?* 178
3. *Pereat dies in qua natus ſum.* 203
4. *Tigris periit, eo quòd non haberet prædam.* 214
*Vidi impios flante Deo periiſſe.* 10

## EX PSALMIS.

PSALM 8. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.* 19
*Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, &c.* 205
*Minuiſti eum (id eſt hominem) paulò minus ab Angelis.* 75
11. *Ordinatione tuâ perſeverat dies.* 33
17. *Commota eſt, & contremuit terra.* 189
14. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* 93
17. *Eripuit me Dominus de manibus inimicorum meorum, & de manu Saul.* 74
127. *Filii tui ſicut novellæ olivarum.* 14
28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* 33
50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* 48
*Peccatum meum contra me eſt ſemper.* 14

59. *In Idumeam extendam calceamentum meum.* 14
68. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt, &c.* 213
82 *Hæreditate poſſideamus Sanctuarium* Dei. 238
101. *Delectamini in Domino, & exultate in Deo Ieſu veſtro.* 91
118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* 241
115. *Omnis homo mendax.* 28
118 *Super ſenes, ſuper omnes docentes me intellexi.* 49
*Latum mandatum tuum nimis.* 93
131. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca Sanctificationis tuæ.* 89
136. *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* 212

## EX LIBRO PROVERBIORUM.

CAP. 6. *Piger vade ad formicam.* 222
*Vade ad apem, & diſce quàm operaria ſit* 165
8. Dominus *poſſedit me in initio viarum ſuarum.* 37

## EX CANTIC. CANTICORUM.

CAP. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* 186
*Nigra ſum, ſed formoſa, Filiæ Hieruſalem* 62
*Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* 224
*Lectulus noſter floridus.* 88
2. *Ego flos campi.* 257
3. *In lectulo meo quæſivi, quem diligit anima mea.* 88
*Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* 217
4. *Tota pulchra es ( Maria, ) & macula non eſt in te.* 32
*Veni coronaberis de capite Amana.* 224
*Mel, & lac ſub lingua tua.* 245
6. *Videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt, & Regina laudaverunt eam.* 166
7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia principis.* 31
2. *Surge propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni.* 83

## EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. 3. *Tempus loquendi, & tempus tacendi.* 21
9 *Et ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ.* 241
35. *Penetrabilior omni gladio ancipiti.* ibid.
49. *Præter* David, *& Ioſiam omnes peccatum commiſerunt.* 69

## EX ISAIA.

CAP. 1. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint, &c.* 60
6. *Butyrum, & mel comedet.* 245
14. *Sedebo in monte teſtamenti.* 240
*Omnis caro fœnum.* 198
*Omnis gloria ejus, quaſi flos agri.* 209
38. *Diſpone domui tuæ, quia morieris.* 61
56. *Canes muti non valentes latrare.* 45

## EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAP. 4. *Acerbo luctu dolens pater, citò ſibi rapti filii fecit imaginem.* 220
4. *Tanquam* Deum *colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra, & ſacrificia, &c.* ibid.

## EX DANIELE.

CAP. 33. *Vt* Dominus, *ſecundùm imperium ſuæ divinæ voluntatis.* 31
5. *Mane, Techel, Phares.* 208
*Facies Regis commutata eſt, & cogitationes conturbabant eum.* 8
13. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu* Domini. 8

## EX JONA.

CAP. 1. D*ormiebat ſopore gravi.* 1

## EX DIVO MATTHÆO.

CAP. 1. *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob.* 199
*Ex ea quæ fuit Vria.* 74
2 *Videntes ſtellam Magi gaviſi ſunt gaudio magno.* 96
*Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* 252
*Angelus* Domini *apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Surge, & accipe puerum & matrem ejus.* ibid.
5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 257
*Vos eſtis ſal terræ.* 250
6. *Præcepit amputari caput Ioannis in carcere.* 23
9. D*omine, filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* 167

10. Ne-

10. Nolite poſſidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. 257
11. Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſtâ 34
Venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania. 2:0
13. Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod minimum, &c. 13
Cum autem creverit; factum eſt majus omnibus oleribus, & fit arbor. 215
14. Domine jube me venire ad te. 234
16. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? 168
Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, &c. 186
Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eum. 11
17. Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula. 123
Faciamus hic tria tabernacula. 197
Timuerunt valdè, & ceciderunt in faciem ſuam. 3
Ecce nubes lucida obumbravit eos. 3
Tributum non exigitur à filiis propriis, ſed ab alienis. 31
18. In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum. 25
20. Quid ſtatis totâ die otioſi? ite & vos in vineam meam. 233
Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram in regno tuo. 114. 253
Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur, &c. 211
Obmutuit. 6
22. Multi ſunt vocati, pauci verò electi. 257
25. Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi bibere. 9
Eſurivi, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere. 5
Conventione autem facta de denario diurno, miſit illos in vineam ſuam. 257
Et ibunt hi in ſupplicium æternum. 4
26. Venerunt duo falſi teſtes. 25
Non bibam amodò de hoc genimine vitis. 4
Hoc eſt corpus meum. 237
27. Projecit pecuniam in Templo. 41
Quem vultis vobis de duobus dimitti? 42
Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus. 40
27. Angariaverunt ſibi Simonem quendam, ut tolleret crucem Ieſu. 225
Viſo terra motu timuerunt valdè. 189
Velum templi ſciſſum eſt, terra mota eſt, petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt. 242

## EX DIVO MARCO.

CAP. 2. Iam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet. 195
5. Crucifigatur. 190
Qui à Dæmonio vexatus fuerat, cœpit Ieſum deprecari, ut eſſet cũ illo, & non admiſit eum. 167
6. Non licet tibi habere uxorem fratris tui. 21
Poſtula à me, quod vis, & dabo tibi &c. 213
14. Vt quid perditio hæc? poterat unguentum iſtud venundari pluſquàm trecentis denariis & dari pauperibus. 41
Cœpit pavere, tædere, & mœſtus eſſe. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. 17
15. Mirabatur ſi jam obiiſſet. 16
16. Ite, dicite Diſcipulis ejus, & Petro, quia ſurrexit. 74
8. Interrogavit eum, ſi quid videret. 254

## EX DIVO LUCA.

CAP. 1. Ave gratia plena, Dominus tecum. 32
Benedictus fructus ventris tui. 80
Dominus tecum. 32.85
Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. 34
Et regnabit in domo Iacob in æternum.
2. Tranſeamus uſque Bethleem. 91
Et erat Anna Prophetiſſa de tribu Aſer, hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem. 181
Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino. 229
4. Oſtendit illi omnia regna mundi. 212
Oſtendit illi omnia regna mundi in momento temporis. ibid.
5. Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere puſillum, & ſedens docebat de navicula. 249
7. Et ſtans retrò ſecus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. 167
8. Cùm turba plurima conveniret, & de civitatibus properarent ad eum. 241
9. Dimitte turbas, ut euntes in caſtella, villaſq; quæ circa ſunt, divertant, & inveniant eſcas. 245
10. Incidit in latrones, & deſpoliaverunt eum. 40
11. Cùm oratis, dicite: Panem noſtrum quotidianum. 24
12. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem. 257
13. Citò proferte ſtolam primam, induite illam. 64
19. Zacchæ feſtinans deſcende. 227

16. *Factum eſt, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* 199
18 *Et Ieſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit.* 251
*Stans autem Ieſus juſſit illum adduci ad ſe, &c.* 256
19. *Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* 228
22. *Quantum jactus eſt lapidis.* 88
*Sequebatur eum à longè.* 46
23. *Non invenio cauſam in hoc homine.* 41
*Emendatum ergo illum dimittam.* 42
*Impoſuerunt illi portare crucẽ poſt IESVM* 2:5
*Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* 146
*Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* 15
*Si filius Dei es, deſcende de Cruce.* 147
21. *Videbunt filium hominis venientem.* 215
23. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* 4.15.79.186
24. *Stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.* 32
*Elevatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cælum.* 236
27. *Verè filius Dei erat iſte.* 90

## EX DIVO JOANNE.

CAP. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* 219
*Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* 24
*Verbum caro factum eſt.* 17
8. *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* 4
*Languores noſtros ipſe tulit.* 17
*Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* 19
2. *Fili, vinum non habent.* 134
4. *Mulier, da mihi bibere.* 25
*Ego miſi vos metere; alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiiſtis.* 97
6. *Ex quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiavit Dominus, &c.* 25
*Ego ſum panis vivus.* 17
11. *Ecce quem amas, infirmatur.* 154
*Lazare, veni foras.* 188.244
*Non poterat hic, qui aperuit oculos Cæci nati, &c.* 212
13. *Quo ego vado, vos non poteſtis venire modò.* 197
*Cùm accepiſſet buccellam, tunc in eum inimicus intravit.* 175
*Non lavabis mihi pedes in æternum.* 216
14 *Non turbetur cor veſtrum neque formidet.* 191
18. *Quem quæritis? IESVM Nazarenum.* 5
*Petrus ſtabat ad oſtium foris. Exivit ergo Diſcipulus alius, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.* 46
*Tu es Rex Iudæorum? Ergo Rex es tu.* 22
19. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* 41
*Cùm audiſſet Pilatus hos ſermones* 41
*Et bajulans ſibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* 215
*Conſummatum eſt. Et inclinato capite emiſit ſpiritum.* 145
19. *Inclinato capite.* 113.189
*Vnus militum lancea latus ejus aperuit.* 164
20. *Neſciebat quia IESVS eſt, exiſtimans, quod hortulanus eſſet.* 254
*Noli me tangere.* 188
21. *Converſus Petrus vidit illum Diſcipulum, &c.* 74

## EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

CAP. 5 *Afferens partem quandam ad pedes Apoſtolorum.* 244
6. *Stephanus plenus Spiritu Sancto.* 97
7. *Durâ cervice, & circumciſis cordibus, vos Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut & Patres veſtri, ita & vos.* 23
*Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* 97
*Sol juſtitiæ Chriſtus.* 92
12. *Lumen refulſit in habitaculo.* 46

## EX EPIST. AD CORINTHIOS.

CAP. 24. *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 95
11. *Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, &c.* 95
*Si Chriſtus non ſurrexiſſet, inanis eſſet fides noſtra.* 420

## EX APOCALYPSI.

CAP. 10. *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.* 16
12. *Mulier amicta Sole, Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* 255
*Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura: ut cum peperiſſet, filium ejus devoraret.* 179
14. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt.* 61

# INDEX RERUM
## MAXIME MEMORABILIUM
## QUÆ IN HAC PARTE ADVENTUALIS
## DISCURSUUM PRÆDICABILIUM
## CONTINENTUR.


ABIES.

Cur juſſus eſt ululare. 201

ABRAHAM

Non indicat famulis de ſacrificio. 165
Promptitudo ejus in ſacrificio. 145
Parcus erga Iſmaelem. 185
Patriam & cognationem relinquit. 98
Sollicitus pro Iſaac, ne deſponſaretur cum Chananea.

ABSALON

Occiditur. 16
Patenti rebellis. 129
Vocatur à patre puer. 256

ACTÆON

In cervum converſus à canibus diſcerpitur. 52.

ÆGEUS

In Mare ſe projicit. 129

ÆNEAS

Pius erga patrem. 31

ÆTHIOPES

Cur nigri & infames. 27

AGESILAUS

Interrogatus de amplitudine ſui regni quid reſponderit 15

AMBITIO,

Quid illa ſit, & qualis ambitioſus. 127
Ambitio Romuli, Luciferi, & Herodis. 125 & ſeq.
Ambitioſus eſt traditor perfidiſſimus. 127
Ambitioſus quodvis peccatum committit. 127

S. ANDREAS APOSTOLUS,

Detegit fallaciam dæmonis. 20
Miracula ab eo patrata. 15. 16
Devotio erga hunc Sanctum commendatur. 20
Continet perfectiones reliquorum Sanctorum, & ideò colitur ab Eccleſia die ultimâ Novembris. 18
Splendore cælico moriens honoratur. 17
Cur Andreas & Petrus vocati à Chriſto. 11. & ſeq
Fuit Chriſti imitator. 12
Aſſimulatur Coralio. 12
Piſcatus eſt non hamo, ſed reti, quare? 13
Fuit Chriſti coadjutor in acquiſitione animarum. 13
Propagavit Eccleſiæ principatum. 14
Vicarius Chriſti. 14
Exturbavit è dominio Sathanam. 14. & ſeq.
Adimplentur in eo verba Chriſti; *Omnia traham ad meipſum.* 18
Crucifixus in tranſverſum, quare? 15
Labores ejus pro Eccleſia. 16
Lætus ad Crucem properat. 17
Primogenitus inter Apoſtolos & hæres Chriſti. 18
Pependit triduo in Cruce, & Chriſtus tribus horis. 16
Solvit pro Chriſto, amoris debitum. 16
Mortuum ſuſcitat pedum contactu. 15
Fecit mirabilia in mari & in terra. 15
Extendit in Cruce manus ad 4. mundi partes. 15
Crucifixus aliter quàm Chriſtus, quare? 15
Lucratus terras & integra regna Chriſto. 15
Figuratus in benedictione Jacob 14
Crux ejus facta ex lignis olivæ & inſerta Palma. 14

ANGELUS,

Non videt Balaam Angelum. 39
Angelum videt Joannes in Apocalypſi. 15
Angelus ad ſepulchrum facit expreſſe mentionem de Petro. 64
Angelus impedit Abraham, ne ſacrificet 74
Angelorum cantus in Nativitate Chriſti. 78

Lazarus ab Angelis multis portatur. 177
Angeli pinguntur in ætate juvenili. 96

ANIMALIA.

Adamo rebellant. 51
Quid eis innatum. 99
Diluvio etiam abſorbentur. 186
Viſio Ezechielis myſteriosa. 107
A Deo non fuerunt benedicta. 185

AQUA.

Scotuſæ aqua miranda. 59
Aqua quid deſignet. 164
Apponitur in calice conſecrationis. 77
Conjunctio ejus cum luce. 54

ARCA NOE

Facta ex lignis quadratis. 111
Feneſtram habebat in ſummitate. 48

ACRHANGELUS

Gabriel ſalutans B.V.M. cur non ait: *Dominus eſt tecum*? 32
Legatio ejus deſcribitur. 75

ARCHIAS.

Dum procraſtinat, occiditur. 149

ARCHIMEDES.

Occiditur incognitus. 83

ARGUS.

Obdormit ad ſonum fiſtulæ. 38

ARIMASPI.

Auro inhiant. 39

ARISTOBULUS.

Matrem fame occidit. 129

ARISTODEMUS.

Duos habuit filios maximè ſimiles. 95

ARISTOTELES.

Platoni erexit epitaphium. 101
Monitum politicum. 174

ARTAXERXES.

Legem condit contra mendacia. 28
Tenax nimium cautè reprehenditur. 174

ASINA.

Senſatè locuta eſt Baalàm. 40

AVARITIA, AVARUS.

Ejus deſcriptio. Vide tot diſcurſ. Dom. 3. Advent. 38
Avarus ejuſque proprietas. 39
Cauſa eſt multorum malorum. 40
Avari plures recenſentur, & quid egerint. 39
Avari cupiditas pejor Tyranno. 39
Avarus inſtar cameli. 39
Tales filii Jacob. 40
Avaritia ſurdos & cæcos efficit. 40
Ita Baalam contigit. 40
Cyrus avarus. 40
Avarus nec proprio ſanguini parcit, ut videre eſt in filiis Jacob. 40
Avaritiâ prævaluit Judas. 40
Judæ proditoris cupiditas peſſima. 40
Pilatus quid fecerit avaritiâ impulſus. 41
Mulieres maximè avaræ. 41
Eryphile talis erat. 42
Romanorum lex olim quid vetans? 42
Mulier pravâ cupiditate accenſa quidvis audet & licitum putat. 43
Avari cupiditas inſatiabilis. 43
Avarus furta ſua Deo attribuit, exēplo Jacob. 45
Legem ſibi format & interpretatur. 45
Ubi regnat avaritia, lex non curatur, ut patet in Samaritanis. 45
Etiam in curiis hoc vitium reperitur. 45
Avarus juſtitiam non curat. 46
Avari Judicis propenſio. 46
Nemo ab hac cupiditate liber. 46
S. Joannes gratus in aula Pilati, quare? 46
Qui non ſtupet proprio commodo, Angelus ipſe. 46

AUGUSTUS IMPERATOR.

Oculis ceu fulgure terrebat. 5

AULICI.

Avaritia capti, ut canes ſunt. 45

AUTOLIA.

Affligitur ob mortem Ulyſſis. 118

AUXILIUM DIVINUM.

Ad benè operandum eſt neceſſarium. 150. *& ſeq.*
Aſſerit Chriſtus. *ibid.*
Confirmat S. Paulus. 151
Sponſa cœ eſtis trahi deſiderat. *ibid.*
Stella Magos dirigit. *ibid.*
Dominus innixus ſcalæ quid innuit? *ibid.*
Cur dicimus: *Adveniat regnum tuum.* *ibid.*
Fruſtra vigilamus, ſi non cuſtodiat Deus. *ibid.*
Neque ipſum malum vitare poſſumus ſine Dei ope. *ibid.*
Ideò orabat ſapientiſſimus Salomon. *ibid.*
Qui humanum quærit auxilium, ſæpiùs perdit Divinum *ibid.*

BACTRIANI.

Parentes jam ſenes canibus laniandos objiciunt 138

BALAAM.

Surdus & cæcus. 40

BALTHASAR.

Cruciatur à conſcientia. 7
In pleno convivio turbatur. 198

BAPTISMUS.

Quid ſit, ejuſque affectus. 59


BELI-

BELIDES.
Torquentur extremis ſuppliciis. 48
BELISARIUS.
Repentè fit miſer. 199
BENEDICTIO.
Myſterioſa Benedictio Jacob. 14
BENEFICIA.
Unum à Deo collatum beneficium ad alterum dandum invitat. 183
Exprobrabuntur in die judicii. 10
BESSUS.
Conſcientiæ patitur ſtimulum. 7
BIZANTIUM
Civitas Philippo Macedonum Regi deſideratiſſima. 78
BONA TEMPORALIA.
Roſæ comparantur. Vide toto diſcurſu Dominicæ 5. poſt Epiphaniam. 198
Momentanea ſunt. 202
Inſtar fluminis tranſeunt. *ibid.*
BULLÆ PONTIFICIÆ.
Conceptionem Deiparæ immaculatam oſtendunt. 35
BUTYRUM.
Quid Butyrum & mel ſignificent. 79
CÆLUM.
Cæli contemplatio labores mitigat. 83. *& ſeq.*
Deus feneſtram petit in Arca Noë, quare? 84
CÆSAR.
Quomodo ſalvet Commentarios? 31
Pompejum tarditatis arguit. 143
Occiditur. 9
CAIN.
Patrem & Matrem honorat ipſe licet impius. 119
Deformatus per peccatum. 52
Munera ejus Deo non grata. 145
Conſcientiæ ſentit remorſum. 9
Obtulit Deo peſſimum. 215
CAMBYSES.
Inimicus veritatis. 23. *& ſeq.*
CAMILLA.
Vidua noluit inire ſecundũ matrimonium. 171
CAPILLI.
Magni pretii apud mulieres. 215
Venditi ab Abſalone ducentis ſiclis. *ibid.*
CARITAS.
Annonh caritas deſcribitur. 188
CARNEADES.
Facundus eloquio. 231
CAROLUS.
Octavus Gallorum Rex, ejuſque dictum.
Carolus V. Horologium habuit mirabile. 25
CERA.
Virginea cera aquam ſalſam indulcorat. 89
CERVUS.
Quid facit naturali inſtinctu. 98
CHAM.
Patrem deriſit, ideò Chananæi ſunt opprobrio. 125
CHANAAN
Cur maledictus? 52
Maledictionem Patris ſuſtinet. 190
CHRISTUS.
Advocatus fit adulteræ. 4
Sudare fecit terram Seïr & Regionem Edom. 5
Proſternit milites in horto Gethſemani, quomodo? 5
Inexorabilis in die judicii. *ibid.*
Enecabit flatu in die illa tremenda. 20
Exprobabit beneficia collata. 10
Cur elegit duos Apoſtolos Petrum & Andream. 12
Piſcator animarum. 13
Crucifixus junctis pedibus, non Andreas. 14
Satifacit ſtrictè juſtitiæ, non ita videtur amori. 16
Pependit in cruce 3. horis, Andreas 2. diebus. *ib.*
Ad aſpectum Crucis trepidat Chriſtus, non Andreas. 17
Nathanaelem ad Apoſtolatum non admiſit. 19
Voluit ut ſupereſſent 12. cophini fragmentorum. 24
Lavare voluit pedes Apoſtolorum, quare? 32
Quomodo dederit Apoſtolis pacem. *ibid.*
Conceptionem Virginis Matris immaculatam declarat. 34
Salvator MARIÆ. 36
Tantum faceret pro ſalute unius animæ, quantũ pro redemptione totius generis humani. 65
Quam deſideraverit Thomæ ſalutem. *ibid.*
Oſtendit Thomæ cor ſuum. *ibid.*
Fit medicus ad curandum Thomam. *ibid.*
Plus videtur propenſus ut peccatoribus faveat quàm juſtis. *ibid.*
Gloriatur ſe natum ex ſtirpe David. *ibid.*
Cur naſcitur mundo? 76
Prognoſticatio Chriſto facta. *ibid.*
Deſiderat & delectatur cum hominibus converſari, ut patet ex mixtione aquæ in calice, & ex ſucceſſione ejus ab Apoſtolis in horto Gethſemani. *ibid. & ſeq.*
Prædicitur quod butyrum & mel comedet, cur? 235

Circumciſio ejus, toto diſcurſu. 130
Videre Chriſtum, recreat in tormentis. 10
Ideò lapides Stephano dulces viſi. 87. & toto diſcurſu.
S. Joſeph in fuga Ægypti moleſtias non ſenſit, quia præſens erat JESUS. *ibid.*
Dulces Stephano lapides viſo Chriſto. *ibid.*
Apparet Adoleſcenti Senenſi Novitio in Ordine S. Auguſt. 91
Spiritum ſuum dedit Joanni. 96
Cur dicitur interrogaſſe & audiviſſe Doctores, non verò docuiſſe? 167
Mediâ nocte naſcitur. *ibid.*
Ad diſcipulorum conſortium non admittit ex iis, quos miraculosè ſanavit, quare? 157
Magis adorantibus non loquitur. 300
Odit vanam gloriam. 157
Non reſpondet malos fore ut dæmones in Inferno, cùm jam dixiſſet bonos fore ut Angelos in cœlo. 172
Liberaliſſimus. V. de toto diſcurſu Dominicæ 3. poſt Epiphaniam. 173. *& ſeq.*
Cur dicitur regnaturus in domo Jacob? 174
Sollicitè expectat ut gratias largiatur, & preces ſæpè prævenit. 175
In Cruce pendet manibus clàvis perforatis, cur? *ibid.*
Plus largitur quàm fert petitio. 177. *& ſeq.*
Noluit à Magdalena tangi, quare? *ibid.*
Lazarum mori permiſit, ut majorem ſororibus præſtaret gratiam. 178
Gloriatur de liberalitate. *ibid.*
Gratias agit latroni quod Paradiſum petierit. 179
Terræ motus liberalitatem in Paſſione expreſſit. *ibid.*
Inclinato capite moriens, quare? 180
Cur latus à Longino aperiri ſibi voluit? *ibid.*
Non opus à Chriſto petere auxilium, ſufficit neceſſitatem & deſiderium innuere, patet ex diverſis. 181. *& ſeq.*
Obliviſcitur quodammodò ſui ut aliis donet. ib.
Hebræi volebant illum lapidare cum adultera. 192.
Imago ejus confracta ab impiis luſoribus. *ibid.*
Inclinavit caput ad dextrum latus, quare? 110
Ut obediret Patri, rogatus ab Hebræis de Cruce deſcendere noluit. 120
Diſcipulum unum ex duobus non admiſit, quare? 126
Matrem honorat uſque ad mortem. *ibid.*
Sanguis in circumciſione effuſus quid ſignificet? 133
Cur naſci voluit ex ſemine Hebræorum. *ibid.*
Similis febricitanti 133
Non voluit in corpore habere membrum unum illæſum. 135
Mortem anticipat ad duos annos, quare? *ibid.*
Cur datum ei nomen JESUS. 138
Non fuit ei partialiter affectus. 139. *& ſeq.*
Commendat Patri ſpiritum, non carnem. 145
Cur potiùs aſſumat Petrum, Jacobum & Joannem ad Transfigurationis gloriam, quàm alios Apoſtolos. 218
Fertur in cælum & cicatrices manuum oſtendit. 226
Dulciſſimus ejus ſermo. 235. *& ſeq.*
Cur reſtituit Malcho auriculam. 239
Viſitat perſonaliter Magos. 242. *& ſeq.*
Comparatus eſt flori. 258

CICONIA.

Pietatis officia exhibet parentibus caducis. 127

CLEOPATRA.

Prodiga fuit. 181
Ejus facundia. 235

CONCILIUM.

Approbat Conceptionem immaculatam B. V. M. 35

CONJUGATI.

Non reperiuntur in cœlo. 167

CONSCIENTIA.

Remorſus conſcientiæ intolerabilis 5
Experti ſunt conſcientiæ remorſum Nero, Balthaſar, Judas, Theodoricus, Herodes, Suſanna, Beſſius Parricida, Petrus & Cain. 5. *& ſeq.*
Cur aliqui remorſum conſcientiæ non ſentiãt. 8
Serpenti comparatur. 9

CONSUETUDO.

Judas quid facere ſolitus? 40
Mos Romanorum. 93
Romani in nuptiis nuces ſpargebant. 166
Caſpii parentes fame enecant. 127

CONVIVIUM.

Balthaſaris convivium refertur. 198

CORALIUM.

Quid ſit, ejuſque proprietas.

CORNELIUS DOLABELLA.

Ad ſummam calamitatem redactus. 48

CORNELIA ROMANA.

Nil in mundo teſtatur habere charius quàm liberos. 118

CROESUS.

Quid illi mirum acciderit?

CRUDELITAS.
Herodes crudeliſſimus. 25
Nationes erga parentes inhumanæ. 127
CRUX.
Dulcis facta clavis Chriſti. 19
Crux à S. Thoma lapidi impreſſa. 57
Crucifixio ſomno repræſentata quid? 165
Crux Petro Apoſtolo datur in præmium. 109
Eſt victorum corona. *ibid.*
Magis deſiderabilis eſt quàm gloria, 110
CUPIDO.
Emblemate exprimitur. 197
Lachrymis flectitur à Pſiche. 215
CURRUS.
Platonis currus deſcribitur. 128. *& ſeq.*
S. CYRILLUS.
Martyrium accepit pro mercede. 110
CYRUS.
Avarus. 40
Liberalis. 179
DALILA.
Aſtutia ejus. 56
DAMNATI.
Illorum tormentum in die judicii. 5
Ultro ibunt in infernum. 5
Cur multi damnati? 6
Confundentur vulneribus Chriſti. 10
DAVID.
Cur credidit parabolam de ove eſſe veram? 40
Occidit gigantem. 53
Cur dictus in Scriptura non peccaſſe? 60
Lubens laborat propter retributionem. 83
Victo Goliath enſem Deo conſecrat, non lapidem. 156
Offert Deo aquam. 214
DESIDERIUM.
Magno æſtuabat deſiderio Chriſtus, ut pro genere humano pateretur & ſanguinem funderet. Vide toto diſcurſu in feſt. Circumc. 130
Cur natus ex ſtirpe Hebraica? 131
Petrum ut ſathanam tractat Chriſtus & Judam ut amicum, quare? 132
Orat ut tranſeat calix; quia nimis parvus. 133
It obviam militum cohorti. *ibid.*
Conqueritur quod tam cito debeat mori. 134
In cœna non aderat Virgo Deipara. *ibid.*
Vide *Chriſtus.*
DEUS.
Utitur inſtrumentis infirmis ut confundat fortia. 19. *& ſeq.*
Petit veritatem ab Adamo, non Eva. 25
Deus ſe totum impendit in creatione hominis.
Deſiderat eſſe cum hominibus, &c. *ibid. & ſeq.*
Acceptat opera facta in abſcondito. 154
Omne bonum noſtrum à Deo eſt. 163
Liberalis valde, ne dicam, prodigus. 174. *& ſeq.*
Talis erga nos Deus eſt, quales nos erga illum. Vide *toto diſcurſ. Dom. Quinquag.* 141
DEXTRA.
Quid ſignificet dextra? quid ſiniſtra? 110
DIABOLUS.
Ejus aſtutia. 152
Tentat Evam in forma ſerpentis, cur non columbæ.
Si pœnitere poſſet, Deus ignoſceret. 67
Accuſat peccatorem agonizantem. 211
Tentat in parvis, ut ad gravia pertrahat. *ibid.*
DIES.
Initium anni, ſi à Dominica, quid ſignet. 130
Septem hebdomadæ diebus prædominantur Planetæ. 233
DIFFERENTIA.
Inter granum ſeminatum à Villico, & illud quod à formica ſub terra reconditum. 212
Inter prodigalitatem & liberalitatem. 179
Inter *ambulare* & *deambulare.* 77
Inter *Deum* & *hominem.* 33
Inter propoſitionem univerſalem *politicè*, & univerſalem *Logicè.*
DIFFICULTAS.
Circa immaculatam conceptionẽ exponitur. 36
DILUVIUM.
Ejus deſcriptio. 58
DIOMEDES.
Equus ejus fatalis deſcribitur. 48
DISCORDIA.
Sopitur à Lycurgo. 38
DIVITIÆ.
Salutem animæ impediunt. 43
Datæ ſunt à Deo, ut iis benè utamur. 44. 45
DOMITIANUS.
In conflictu læſus quid dixerit. 131
DUELLUM.
Concertant humanum & divinum ſuppoſitum in Incarnatione Verbi. 33
Bellum inter naturam humanam & gratiam divinam. *ibid.*
ECHO.
Deſcribitur. 176
EDUCATIO.
Filii magnâ curâ educandi. 128
EGLON.
Verbum Dei reverenter excipit. 230

ELIAS.
Quomodo non ſenſerit ardorem flammæ; 87
Quam Deus illi cum Enoch dabit mercedem? 169
ELISÆUS.
Cur petivit duplicem ſpiritum? 200
Cur impoſuit ſilentium Giezi? 144.*& ſeq.*
ENOS.
Quid ſignificat? 29
Hic primus prædicator. *ibid.*
EPAMINONDAS.
Occidit proprium filium.
Moriens quid fecit? 103
EPITAPHIUM.
Platonis Epitaphium. 101
Alexandri Magni. 204
ERYPHILE.
Quid fecerit ex avaritia. 54
ESAU.
Honoravit parentes. 119
EVA.
Odit veritatem. 25
Prudenter reſpondit, *Vetuit Deus, ne tangeremus.* 208
EUCHARISTIA.
Cur dicta moneta panis? 247
FEBRIS.
Undi oritur, & omnis infirmitas? 191
FELICITAS.
In mundo nulla ſincera eſt & conſtans. Videto-to diſcurſu Dom. 5. poſt Epiph. 195.*& ſeq.*
Diagotas gaudio immoritur. *ibid.*
Aman in felicitate fit miſer. 196
Jonathas in dulcedine mellis mortis amaritudinem reperit. 197
Somnium eſt. *ibid.*
Lia & Rachel habuerunt ſpinas & flores. *ibid.*
Felix homo papilioni comparatur. *ibid.*
Balthaſar in apice felicitatis perit. 198
In contractu ſponſorum mentio fit mortis. *ibid.*
Jezabel devorata à canibus in campo Jezrael. *ibid.*
Felicitas præſens ſegeti amœniſſimæ æquiparatur. 199
Flori comparatur. *ibid.*
Sejanus & Beliſarius oſtendunt quàm ſit fallax mundi felicitas. *ibid.*
Felix timere debet. 200
FENESTRÆ.
Cur in ſummitate Arcæ Noe? 84
FERVOR.
Servorum Dei tria genera. 149
Quis fervidus? *ibid.*
FICUS.
Quantò magis irrigatur, magis ſterileſcit. 181
Cur à Deo maledicta? 186
Quomodo areſacta? 252
FIDES.
Quomodo repræſentata ab Antiquis? 57
FIGURA.
Quadrata quid ſit? 111
FILIUS.
Filii ſimillimi. 95
Filii Moncada dormientes. 174
Filius prodigus exaltatus per pœnitentiam. 63
Filii patiuntur ob parentum delicta. 188 *& ſeq.*
Filiæ erga matrem pietas. 121
Filii honorent patrem & matrem. *ibid.*
Obediendum parentibus. 122.*& ſeq.*
Primum præceptum ſecundæ tabulæ. *ibid.& ſeq.*
Utilitas filiorum qui honorant & amant parentes. *ibid.*
Punitio eorum, qui malè parentes tractant. *ibid.*
Exoſi ſunt inobedientes, &c. *ibid.*
Succurrendum parentum neceſſitatibus. 123. *& ſeq.*
Chriſtus repudiat filios ingratos, &c. 125
Sollicite in pueritia educandi. 128
Monendi & arguendi à parentibus. *ibid.* *& ſeq.*
Ad ſtatum ſibi competentem promovendi. 129
Parentes cantant filii officium mortuorum. *ibid.*
Non ita perditè amandi. *ibid.*
FLOS.
Comparatur flori humana felicitas. 199
FOECUNDITAS.
An optanda magis quam ſterilitas? 121
FOENUM.
Typus humanæ felicitatis. 203
FONS.
In Epiro frigidiſſimus fons eſt, in quo faces extinctæ accenduntur. 56
FORMICA.
Quomodo fiat leo? 209
Quis naturæ inſtinctus? 212
FRUCTUS.
Qui creſcunt in Petra Pentapolis. 159
GABELLA.
Imponitur mendaciis. 28

GALLUS.

Conſcientiæ ſymbolum. 59

GLORIA.

Cœleſtis gloria repræſentata per denarium. 247

GOLIATH.

Quomodo à Davide occiditur. 194

GRANDO.

Cremonæ lapidi inſcriptum I.N.R.I 138

HÆREDITAS.

Primogenito competit. 18

HAMUS.

Verbum Dei hamo piſcatorio comparatur. 235

HEBRÆI.

Illorum ſervitus deſcribitur. 84

HERODES.

Quam crudelis. 25
Torquetur à conſcientia. 6
Ambitioſus. 115

HERODIAS.

Quid egit, ne à Joanne iterum audiret veritatem. 26

HERCULES.

Ejus facundia. 231

HIERUSALEM.

Civitas beata ſculpta in annulis Hebræorum. 85

HOMO.

Mendax eſt. 28
Dementatur per peccatum. 48. *& ſeq.*
Transformatus in beſtiam, &c. 25. *& ſeq.*
Homo deliciæ Dei & paradiſus. 79
Quomodo armandus contra dæmonem. 193

HONOR.

Filii parentes honorent. 122. *& ſeq.*
Vide. *Filius.*

HORA.

Per horas diei Apoſtoli repræſentantur. 57

HUMANITAS.

Chriſti humanitas, ejuſque virtus. 76

HUMILIS.

Qui ſe humiliat exaltatur. 226

HYPOCRITÆ.

Similes fructibus Pentapolis. 159
Vulpinum occultant, quod agninum oſtentant. 161

JACOB.

Quid reſponderit patri. 44
Quomodo benedixerit Manaſſem & Ephraim. 14
Quomodo ſuſtulerit lapidem de ore putei.
Liberalis erga filios. 174
Reprehendit filium Joſeph de ſomnio. 120

IDOLOLATRIA.

Quis ſit & unde orta? 210

JEPHTE.

Sacrificare voluit quod habebat vilius. 211

JESUS.

Nomen virtutis admirabilis. 138. *& ſeq.*
Dæmones contremiſcunt. *ibid.*
Filius Dei cur vocetur hoc nomine? 139
S. Auguſtinus devotus nomini JESU. 141
Beatus ille, qui invocat nomen JESU. *ibid.*

JEZABEL.

Cur in campo Jezrael devorata ſit à canibus. 198

IGNORANS.

Confundit argutiſſimum Philoſophum. 20

INCARNATIO.

In annulo Salomonis repræſentata. 78
Quam deſiderata à Verbo. Vide toto diſcurſu in feſto Nativ. Domini. 71
Cur non incarnatur Pater, non Spiritus S. 53

INFANTES.

Idonei ad laudandum Deum. 20

INFELICITAS.

Magis optanda quam felicitas. 201

INGRATITUDO.

Multæ nationes ingratæ erga parentes. 127

INNOCENTES.

Glorificati ſunt quando martyres facti. 107
Evenit illis quod equo pictoris. 111
Sicut arena, palma, & Phœnix. *ibid.*
Vide *Martyrium.*

INSTABILITAS.

Nullum in mundo ſtabile. 202. *& ſeq.*
Regna mundi inſtabilia Chriſto in ictu oculi monſtrata. 203
Bona mundi inſtabilia inſtar aquæ currentis. *ibid.*
Pro tripudio offeruntur. 204
Romulus ea fœno comparavit. *ibid.*

INVENTOR.

Primi rerum inventores. 99

S. JOANNES APOSTOLUS.

Gratus erat in aula Pilati.
Lilio comparatur. Vide tot. diſc. Feſti. 94
Erat Chriſto ſimilis. 95
Accepit Chriſti ſpiritum. *ibid.*
Pingitur juvenis, moritur ſenex. 96
Videbatur Chriſtus ſacramentatus. *ibid.*
Particeps quaſi divinitatis. 97
Corpus ejus non reperitur, quare? *ibid.*
Doctrinâ excellentior Apoſtolis & Evangeliſtis. *ibid.*


Primus

Primus edidit Theologiam. 99
Privilegiatus in amore Chriſti. *ibid.*
Comparatur horologio Principis,&c. 100
Horologium & ſcutum Chriſti,&c. *ibid & ſeq.*
An ſit mortuus? 103.& 104
Pluſquam martyr. *ibid.*

S. JOANNES BAPTISTA.

Natus ad prædicandum veritatem. 24
Vide *Veritas*.

JONAS.

Naufragium ejus deſcribitur. 1.& 2
Mavult mori quam haberi mendax. 27

JOB.

Opera ſupererogationis perfecit. 217
Ad dextram orientis calamitates prodiiſſe, ait: 110
Prudenter factum. 152
Deteſtatur noctem conceptionis. 193

JONATHAS.

In mellis dulcedine amaritudinem mortis reperit. 197

JOSEPH.

S. Joſeph ſponſus B.V. Mariæ fugiens in Ægyptum non fatigatur. 88
Proficiſcitur in Bethlehem cum MARIA. 75. *& ſeq.*
Affectus ejus erga Jeſum. 80 *& ſeq.*
Joſeph Hebræus Patriarcha patri obedit. 121
Reprehenditur à Patre de ſomnio. 110
Joſeph, id eſt, accreſcens. 183
Honoratur à fratribus in Ægypto. 40

ISABELLA VALERIA.

Ejus ſymbolum.

JUDAS.

Tradit Chriſtum Judæis. 5
Patitur conſcientiæ remorſum. 7
Ejus avaritia peſſima.
Vide *Avaritia, Deſiderium, punire, Verbum Dei.*

JUDICIUM.

Judicium univerſale. Vide toto diſcurſu Dom. 1 *Adv.*
Rex ſemper triſtis meditato judicio. 2
Samuel expaveſcit comparationem ad judicium recogitans. 3
Apoſtoli terrentur in monte Thabor. 3
Adulteram Chriſtus à peccato coercet timore futuri judicii. 4
Latro metu judicii perculſus, fit Deo ſupplex. 4
Damnatos plus torquebit judicium imminens, quam totus infernus. 5
Chriſtus Judex terrebit voce & vultu plus quam Aurelius Victor Imperator. 6
Expertus eſt Judas & cum eo militum cohors in horto Gethſemani. 5
Chriſtus ſudare fecit terram Seir & regionem Edom, & quomodo? 5
Petræ contererentur ſi non judicii expertes ſint. 5
Sanctus Hilarion trepidat moriens intuitu judicii. 5
Damnatis non erit ibi excuſandi locus, ut oſtenditur ex eo qui *obmutuit*. 6
Chriſtus erit inexorabilis, &c. 6
Maximus reproborum cruciatus conſcientiæ remorſus. 7
Quantus ſit ex conſcientiæ remorſu dolor, oſtenditur ex diverſis eventibus, Neronis puta, Balthaſaris, Judæ, Herodis, Theodorici, Suſannæ & Cain. 7. *& ſeq.*
Cur multi damnati, multi ſalvati, dicetur in die judicii. 8
Alterum damnatorum tormentum longe graviſſimum, à Chriſto Salvatore plecti æternæ mortis ſententiâ. 9
Demonſtratur ex triſti eventu Regis Sennacharib, Abſalonis, ex mente impiorum, cæcitate Tobiæ. 9.& 10
Vulnera Chriſtus oſtendet ad peccatoris confuſionem. 10

JULIUS CÆSAR.

In mare proſiliens quid fecerit? 30

LABOR.

Dulceſcit cæli intuitu. 83. *& ſeq.*
Adam à Deo in paradiſo ponitur, ut laboret. 225
Vide *Otium, Tribulatio.*

LACHRIMÆ.

In pretio ſunt apud mulieres. 220

LATRO.

Timet in cruce.
Egit pœnitentiam primâ horâ. 68
Vide *Chriſtus, Pœnitentia.*

LAZARUS.

Portatur in cælum à multis Angelis. 177
Cur permiſſus mori. 178
Mors ejus deſcribitur. 43

LIBERALITAS.

DEI & hominum liberalitas expenditur. Vide toto diſcurſu Dom. 3. poſt Epiphaniam, 174
Vide *Chriſtus.*

LIMBUS.

Paradiſus Chriſti intelligitur. 73

LUCI-

## LUCIFER.

Peccat ambitione. 116
Ex cælo deturbatur, quia otioſus eſſe volebat. 130

## MAGDALENA.

Tria obtulit Chriſto. 220
Terunxit corpus Chriſti. 105
Vocatur a Domino mulier. 244
Noluit ab ea Salvator tangi. 178
Vide *Promptitudo, Verbum Dei.*

## MAGI.

Non defatigantur in via. 87
Citò pergunt ad Regem natum. 143
Chriſtus perſonaliter eis indicat. 242

## MARIA.

MARIA Virgo adumbrata variis hieroglyphicis. 29
Aſſimilata domui Rahab. 30
Sicut Arca in tranſitu Jordanis. 30
Sicut Jonas & Daniel. 30
Sicut arbor in India. 30
Sicut mulier primos maturos fructus ad civitatem deferens. 31
Accepit beneficium gratiæ abſque penſione culpæ. 31
Ejus immaculata Conceptio demonſtratur ex Incarnatione Verbi. 31
MARIA ex auro puriſſimo. 31
Cur greſſus ejus quàm pulchri laudentur? 31
Cur filia Aminadab? 32
Fuit ſine macula omni tempore. 33
Probat Angelus dicendo: *Dominus tecum*. 33. & 34
Contendunt in Deipara natura & gratia. 35
Liber ſine menda. 36
Immaculata declaratur à Chriſto. 36. & 37
Probatur ex legibus, Conciliis & Bullis ſummorum Pontificum. 35
Miraculum factum intuitu Conceptionis. 35
Redempta eſt *ante lapſum*, non *poſt lapſum*. 36
Habuit debitum contrahendi, non tamen contraxit peccati maculam. 36
Redempta a Chriſto, quomodo? 36
Melius eſt hominem præſervare ne in ſervitutem redigatur, quam jam redactum redimere. 36
Adam & Eva creati in gratia, & ſine macula peccati, cur non MARIA? 37
Maluiſſet inſilire in infernum quàm labem originalem contrahere. 37
S. Thomas Aquinas apparet Fauſtino Epiſcopo Paduano, eumque informat de Immaculata Conceptione B.V.M. 37
Ipſamet revelat S. Brigittæ. 37
Scala Jacob. 73
Nativitas ejus à Deo deſiderata. *ibid.*
Complementum SS. Trinitatis. 74
Parturiens deſcribitur. 76
Vadit in Bethlehem. *ibid.*
Affectus erga Jeſulum recens natum. 81
Orat pro ſancto Stephano. 89
Dignitatem ſuam acceptam Deo refert. 163
Dicit Filio, vinum deficere, non petit miraculum. 182
Imagines ejus contritæ à luſoribus 192
Cur non in cœna cum Chriſto 255
Cur voluerit purificari. 214
Præmiatur à Chriſto. 245

## MARTHA.

An avaritiæ obnoxia? 43

## MARITUS.

In veteri lege permiſſæ plures uxores, non in nova. 167
Unus projecit uxorem in mare ut onus graviſſimum. 169
Aliquis ſuſtulit humeris uxorem, cùm alii crucem. 169
Alius quærit ſubmerſam uxorem adverſo flumine. *ibid.*
Diabolus eſt uxoris. 169
Deliberandum ſollicitè pro ducenda uxore. 169
Multi uxores quærunt, ut qui vulpem. 171
Plus curant dotem quam uxoris perſonam. 170
Uxorem amare debet utpotè ex coſtis ejus deſumptam. 172
Fœlix ille qui uxorem ſortitur bonam. 173
Surdus eſſe debet. 172
Vide *Matrimonium, Vxor.*

MARSYAS.

Ab Apolline excoriatus. 121

MARTIA.

Nihil hac vilius & pejus habuit Cato. 170
Noluit iterum nubere. 171
A fulmine non læditur. 162
Subito ſupplicio mortis plectitur. 199

MARTYRIUM.

Dulce Apoſtolis viſum. 88
Semper comitatur gloria. Vide toto diſcurſu in Feſto SS. Innocent. 106

MATRIMONIUM.

Status matrimonii deſcribitur toto diſcurſu Dom. 2. poſt Epiphaniam. 163
Dolores in eo plurimi. *ibid. & ſeq.*
S. Paulus non valet miſerias ſatis exprimere. 164
Tertullianus cum manna comparat. 165
Æquiparatur pomo paradiſi. *ibid.*
Aſſimilatur nuci, ſenectuti, piſcibus. *ibid & ſeq.*
Non reperitur in cælo. 166
Nil miſerius. *ibid. & ſeq.*
Abraham non fruitur viſitatione Dei mortuâ uxore. *ibid.*
Matrimonium cur dictum potiùs à matre quàm à patre. 172
Maritare quaſi mari dare. 171
Quare mulier propriè nubit, non vir. *ibid.*
Vide *Maritus, uxor.*

MELIORA.

Deo offerenda optima. 219

MENDACIUM.

Commune eſt, & ubique prævalet. 27
Probatur in ſacra Scriptura ex matribus illis recurrentibus ad Salomonis tribunal. 27
Jonas maluit mori quàm argui de mendacio. 28
Diabolus Author mendacii. 28
Diabolo mendacior eſt mulier. 28
Mulieres plerumque mendaces, ideò teſtari prohibentur. 28
Principi conſulitur imponere gabellas mulierum mendaciis. 28
*Omnis homo mendax*, quomodo verum? 28
Leges Perſarum contra mendacium. 28
Artaxerxes mendaces crudeliter punit. 29

MINIMA.

Cavenda ſunt. 204

MONITUM.

Obſervandum à marito & uxore. 172
Dictum à Ptolomæo. 174
Docet Ariſtoteles. *ibid.*
Inculcat Pythagoras. 175

MORA.

Deteſtabilis in agendis. 141. *& ſeq.*
Alexander militem parum morantem repudiat. 149
Archias dum nimis moratur, crudeliter occiſus. *ibid.*
Divinis inſpirationibus ſtatim obtemperandum. *ibid.*

MORS.

Eſt incerta. 70
Mortis ſigna. *ibid.*

MOYSES.

Attrahitur Verbo Dei. 257
Contrivit vitulum aureum. *ibid.*
Annulum dedit Hebræis cùm in ſervitute. 85
Mandatur ut calceos extrahat. 228

MULIER.

Inimica veritatis. 24. 28
Poteus eſt. 28
Mendax eſt. 24. 28
Vetula ſpeculum repertum abjicit. 28
Diſcipula diaboli in mentiendo. 28
Diabolo falſior. 28
Non poteſt teſtari. 28
Mendaciloqua intitulatur. 29
Exempta à Gabellis in civitate quadam. 30
Vide *Avaritia, mendacium, uxor.*

MUN-

MUNDUS.

Non habet mel ſine fello. Vide toto diſcurſu Dom. 5. poſt Epiphaniam. 195
Vide *Felicitas, Infælicitas, Inſtabilitas.*

MUSCA.

Decatefert S. Auguſtinus. 209

NATHANAEL.

A Chriſto ad Apoſtolatum non admittitur, quare? 19

NATIVITAS.

Hominum natalis olim celebris. 95
Natalis Chriſti. 71. *& ſeq.*

NATURA.

Occultat pretioſiſſima. 153

OBEDIENTIA.

Filii obtemperare debent parentibus. 119. *& ſeq.*
Ut perfecta ſit, quid requiratur. 214 *& ſeq.*

OCCASIO.

Mali omnis occaſio vitanda. 211

OPERA.

Supererogationis opera facienda. 219. *& ſeq.*
Bona opera non oſtentanda. 153 *& ſeq.*

OTIUM.

Fugiendum eſt. 218

PAPILIO.

Candelæ lucem ambit & perit. 197

PARADISUS.

Ubi reperitur. 79

PARENTES.

Cauſa punitionis filiorum. 188 *& ſeq.*

PARTIALITAS.

Odioſa eſt, & Chriſtus eam abhorret. 138 *& ſeq.*

PAUSANIAS.

Avaritiâ impulſus quid egit? 39

PHARAO.

Crudelis in ſervos. 205

PECCATOR.

Ejus tormentum in die judicii. 6. *& ſeq.*
Status miſer. Vide toto diſcurſu in Feſto S. Thomæ. 47

PECCATUM ORIGINALE.

Quomodo contrahatur. 29
Diverſis ſimilitudinibus exprimitur. 30
Origo omnis mali. 195

PECCATUM MORTALE.

Peccatum comparatur equo Diomedis. 48
Dementat Regem David, ſanctum Petrum, Filium prodigum, Cain, ſervum Evangelicum, Pilatum, Jonam, Adam & Evam, denique S. Thomam Apoſtolum. 49
In beſtiam transformatur peccator, ut contigit Adamo & Evæ, Caino & Chanaan, Giganti, Goliath. 51
Idem oſtenditur ex incarnatione Verbi. 55
Peccator ipſis inanimatis pejor. *ibid. & ſeq.*
Peccatum origo infinitorum malorum in anima. 54
Aſſimilatur faſcino, veneno, ſcorpioni, gladio ancipiti, dæmonio. *ibid.*
Serpens eſt cerberus triceps. 59
Deturbat ex ſtatu innocentiæ. *ibid.*
Non cadendum eſt animo ob gravitatem peccati. 66
Peccator non fidat exemplo boni Latronis. 69
Terreatur exemplo Latronis mali. 70
Peccator ſimilis Tantalo, & Perſicæ. *ibid.*
Peccatum animæ exitium minatur. *ibid.*
Diabolus peccatorem moribundum arguit. 71

Quot è peccato damna? 191
Simile eſt pomo exhibito à ſtatua. 193
Ut magnes ferrum, ærumnas attrahit. 193
Devoratorium ſalutis. ibid.
Damna expenduntur. *ibid.*
Peccatum Luciferi ambitio. 116
Peccatum idololatriæ quid. 210

PECCATUM VENIALE.

Etſi minimum ſit, omni ſtudio vitandum. Vide toto diſcurſu Domin. 6. poſt Epiphan. 204

S. PETRUS APOSTOLUS.

Peccato fit demens. 49
Joannem non appellat nomine, cur? 187
Inimicus tarditatis. 147
Novit demum Angelum, cum receſſerat. 46
Conſcientia eum torquet. 5
Vide *Punire, vana gloria.*

PHOENIX.

Avis eſt unica, &c. 82

PIGER.

Moro ſimilis. 149
Homo non eſt piget in vanitatibus. *ibid.*

POENITENTIA.

Deſcribitur toto diſcurſu Domin. 4. Advent. 58
Effectus pœnitentiæ. 59
Statum innocentiæ reſtituit. *ibid.*
Baptiſmus dicitur, & quare? *ibid. & ſeq.*
Lavat & purificat animam. 60
Delet cicatrices peccati. 60
Virginitatem reſtaurat. 61
Animæ reddit amiſſam pulchritudinem. 62
Exaltat magis quàm peccatum depreſſit, ut patet in filio prodigo & S. Petro. 63
S. Petrus factus pœnitens reliquis Apoſtolis præfertur. *ibid.*
Salomon factus Regni hæres non Adonias, quare? 64
Latroni ſatisfacit Chriſtus in Cruce antequam MARIÆ Matri. 65
Pœnitens videri poſſit Deo gratior quàm juſtus. *ibid.*
Supra Angelos extollitur. *ibid.*
Pœnitentia eſt acus. *ibid.*
Navis eſt, poſt naufragium tabula, medicina, ſcala Jacob. 66
Pœnitens ſimilis frondibus arboris in Hybernia. *ibid.*
Si diabolus pœnitentiam facere poſſet, Deus ignoſceret. 67
Nullum peccatum tam grave quod non deleat pœnitentia. *ibid.*
Quod dictamnus cervis, chelidonia hirundinibus, hoc pœnitentia animæ. *ibid.*
Latro egit pœnitentiam primâ horâ, quomodo intelligendum. 69
Cur Eccleſia non celebret Feſtum boni latronis? *ibid.*
Pœnitentia non differenda. 70 *& ſeq.*
Qui pœnitentiam differunt, ſimiles ſunt Tantalo & Perſicæ. *ibid.*
Pœnitentia quo intuitu facilis. 67

POMUM.

Paradiſi pomum matrimonio comparatur. 165

PRÆDICATOR.

Qualis eſſe debeat. 240
Cur ſæpe non fructificat? 237

PRÆMIUM.

Nullum datur ſine dolore. Vide toto diſcurſu Dom. Septuageſimæ. 122
Propoſitum labores mitigat. 83 *& ſeq.*

PRODIGALITAS.

Eſt vitium. 174
Differt à liberalitate. 177
Dei ſancta prodigalitas. 174
Vide *Liberalitas.*


PTO-

## PTOLOMÆUS.


Berenicen accipit in uxorem. 171
Sapienter dictum. 174


## PROMPTITUDO.


Laudabilis eſt, deteſtanda ignavia. 142 & ſeq.
Suetonii monitum. *ibid.*
Alexander Magnus feliciſſimus, *nihil differendo.* *ibid.*
Magi ad Chriſtum promptè accelerant. *ibidem.*
Rodigina Regina Perſarum non cunctabunda. 143
Cæſar Pompejum de morâ redaurguit. *ibidem.*
Alexander moratum impatiens. *ibid.*
Abraham in ſacrificio promptus. *ibid.* & *ſeq.*
Idem in excipiendis hoſpitio tribus peregrinis. 144
Eliſæus mandat Giezi ut feſtinet. *ibid.*
Deus reſpexit ad munera Abel, non Cain. 145
Magdalena promptitudinis amans. 146
Seraphim alati quare? *ibid.*
Sponſa cæleſtis manus habet tornatiles. *ibid.*
S. Petrus Apoſtolus ad Salvatorem feſtinat. 147.
David in obſervantia mandatorum Dei celer. 149
Zachæi promptitudo Chriſto grata. 148
Vide *Fervor, Mora, stella,*


## PUNIRE.


Maximum peccatori ſupplicium in die judicii & conſcientiæ remorſus. 5
Nec minus tormentum ab ipſomet Chriſto damnari. 5. & *ſeq.*
Senatus Laconicus ſeverè punit. 24
Midas quomodò punitus. 24
Juſtus luit pro peccatore. Vide toto diſcurſu. Dom. 4. poſt Epiphan. 184
Montes Gelboe maledicti propter mortem Saulis. 185
Arbor fici areſacta ob peccatum Adami. *ibid.*
Animalia producta ſexto die a Deo non benedicta propter ſerpentem. 186
Beſtiæ etiam diluvio ſubmerſæ propter peccatum hominis. *ibid.* & *ſeq.*
Præſente Judâ periclitantur in mari Apoſtoli. 185
Non omnes Apoſtoli aſſumpti ad montem Thabor. 187
Turbantur in cœna omnes propter negationem Petri. *ibid.*
Filius luit delictum patris. 188
Fratres arguuntur furti propter Benjamin. *ibid.*
Patiuntur Ochozias, Joas & Amaſias. 189
Filii Cham ferunt opprobrii pœnas. 190
Propter unius culpam puniuntur integra Regna. *ibid.*
Ob peccatum Acham Deus toti exercitui minatur pœnas. 191
Peccatum Adami luunt omnes poſteri. 191
Moritur filius Davidis. 184


## PULCHRITUDO.


Quomodo cum nigredine conſiſtat. 60


## PYGMALION.


Ex avaritia factus crudelis. 39


## RACHEL.


Primogenito imponit nomen Joſeph. 185
Pulchra quidem, ſed ſterilis 197


## REMEDIUM.


Non differendum. 70


## REMORA.


Minima eſt, & navim retinet. 205


## SACRIFICIUM.


Abraham ſacrificare impeditur ab Angelo. 47


## SAMUEL.


Terretur judicium cogitans. 13


## SANGUIS.


Chriſti ſanguis in Circumſione prognoſticus. 131. & *ſeq.*

### SENNACHERIB REX.

Occiditur à propriis filiis. 9

### SEPULCHRUM.

Moyſes ubinam ſepultus, non ſcitur. 97
Sepulchro mariti & uxoris cujuſdam inſcriptum. 164

### SIMPLICITAS.

Vir ſimplex & idiota in Concilio Niceno confundit ſuperbum Philoſophum. 20

### SOMNIUM.

Crucifigi in ſomnio quid denotet. 166
Dulcia comedere quis ſomniat. 197

### SPES.

In Deo collocanda. 151
Speratum præmium alleviat laborem 83. *& ſeq.*
Vide *Præmium*.

### STELLA.

Stella Magorum dicitur ſtella Dei. 148

### S. Stephanus.

Lapidatur quia prædicat veritatem. 23
Phœnici comparatur. 82
Lapides illi dulces. 83
Archimedi ſimilis. ibid.
Cœlum jam poſſidere videbatur. 88
Dum lapidatur, pro ipſo B. Virg. Maria orat. 89
Petra erat quadrata. ibid.
Ut Orpheus & Amphion. ibid.
Avis paradiſi. 90
Ejus mors. 91
Habebat vultum quaſi Angeli, quare? ibidem.
*Viduarum cuſtos.* ibid.
Cur tam juvenis moritur, nondum Sacerdos? 92
Morte celebrat Natalem Chriſti. ibid.
Moriendi dat exemplum. ibid.
Cervos imitatur. ibid.
Paradyſus Sanctiſſimæ Trinitatis. ibid.
Virtus veſtium S. Stephani, & florum. 93
Miraculum. ibid.
Cur hujus ſancti feſtum medium inter Natalem Chriſti & ſolemnitatem S. Joannis. 95

### STERILITAS.

An ſit præoptanda. 118

### SUSANNA.

Mori maluit quàm pati conſcientiæ remorſum. 2

### TARDITAS.

Deteſtata. 142. *& ſeq.*
Vide *Promptitudo*.

### TARPEIA.

Avaritiæ dedita. 39

### TEPIDUS.

In malo ſtatu verſatur. 149
Moro comparatur. ibid.
Nugatorie agit. 150

### S. THOMAS APOSTOLUS.

Quam infelix in infidelitate. 48
Peccato dementatur. ibid.
Pingitur habens manu trullam. 55
Eleëmoſynas erogabat. ibid.
Infernus erat pauper & errans, à Chriſto ſanatur, ditatur & ad paſcua vitæ reducitur ibid.
Sal Agrigenti in Sicilia. 56
Inſtar facis accenditur. ibid.
Dixit, *Non credam*, ex deſiderio videndi plagas Chriſti. ibid.
Dalilæ comparatur. ibid.
Magnum ejus gaudium viſis Chriſti vulneribus. 57
Confeſſus eſt Divintatem & humanitatem. ibid.
Summam hauſit doctrinam ex Chriſti vulneribus.

Cur ab Eccleſia ſexto loco ponatur in Canone. *ibid.*
Similis horæ ſextæ diei. *ibid.*
Cur pingatur cum lancea. *ibid.*
Apoſtolus fidelis dictus antonomaſticè. *ibid*
Ipſo feſto diſtribuit quotannis communionem.

## S. THOMAS AQUINAS.

Conceptionem immaculatam Deiparæ expreſsè probat. 37
Farnao Epiſcopo opinionem ſuam revelat. *ibid.*

## THOMAS MORUS.

Lætus ad mortem ut portum accelerat. 200

## TOBIAS.

Affligitur excæcatus, & quare? 9

## TRIBULATIO.

Deus eam immittit, ne obliviſcamur ad illum recurrere. 202
Conducit ad coronam & gloriam. 222. *& ſeq.*
Chriſtus eſt via. 223
Deus Iſraëlitis paradyſi delicias promittit ſub methaphora mellis & lactis. *ibid.*
Chriſtus facilè deſiderata concedit omnibus, ſed non annuit petitioni matris filiorum Zebedæi. *ibid.*
Vult ut Petrus calcet maris fluctus antequam ad illum perveniat. 224
Jacob luctari debet cum Angelo antequam nominetur Iſrael; id eſt videns Deum. 225.
Sponſa invitata ad coronam, priùs petit ire ad montem myrrhæ. *ibid.*
Petrus in monte Thabor arguitur quòd vellet perfrui gloriâ ſine tribulatione. *ibid.*
Chriſtus in cælum aſcendens manuum cicatrices oſtendit. 226
Moyſes ad pedem montis excalceare ſe jubetur. *ibid.*
Joſeph Ægypti Pro-rex, antè compedibus vinctus, quàm coronâ redimitus. 227
Latro ſalvatur, quia in cruce moritur. *ibid.*
Omnes ſancti ingreſſi ſint cælum per tribulationis januam. *ibid.*
Fallitur qui cælum ut hæreditatem prætendit. 228.

## VANA GLORIA.

Ab hominibus ſtudioſè vitanda. 153. *& ſeq.*
Inimici plures vanæ gloriæ, puta & Abraham, &c. 154. *& ſeq.*
Comparatur formicæ, &c. 141

## VERBUM DEI.

Efficax & ſuave. Vide toto diſcurſ. Dom. Sexag. 231.

## VERITAS.

Potens eſt. Vide toto diſcurſu Dom. 2. Adventûs. 21
Exoſa apud omnes. 22. *& ſeq.*
S. Joannes Baptiſta, quia prædicat veritatem, occiditur. 22 & 23.
Veritas contemptui eſt. 22
Charidemus morte punitur ob dictam Dario veritatem. 22
Exploditur à Pilato. 23
S. Stephanus propter veritatem lapidatur. 23.
Cambyſes Rex audita veritate fit crudeliſſimus. 23
Servo Dei quid reſponſum à Sultano de veritate. 24
S. Joannes Baptiſta in mundo neceſſarius ad aſſerendam veritatem. 24
Voluit Salvator ut ſuperſint duodecim fragmentorum cophini teſtes, ne de miraculo dubitaretur. 24
Veritas ſemper proditur, ut patet in Mida. 25
Caroli V. Horologium furto ſublatum veritatem propalat. 25
A ſanctiſſima Trinitate defenditur veritas. 25
Quid fecit Herodias, ne audiret ultrà veritatem à S. Joanne Baptiſta? 25
Deus petit veritatem ab Adamo & Eva. 25
Samaritana non vult Chriſtum audire dum veritatem ei diceret. 26
De vetula lepidum aliquid. 26
Herodias crudeliter tractat linguam S. Joannis Baptiſtæ ob dictam ei veritatem. 26

VIRGINITAS.

Præferenda matrimonio. 164
Virgines Chriſto ſimiles. 95
Virginitatis laus. ibid.

VOLUNTAS.

Anima eſt operum meritoriorum. 215

VULNERA CHRISTI.

Sigilla redemptionis, &c. 55. & ſeq.

UXOR.

Mariti crux eſt. 164
Uxor Job deſcribitur. 168
A diabolo ſervatur ad perditionem mariti. 169
Graviſſima mariti ſarcina. ibid.
Quæritur à marito adverſo flumine. ibid.
Eſt infernus mariti. 170
Attentè deliberet ante deſponſationem. 170
Tædium ejus & infelicitas. 171. & ſeq.
In inferno non agnoſcetur à marito. 172
Debet eſſe cæca. ibid.
Domicilium amoris mariti. ibid.
Vide *Maritus*, *Matrimonium*.

ZACHÆUS.

Deo gratus, quare? 143
Opera ſupereogationis implevit. 218

ZACHARIAS.

Obtinet à Deo plus quàm petebat. 177

ZIZANIA.

Typus mundanæ felicitatis. Vide toto diſcurſu Dom. 5. poſt Epiphaniam. 195

ZOROASTRES.

Naſcitur ridendo. 230

FINIS.

predicab
X V 26.

[illegible]
[illegible] prædicab
XV 26.



Th
3288


Diſcurſ. prædicab
X V. 26.